SOCIETÀ NAPOLETANA

DI

STORIA PATRIA

MONUMENTI STORICI

SERIE SECONDA

DOCUMENTI

T. II. — PARTE II.



NAPOLI 1892

Edizione di 275 esemplari numerati

Esemplare N.° 88

MONUMENTA
AD
NEAPOLITANI
DUCATUS
HISTORIAM PERTINENTIA

quae partim nunc primum, partim iterum typis vulgantur

CURA ET STUDIO

BARTHOLOMAEI CAPASSO

cum ejusdem notis ac dissertationibus

TOMUS SECUNDUS

PARS ALTERA

NEAPOLI

EX REGIO TYPOGRAPHEO FRANCISCI GIANNINI & FIL.

Mdcccxcii

V.

DIPLOMATA ET CHARTAE

DUCUM NEAPOLIS

PRAEFATIO

Scripturas tum publicas tum privatas, quae quacumque ratione ad Neapolitanos duces et ad saeculum X, XI et XII (nulla enim antiquior exstat) pertinent, vel in quibus ipsi subscripti sunt, ego in hac sectione colligo. Et primum quae integrae, dein quae breviatae sive certae sive incertae aetatis, nobis supersunt ordine chronologico dispono; denique quae suspectae fidei vel interpolatae aut omnino falsae videntur, addo. Omnes vero, praeter unam et alteram ex Chronico Vulturnensi depromptas, ex iisdem, de quibus in praefatione ad Regesta Neapolitana *egi, fontibus eruo, ita ut nihil de istis nunc dicendum est. Quaedam potius de earum scripturarum natura et forma ac de Ducum, ut propriis ipsorum verbis utar,* honore (1) *seu dignitate ac praestantia, atque de his, quae praecipue in ipsis documentis notanda sunt, breviter disserere juvat.*

Ducum igitur publicae scripturae, quae scil. ab eis, uti publica potestas, dabantur, duplicem formam habere poterant, ac proinde praceptora *vel* praecepta *et* verbora *dicebantur* (2).

Praecepta *apud nostrates, uti tunc etiam iuxta morem temporis alibi, erant diplomata vel privilegia a ducibus in forma solemni data, a Primario Curiae ex Ducis praecepto scripta, et ab ejusdem Ducis subscriptione firmata;* verbora *vero chartae in forma privata confectae et ab ipso duce propria manu subscriptae; quae praeterea, si eiusdem Ducis anulo signatae erant,* verbora sigillata *dicebantur* (3).

Praecepta *vel diplomata sic se habent. Post invocationem Domini, quae apud nos semper est hujusmodi:* In Nomine Domini Dei Salvatoris nostri Ihesu Christi, *apponuntur notae chronologicae hoc modo:* Imperante (4) domino nostro N. N. magno imperatore anno..... set *(sed), si duo vel plures erant,* et N. N. eius filio magno imperatore aut N. N. et N. N. magnis imperatoribus anno . . . . die . . . . mensis . . . . Neapoli. *Inde nomen et tituli Ducis sequuntur sic.* Nos N. N. in Dei nomine eminentissimus Consul et Dux atque Domini gratia Magister militum.

Cum autem Dux filium in ducatus regimine conlegam adsciverat, tunc, si utrique aetate majores erant in praecepto insimul nominantur et subscribunt; si vero alter in minori erat constitutus aetate, pater pro se et pro vice filii sui, qui infra aetatem *erat, privilegium concedit.*

Deinceps sequitur concessionis vel privilegi contextus cum formula, qua Dux pro se et posteris suis, qui in eius honore locoque duces accesserint, *oblationem factam vel immunitatem datam firmat et aliquando imprecationes et diras in his, qui ipsam violare praesumpsissent, interminatur.*

Denique sequenti formula constanter diploma absolvitur: quod praeceptum vel quam concessionem a nobis factum *vel* factam N. N. primario scribere praecepimus, in quo et nos subter pro ampliore eius firmitate manu nostra propria subscripsimus die et indictione suprascripta . . . . . *et deinde inter duo crucis signa Dux, ac etiam, si extat, collega subscribunt. Cum autem in diplomate archiepiscopus etiam ob aliquam causam intervenit ipse primus, et post eum Dux subscriptionem apponunt* (5).

Ceterum omnia, quae nunc habemus, hujus generis diplomata, caractere curialisco, *de quo infra dicam, exarata sunt.*

Verbora, *quae fortasse a* brevi, *langobardorum nomen, voce aliquantulum detorta, accepit, ex uno, quod nobis nunc superest, exemplo* (6) *argui licet, in hoc a praecepto differunt, quod scilicet caractere langobardo comuni erant scripta, ac sigillo cereo ex anulo Ducis expresso signata, et quod nomen Ducis in principio et in fine, ubi nulla de eo, qui chartam scripserat, mentio, notas chronologicas habebant.*

Quoad verum privatos contractus attinet ipsi, quamvis a ducibus celebrati, nullam omnino ab aliis, quos quisque privatus stipulabatur, differentiam habent. Proinde tum a primario, tum a curiali quocumque confecti erant, atque post contrahentium et trium, qui requirebantur estium subscriptiones, complebantur et absolvebantur.

Et haec satis de ducalium diplomatum forma; nunc pauca de eorum imperio et iurisdictione dicenda sunt.

Qui igitur neapolitanam rempublicam saeculis X, XI, et XII regebat consul *appellabatur quod supremam in neapolitano ducatu iurisdicendi potestatem habebat, unde etiam aliquando absolute* iudex (7) *dictus; vocabatur etiam* dux *quia summam politici regiminis auctoritatem sibi vindicabat; atque* magister militum *quia exercituum summus imperator. Ex more* eminentissimi *titulum semper assumebat* (8). *Insuper, si quas a Byzantinis imperatoribus habebat, dignitates addebat. Sic in dipl. a. 975* Marinus Consul et imperialis anthipatus patricius *dicitur* (9) *et in pluribus diplomatibus ac instrumentis ab an. 1090 ad an. 1116 celebratis Sergius VI et Iohannes VI* imperialis Protosebastos *vel* Protosevastos *titulum assumunt* (10). *Aliquando etiam ipsi, cum de genitoribus loquuntur, eos* gloriosos *appellant* (11),

ut et gloriosi *vel* gloriosa *aut* publica potestas *passim in instrumentis dicuntur* (12). *Ducis etiam uxor* gloriosa *vocatur* (13) *et aliquando, uti ipsius ducis, qui* senatores *sunt* (14), *parentes,* senatricis *honore decoratur* (15).

Ex officiis aulicis maioribus documenta nostra memorant vestararium (16), *ex minoribus* servientes ducis *vel* de praetorio istius civitatis (17).

Praeter rem familiarem, quam ex privato habebant, Duces patrimonium publicum quod in nostris documentis publicum ducis, res domnica, res ex iure publico seu iure publici nostri, *vel* ex parte nostri publici pertinentes *dicitur* (18), *atque tributa et vectigalia scil.* dationes, publicalia, *vel* publicanea, comunalia, angarias *et* serbitias (19) *administrabant et disponebant.*

Ex publico patrimonio in nostris documentis memorantur viae publicae, aquarum cursus *in paludibus, qui dicebantur* fossati, fusaria, maris piscationes *et aliquando etiam* lacus patriensis *medietas; ex tributis et vectigalibus* pensio domnica, portaticum, portuaticum, plateaticum, pedaticum, excaticum, herbaticum, decimae fusariae *et* plateae (20). *Posterioribus temporibus occurrit* fidantia et data seu collecta pro parte de ipsi Normanni (21). *Proinde in ipsis documentis habentur concessiones aquae de fluvio, murorum, turrium et portarum civitatis, plateatici et portuatici, casarum ad defisos pertinentium cum omne publico atque hospitum et servorum, et aliarum rerum id generis. Habetur etiam licentia navigandi, in solo publico aedificandi, in littore urbis piscandi, nec non interdicta in eos qui in solo publico aedificabant. Habentur denique immunitates ab ipsis tributis et vectigalibus* (22).

Duces praeterea habebant dominium vel patronatum in quibusdam urbis ecclesiis vel monasteriis, ut in S. Sebastiano et in S. Gregorio maiore, vulgo S. Liguoro (23).

Duces denique cum nobilioribus *hominibus iudicant atque pupillis* abocatores *dant ut pacisci et iudicio sisti possent* (24), *et denique curialibus instrumenta donationum locis piis scribere permittunt* (25).

Quaedam ex his facultatibus pacto Ducis Sergii IV. cum neapolitanis inito quodammodo moderatae fuerunt. Inter alia praecipue ipse dux bellum aut pacem trequam vel abstinentiam absque consilio de quampluribus nobilibus neapolitanis non facere nec fieri facere promisit. At an hac conditiones usque ad Ducatus finem duraverint omnino affirmare non ausim.

(1) Cfr. infra p. 18 et alibi.

(2) Hanc scripturarum ad duces pertinentium distinctionem frequenter Duces memorant in eorum diplomatis. V. infra p. 23, 37, 84 etc. Aliquando *preceptora* vocantur *concessiones.* V. infra p. 56, 76.

(3) *Reg. Neap.* nn. 482, 636.

(4) Si aliquoties in quibusdam diplomatum summariis occurrit: *regnante* pro *imperante,* id omnino librariorum indiligentiae et arbitrio tribuendum est.

(5) V. infra p. 4, et 47.

(6) Cf. infra p. 79.

(7) Sic appellatur a Pp. Iohanne VII. (*Mon.* I. 255) et in Capitulari Sicardi principis quod infra habetur.

(8) Semel tantum in diplomate a. 1053 Sergius appellatur *magnissimus* (V. infra p. 34); at forsitan insolens titulus librarii ignorantiae est tribuendus.

(9) V. infra p. 15, Fortasse in exemplo huius diplomatis (autographum enim deperditum est), quod nunc superest, verba: *et dux* in subscriptione ex oscitantia omissa fuerunt. Sic etiam p. 52 deest *consul.*

(10) V. infra pp. 61, 64, 69, 71, 100. 101, et 102.

(11) V. infra p. 34 et 39.

(12) V. *Reg. Neap.* nn. 326, 554, etc.

(13) *Reg. Neap.* nn. 624, 650, 653, et infra p. 13, 71, 102. — E re nata iuvat heic cuiusdam ducissae nomen aliter ignoratae memorare. In Necrologio S. Patriciae, quod olim apud b. m. virum D. Vincentium Cuomo et nunc in bibliotheca Municipali adservatur, ad diem 23 mensis decembris legitur: *Eudochia duchessa* (sic) *Neapolis.*

(14) V. infra p. 53.

(15) *Reg. Neap.* 290, 381.

(16) *Reg. Neap.* 387.

(17) *Reg. Neap.* 586, 590, et infra p. 64. 81.

(18) V. infra p. 8, 15, 33, 51. R. 378, 404.

(19) *Reg. Neap.* nn. 212, et infra p. 33.

(20) *Reg. Neap.* 72, 256, 613, 631 et infra p. 37, 67, 131.

(21) *Reg. Neap.* nn. 645, 659.

(22) Haec in diplomatibus, quae sequuntur, passim videri possunt.

(23) V. infra p. 26, 66, 71.

(24) *Reg. Neap.* nn. 195, 366, etc.

(25) V. infra 22, 28, etc.

MONITUM — Infra p. 85 delenda est nota (2), quae de casali Limpiano agit, et in p. sequenti 88 sub n. (3) apponenda, nota (3) in (4) mutata. Alia vero, siqua sunt, in opere errata benevolum lectorem ut indulgeat, ae benigne emendet, enixe quaeso, rogo, obtestor.

DIPLOMATA ET CHARTAE DUCUM NEAPOLIS

I.

Gregorius consul et dux ac Athanasius episcopus d. Acculsario abbati Ss. Severini et Sossii in urbe Neapolis monasterium S. Severini in castro Lucullano, iam destructo, cum omnibus rebus et juribus suis atque privilegiis et immunitatibus concedunt sive confirmant.

(Ex exemplo edito a Chioccarellio et alio eiusdem monasterii (1) inter se collatis).

In nomine domini Dei Salvatoris nostri Iesu Christi. Imperantibus dominis (907) Leone et Alexandro a Deo coronatis magnis imperatoribus anno tricesimo, die septima decima mensis decembris indictione undecima Neapoli. Sicut in hoc mundo nihil esse potest bonum, nihilque utile absque Dei providentia, qui dispensat et ordinat omnia prout vult, ita quicquid ad meliorem statum pervenerit, non nisi illius dispositione regitur, illiusque regimine gubernatur. Unde solicite debet unusquisque cavere ne per incuriam, seu per invidiam contra id temere presumat, quod Domini nutu viderit ad maiora contendere, tamen et si quis invidia et tenebris obceptus, teloque iracundie succensus, adversari quodammodo contenderit sciat se non solum insipientem cunctis hominibus apparere, verum etiam, quod est gravius, iram Domini velociter incursurum. Ideo nos Athanasius Dei gratia tertius S. Neapolitane ecclesie Presul, pariterque Gregorius neapolitanorum Consul et Dux voluntarie profitemur, qualiter monasterium sancti Severini Christi confessoris, quod intus hanc civitatem nostram in vico Missi (a) constructum est, et ad maiora contendens, adiuvante Deo sit longe lateque diffamatum, sic ut prope in toto nominetur mundo, et ob sui reverentiam celeberrimo diversarum gentium frequentetur occursu, si enim (quod absit) nos silere voluerimus, ipsi lapides clamabunt, et testimonium suum

(a) *Ita etiam alibi.* Cf. Reg. Neap. *n. 87 et infra. Male in exemplo Ms.*: Miseri.

(1) In vol. Ms. cui recens titulus, *Indice di pergamene dei Ss. Severino e Sossio* doc. n. 805. Extat inter *Scritture dei monasteri soppressi* n. 1788 in regio Neapolitano Archivo. Cf. praefat. ad *Regesta Neapolitana.*

debunt, quod hominum nequitia celare decertat. Dicendum ergo est et per huius precepti seriem posteris commendandum, ut omnia que subtus scribenda sunt firma et stabilita in perpetuum remaneant. Athanasius igitur iunior episcopus sanctus predecessor noster tale preceptum super hoc monasterio dompno Acculsario venerabili abbati presbytero emisit, ut omni ibidem industria monachorum collegiun aggregaret . . . (a) quod vir ille Domini adimplere vigilans, prope ad quindecim monachos suo cepit illic informare proposito. Dehinc cum iam a seculo se migrare conspiceret, convocatis omnibus et sanctis admonitionibus abundanter instructis, una cum voluntate eorum abbatem illis prefecit dompnum Iohannem honorabilem presbyterum, quem ipse a pueritia educarat. Huic itaque prefatus Athanasius episcopus sanctus aliud preceptum emictens decrevit una cum cuncto clero et magnatibus suis ut nullam regulam, nullumque censum, neque aliam conditionem in eodem monasterio Sancti Severini (b) aliquando aberet (1), sed terram sue (2) potestatis emit, ut in perpetuum, sicut a religioso magistro eius dompno Acculsario incohatum fuerat, monachorum illic congregatio regulatiter habitaret. Hic autem venerabilis vir dompnus Iohannes factus abbas mores et vitam magistri sui imitatus, omnes illius fratres sub regulari vita redegit, et largiente Deo, ipsoque Sancto Severino suffragante, omnia que in rebus et in possessionibus, sive in domibus, vel diversis cameris ibi parata sunt, per eius industriam acquisita creduntur, cuius etiam et curiositate ita cenobium illud institutum est, ut ex diversis partibus multi ibidem monachi confluerent, et ad unam vitam unamque concordiam pariter conversarentur. Illis itaque sancte et religiose viventibus et monasterio ipso propter tantam fratrum concordiam ubique diffamato, rex impiissimus Africanorum innumerabilem esercitum armorumque copiosissimum habens apparatum Tauromenium advenit et irascente Deo sub omni celeritate capiens urbem eandem, non solum ipsam sed etiam alia Sicilie oppida gladio igneque consumpsit; deinde transvadato mare, destructoque castro Rhegio, reliquas Calabritanas urbes expugnare fortiter cepit. Huiuscemodi ergo pavore perculsi nos Gregorius Consul et cunctus populus noster una cum dompno Stephano sanctissimo episcopo patruo (c) nostro decrevimus, ut castrum Luculeum, quod valde abitatoribus diminutum erat et acceptu aptum, destruerentur, metu arrepti, ne fortasse sicut idem crudelissimus rex minabatur, super nos adveniens, oppidum ipsum facillime caperetur, et habito ergo consilio, placuit omnibus, ut corpusculum S. Severini Christi confessoris, quod per tot annos in eodem castello reconditum fuerat, nullibi nisi et in

(a) *Heic in exemplo Ms. legitur:* nari; *quod nullam quidem significationem habet.*
(b) *In exemplo Ms. heic additur*: monasterium sancte Agnetis.
(c) *Heic in eodem exemplo*: patrueli, *sed infra, ut apud Chioccarellium:* patruo.

(1) Scil. ipse Neapol. episcopus. At, si interpolatio, quam supra notavi, ex originali diplomate vel ex alio eiusdem magis correcto apographo processit, locum, in quo intramuranum Ss. Severini et Sossii monasterium constructum fuit, olim juris cuiusdam monasterii S. Agnetis fuisse, ex ea conjici posset. Verum huic exemplo manuscripto haudmultum fidendum est, nam lectio ibi pluries mendosa.

(2) I. e. liberam, nullius servituti obnoxiam.

memorati dompni abbatis monasterio collocaretur. Destructo igitur castro ipso, statim dictus antistes dompnus Stephanus patruus noster cum cuncto clero et nos pariter cum omni populo venerabilis sancti confessoris corpus assumentes cum cereis et thimiamatibus usque ad ipsum monasterium prefati abbatis detulimus, et per manus eiusdem dompni Stephani episcopi sancti collocatum est in ecclesia et altari que erat vocabulo ipsius sancti dedicata; postea vero cum per eiusdem abbatis industriam ecclesia ipsa ad honorem S. Severini camerato fuisset edificio refecta, et monasterium illud ex oblatione fidelium et concursu multorum magis ac magis crevisset, nos prescripti Athanasius Presul et Gregorius Consul cum consensu omnium clericorum, nec non et parentum nostrorum eidem monasterio, in quo corpora sanctorum Severini scilicet confessoris et Sossii martyris collocata erant, obtulimus monasterium eiusdem sancti Severini de Castro Lucullano, ubi prius iacuerat, cum omnibus rebus intus et foris sibi pertinentibus, cum servis et ancillis, cumque omni proprietate sua undecumque, aut quomodocumque pertinere ei viderint, mobile vel immobile, sine omni censu vel regula, omnique conditione, ut amodo et in perpetuis temporibus in potestate sit predicti abbatis et successorum eius. Insuper et in hoc precepto firmamus eidem dompno abbati omnes res quantas comparatas vel etiam oblatas, sive quas cum aliis hominibus commutatas habet, nec non concessiones quantas a nobis vel a nostris antecessoribus factas habet vel habiturus fuerit. Ita quippe ut dum venerabilis abbas advixerit in eius sit potestate quicquid exinde facere voluerit; post transitum verum eius sint in potestate successorum illius, eo dicto tenore, ut nec vendendi, nec cedendi, nec trasmutandi nec per aliquam scripturam alienandi habeat licentiam, quod si secus facere presumserint, sit inane et vacuum, et res ipse revertantur in potestatem monasterii ipsius unde fratres alantur. Firmamus etiam et in hoc precepto, ut quando abbas ipsius congregationis vita exiverit, ille fiat ibi abbas, quem inter se omnes illa elegerit congregatio, et nullum impedimentum nos aut posteri nostri eis facere presumamus, aut aliquod calciarium, aut premium querere per nullum modum, sed gratis (a) eum sine omni dilatione permictamus preesse, nam ego Athanasius episcopus sanctus, et ad honorem ipsius confessoris una cum presbyteris et diaconibus et cunctis clericis nostris largimus, ut tu dompnus Iohannes venerabilis abbas simul et posteri vestri licentiam habeatis gloriam in excelsis Deo canere, fontes et cereum sanctum benedicere, et nullam controversiam a nobis vel a posteris nostris, sive a sancta nostra neapolitana ecclesia habeatis: quod si temerario ausu quilibet ex nobis, vel ex posteris nostris vel alius homo parvus, aut magnus, extraneus vel de genere nostro contra hoc preceptum venire tentaverit, vel ex eis que et a nobis statuta sunt, aliquo modo quicquam disrumpere presumpserit, primum quidem ille sit exinde causam dicturus ante tribunal Christi vobiscum, beatissime Severine et Sossii martyr, et sit alligatus sub anathematis vinculis trecentorum et octo Patrum, partemque habeat cum Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi et cum omnibus im-

(a) *In exemplo Ms.* set de gratia.

piis, quibus dictum est a domino: Ite in ignem eternum, qui paratus est diabulo et angelis eius, componatque vobis posterisque vestris sancte vestre congregationi pene nomine auri libras 12 bizanteas, et hoc preceptum in sua maneat firmitate, et nos posterique nostri omnia suprascripta in omnibus conservare promictimus perenniter. Quod vero preceptum a nobis factum Anastasium primarium Curie huius civitatis Neapolis scribere precepimus et nos subtus pro ampliori eius firmitate subscripsimus per Indictionem suprascriptam undecimam (a).

† Athanasius Sancte Neapolitane Ecclesie Presul subscripsi.

† Gregorius Consul et Dux subscripsi.

(a) *Adjicitur in exemplo Ms.* alia manus; *unde eruitur illud non ex originali diplomate, sed ex aliquo eiusdem apographo transcriptum fuisse.*

II.

Iohannes consul et dux concedit monasterio S. Vincentii ad Vulturnum ecclesias S. Vincentii in tremojola et S. Vincentii in regione Furcillense civitatis Neapolis.

(Ex *Chron. Vulturn.* cod. Barberiniano f. 175b-176b; R. I. S. t. I, 2, p. 431)

Iohannes quoque dux et consul augustalis. civitatis neapolitane preceptum dedit patri venerabili leoni de sancto vincencio in tremoiola. et de sancto Vincencio intus eadem civitate in via furcillense. huiusmodi.

In nomine domini dei et salvatoris nostri ihesu christi. imperante domino nostro constantino magno imperatore anno XXX°VI°. sed et romano magno imperatore anno XX°III°. die prima mensis februarii. indictione ij (1) neapolim. Nos iohannes in dei nomine eminentissimus consul et dux pro vice nostra quam et pro vice marini ducis filii nostri qui infra etatem esse videtur. Desiderio desideramus et cupimus per multis modis dei omnipotentis placere magnatis. (a) ut de nostris subieccionibus bonam apud dominum admittamus orationem. Iccirco concessimus et largimus vobis leoni venerabili abbati monasterii s. Vincentii in samnie partibus super fontem Vulturni fluminis. per compuctionem. pro amore dei et patrocinio ipsius monasterii ut nobis posterisque nostris nostreque civitatis et potestatis et subiectis per eius intercessionibus salus et virtus efficiatur. Idest in primis concedimus et ad firmam stabilitatem permanendum confirmamus vobis leoni reverentissimo abbati cellam sancti Vincentii que est propria suprascripti vestri monasterii. sita in hac parthenope et a deo protecta civitate nostra. neapolim. in platea que vocatur furcillense. vicum qui vocatur placidum. cum domora et orta. et cum omnibus eius pertinentiis et substanciis. ut nulli exactoribus. (b) nostris idest loci servatoribus. comitibus. tribunis. vicariis. vel quipiam ex creditoribus cuiuscumque condicionis fuerit sive de sacerdotali aut seculari. vel a quibuscumque agentibus in eadem cella eiusque pertinenciis pro quacumque causa vel re pignerare facere presumant. vel aliquam causam exinde tollere aut contrare licenciam habeant vel qualiscumque modum vel tenorem. eciam et homines sive clerici aut sacerdotem vel monachum quem vos aut posteri vestri ibidem in ipsa cella ordinaveritis. a nullis de nostris subiectis et pertinenciis de quibuscumque ordinibus non habeat licenciam per qualecumque modum molestare. et hominem vel peculium eius in qualecumque modum molestare. aut hominem vel peculium eius (*sic*) in qualicumque racione, seu in angaria minare aut occupare. (944)

(a) *In edit. Muratoriana:* mandatis *et quidem rectius.*
(b) *In edit.:* ex auctoribus; *sed male. Actores enim iidem ac Actionarii i. e. qui res principis agunt.*

(1) Muratorius heic adnotat: « Si recte consignati sunt hi Chronici characteres et annum revera indicant 944, ut mihi visum est, deceptus fuerit chronographus noster, quum Raimbaldi abbatis mortem statuit eodem anno X idus iunii, quum heic die 1. februarii, Leo jam dicatur abbas. » At num in annotatione originali Raimbaldi dies emortualis ad X idus jan. scil. januarii inscriptus fuerat?

Concedimus et largimus vobis et in suprascripto vestro monasterio integram cellam s. Vincentii que vocatur tremoiola. cum omnes eius hereditates et pertinencias. longius et proprius. ut in integrum a nobis vobis vestrisque posteris sit concessa. et tradita. faciendi quod volueritis. absque omni cuiuslibet de nostris pertinentibus et potestatibus contrarietate. vel requisicione. Insuper concessimus et largimus et statuentes firmamus ut nullus neapolitanus vel qualiscumque homo qui sub iure ducatus nostre civitatis sunt vel fuerint. in cella vestri monasterii suprascripti quam habetis in suprascripto loco tremoiola. vel in omnem eius pertinenciam. seu hereditatem. ad pignerandum introire licenciam habeat. Quacumque causacionem habuerit. cum ipso sancto vestro monasterio et noluerit pars vestri monasterii cum illo finem facere (1) per duas et per tres compellaciones. Iterum concedimus vobis et per vos in suprascripto vestro monasterio et omni licere et pertinencia quam iure parti nostre habuit vel habuiturus fuerit pro partibus milicie. sive pro fundora fundata et exfundata. vivorum et mortuorum. aut pro alia qualicumque racione vel tenore in ipsa cella vestra. et in omni eius pertinencia. Interea concessimus in eodem sancto vestro monasterio et statuentes firmamus integras terras vestri monasterii de loco trasanglu. coherentes sibi de una parte coniuncta cum pantano (a). et cum ipso lacu morini (2). et quomodo revolvit ipsum pantanum iuxta ipse pectorite. de alia parte. via cumana que externat inter istas terras et terras sancti ianuarii. de tercia parte coniuncta cum ipsa via et fossato quod descendit da severano et descendente per terram sicut fossato et limite externat (3) et quomodo descendit et vadit in ipso pantano. ubi ipsa fontana esse videtur. de quarta vero parte fine terra suprascripti vestri monasterii. Interim namque concessimus in iamdicto vestro monasterio omnes terras fundatas et exfundatas. quas possidetis in loco vivano (b). et in casolla s. adiutorii. cum. servis et ancillis ibidem commorantibus et cum cespitibus et omni eorum pertinencia. Et ab odierna die et deinceps in omnibus a nobis vobis sanctoque vestro monasterio sit concessum et firmatum atque traditum in vestra in vestra (*sic*) posterisque vestris ex eodem sancto loco sit potestate sicut superius vobis firmatum est. Et hoc firmamus ut nec ad manducandum nec ad manendum. nec ad placitandum in totas terras cellas quas in liburias habetis sine voluntate vestra vel prepositorum ipsius celle nullus neapolitanus aut alius homo nostre potestatis intrare presumant per nullam ad inventam racionem. Interea concessimus et firmamus vobis. ut nullus de exactoribus nostris. aut vice dominus laborantes proprios de ho-

(a) *Quae sequuntur usque ad verbum:* Interim namque *etc. in edit. Muratoriana omittuntur.*
(b) *In editis:* Vicziano.

(1) Heic aliquid deest. Cf. locum similem in alio dipl., quod ego in *Regestis* ad a. 948 adnotavi, nunc autem, re accuratius perpensa, inter suspecta vel interpolata ablego.

(2) De lacu patriensi agitur, sed *morini* nomen, si textus recte se se habet, neque ibi neque in viciniis mihi usque adhuc occurrit.

(3) Quovis pignore certo heic legendum esse: *exfinat*, ut sexcenties in omnibus Neapolitani ducatus documentis offendi. Monachus enim Iohannes, qui instrumenta in *Chronico Vulturnensi* transcripsit, non optime scripturam curialium callebat.

minibus suprascriptis tollere. aut in angarias eos minare. aut alia servicia facere. sed amodo et in perpetuis temporibus servos vel ancillas de suprascripto vestro monasterio pertinentes. vel ad collecticiis. qui ibidem sunt vel fuerint. nullas angarias aut subiecciones in iure puplico ducatui nostro faciant per nullum modum. Concessimus et largimus vobis posterisque vestris. et licere tribuimus in omni tempore. ut liceat monachis vestri monasterii beati Vincentii. servos et ancillas. aldiones undocumque aut quomodocumque ibi pertinent vel pertinentes fuerint. pro quovis modum. fuga lapsus fuerint. tam de suprascripto vestro monasterio quamque de ipse celle. in suprascripta civitate nostra neapolim vel in cunctis locis nobis subiectis. ubicumque eos inveneris per se aut per missos suos. comprehendere. et in suo servicio eos reducere absque omni nostra posterorumque nostrorum vel de nostris cunctis subiectis hominibus contradictione vel ante posicione. Iterum concedimus vobis et firmamus. ut nullus homo a partibus nostris presumat in gualdo (a) vestri monasterii quod est positum iuxta pantanum. aut in ipsa silva vestri monasterii per vim introire. aut ligna exinde incidere, aut animalia ibidem pascere. vel frascas. aut perticas. aut circla (b) exinde tollere. aut excolere. absque voluntate et absolucione predicti vestri monasterii. seu de vice domini celle vestre ecclesie s. sossii. de suprascripto vualdo. per nullam racionem. aut humano arbitrio. Quod si contra hec concessionis nostre institucionem quoquomodo. agere vel venire temptaverit. nostrique decreti ex hoc violator extiterit. componere facimus ad prepositum ipsius celle. aut vobis posterisque vestris. pene nomine auri libras centum.

Et hec nostra concessio largitatis. ut supra legitur sit firma in perpetuum. et sic statuimus et firmamus ut ulterius nullus audeat de his que a nobis collata sunt. vobis posterisque vestris vel suprascripti vestri monasterii et celle eius. quamcumque requisicionem aut amaricacionem facere, et nec nos nec posteri nostri qui post nos in nostro honore. locoque duces accesserint: per nullum modum. Sed sicut superius legitur. et nos pro amore et patrocinio supradicti vestri monasterii beati Vincencii ordinavimus. esse costituimus. sic perennis ac perpetuis temporibus firmum et roboratum permaneat. ubicumque relectum fuerit apud omnibus iudicibus seu potestatibus. Quam concessionem a nobis factam sicut superius legitur. Andream primarium et scriniarium scribere precepimus. in qua et nos subter pro eius firmitate manu nostra propria subscribimus. (1) Adiungimus eciam et firmamus in suprascripto vestro sancto monasterio medietatem de ipso pantano de loco trasangli. Que superius continet cum integrum ipsum fusarium ibique coniunctum. ut habeat et possideat. perpetualiter absque cuiuslibet molestie contradiccione vel requisicione. Supra scriptum die et indiccione suprascripta II.[a] f. (c)

(a) *In cod. Ms.:* glande, *verisimiliter et ex librarii mendo.*

(b) *Male in editis:* circa.

(c) *In editis:* feliciter ; *Muratorius enim siglum explicavit.*

(1) Heic Iohannes monachus reliquum formulae, et in fine subscriptionem etiam Iohannis ducis, quae in membrana originali certe exstabant, omisit.

III.

Iohannes consul et dux atque Petrus abbas monasterii Ss. Severini et Sossii commutant inter se molendinum in loco Tertii, et campum in Arcora.

(Ex exsemplis (1) in *Protoc. di S. Severino* f. 14-28 in R. Neap. archivo)

1. *Charta, in qua Ioannes consul et dux subscribit.*

(949) In nomine domini Dei Salvatoris nostri Iesu Xpi. Imperante domino nostro Constantino magno imperatore anno quadragesimo primo sed et Romano magno imperatore eius filio anno quarto die decima octava mensis iulii Indictione septima Neapoli. Visus namque fui ego Iohannes Domini gratia consul et dux facere chartulam concessionis vobis vid. Petro presbyterum et abbatem monasterii sanctorum Severini et Sossii ubi eorum venerabilia quiescunt corpora situm in vico Missi ut aqua que pertinet ex iure publici nostri decurrisset per terra vestra posita ad Tertium et faceretis ibidem molina ad possessionem supracripti monasterii vestri ad habendum in sempiternum quantas volueritis sicut ipsa firmissima concessio vestra continet quam vos exinde habetis: et postea vos suprascriptus Petrus umilis presbyter et abbas una cum cuncta vestra congregatione monachorum suprascripti sancti vestri monasterii fecistis nobis cartam ut in terra soprascripti sancti vestri monasterii pertinentes ibidem iuxta ipsum molinum vestrum nobis unum molinum facere ad possessionem nostram et de nostris heredibus sicut ipsa chartula continet *quam* vos ex eum ad nomen nostrum fecistis. Pro eo quod nos vobis ipsum cursum aque dedimus sicut ipsa firmissima concessio continet quam vobis fecimus. Et post hoc factum precastitis me ut commutaremus ipsa molina nos daremus vobis ipsum molinum nostrum qui fuit super et vos daretis nobis ipsum molinum vestrum qui fuit subtus a parte occidentis. Et quia nos obaudivimus vos exinde et commutavimus inter nobis ipsa molina per chartam commutationis. Modo vero vos suprascripto Petro humili presbiterum et abbatem iterum precastitis nos ut daremus et redderemus vobis ipsum molinum cum sua pertinentia et vos daretis nobis campum vestrum positum ad arcora pro eum ad vicem in cambium et a presenti die et tempore promptissima voluntate commutavimus et tradivimus nos suprascriptus Iohannes Domini gratia consul et dux vobis denique suprascripto Petro humili presbitero et abbati

(1) In dicto vol., de quo vide praef. ad *Regesta Neap.*, hujus *chartulae* et aliae consimilis, quam inferius addo, exempla saeculo XV et saeculo XVI exscripta habentur. Ut riusque praeterea exempla exstant in Tutinii cod. Ms. apud bibliothecam Brancatianam, cui titulus: *Miscellanea variarum rerum* sign. olim. III, E, 14, nunc III, B, 2. Capacius denique (*Hist. Neap.* t. I p. 158) eiusdem quoque diplomatis particulas quasdam edidit, atque subscriptiones Iohannis ducis et Gregorii loci servatoris ac aliorum graeco charactere praegrandi signatas esse adnotavit, quod in memoratis exemplis minime animadversum fuit.

suprascripti monasterii et ad cuncta congregatione manachorum suprascripti vestri monasterii idest integrum ipsum molinum nostrum positum foris fluveum ad tercium una cum terra in qua factum est et cum introitum suum et omnibus sibi generaliter et in integro pertinentibus qui nobis obvenit a vos ipsos per firmissima chartula commutationis que vos nobis ex eum fecistis quem et ipsa chartula vobis in presentes dedimus et reddidimus cum omnia que continet et cum cursum suum aque vive ex ipsum molinum meum pertinentes: de quibus nihil nobis exinde aliquot remansit aut reservavimus nec in alienam cuiusque personam quod absit commisimus aut iam commictimus potestate et ab hodierna die et deinceps prenominatum integrum molinum nostrum positum foris flubeum in tertium una cum terra in qua factum est et cum introitum suum et omnibus sibi generaliter et in integro pertinentibus qui nobis a vos ipsos obvenit per firmissima chartula commutationis que chartula vobis in presentes dedimus cum omnia que continet et cum cursum suum aque vive sicuti fossata eum segregant ex ipsum molinum mecum pertinentes: de quibus nihil nobis exinde aliquod remansit aut reservavimus in integrum sicut superius legitur a nobis vobis sit commutatum et tradditum in vestra posterisque vestris sanctoque vestro monasterio sit potestate quecumque exinde facere volueritis liberam semper habeatis potestatem absque cuiuslibet anteparatione aut invasione. Etiam si vos et ipsum monasterium ibidem plus molina facere voluerit licentiam et potestatem habeas et neque a nobis suprascripto Ioanne Domini gratia consul et dux neque a nostris heredibus nec a nobis personis summissis nullo tempore numquam vos suprascriptum domino Petro venerabilem abbatem presbyterum suprascripti monasterii sanctorum Severini et Sossii aut posteris vestris vel ipse suprascriptus sanctus et venerabilis vester monasterium et quod absit habeatis exinde aliquando quacumque requisitionem aut molestiam a nobis et in perpetuis temporibus. Et pro vestra posterisque vestris salvatione dedimus vobis suprascripta charta commutationis que vos nobis exinde fecistis cum omnia que continet: pro eo quod ad vicem commutationis recompensationisque accepimus a vobis una cum cuncta tua congregatione monachorum ipsiusdem vestri monasterii idest integrum campum vestrum campese quod positum ipsa parte archora cum integrum intersicum suum qui est a parte meridiei iuxta via publica et cum introitum suum et omnibus sibi generaliter et in integro pertinentibus que in suprascripto monasterio abuerit per offertionis chartula de tummo scripta que et ipsa offertione vos habetis pro reliquum que continent et ipsa offertione exinde in ipso monasterio fecit domina Maria monaca filia domini Marini lociservatoris postmodum autem monachi: unde nihil vobis ex ipsum integrum campum cum suum intersicum in uno tenentia aliquod remansit aut reservastitis sed integrum ipsum campum una cum suprascriptum intersicum suum et omnibus sibi pertinentibus sicuti per passi et per termini seu propter coerentias nobis eum insinuastis in nostra nostrisque heredibus sint potestate quicquid exinde facere voluerimus sicut continent firmissima chartula commutationis nostra que vos nobis exinde fecistis. Insuper stetit nobis ut omni tempore vos et posteris vestris integrum ipsum campum

cum ipsum intersicum suum et omnibus sibi pertinentibus ut supra legitur ab omni homine omnique persona nobis nostrisque heredibus exinde in omnibus antestare et defensare debeatis quia ita nobis stetit. Si autem quotiescumque tempore nos aut heredibus nostris contra hanc chartulam commutationis ut super legitur venire presumpserimus et minime ea adimpleverimus omnibus suprascriptis aut in aliquid offensi fuerimus pro quovis modum aut summissis personis tum componimus vobis posterisque vestris et in suprascripto monasterio auri libra una bisantia. Et hec chartula commutationis ut super legitur sit firma scripta per manus Gregorii Curialis et scriniarii per suprascripta septima Indictione.

† IOANNEC KONCOYΛ EΘ ΔOYΞ COYB. *i. e. Ioannes consul et dux subscripsi.*

† EΓO ΓPEΓOPIOYC ΛOICIC ? (1) ΦIΛIOYC ΔNI IΩ. ΔOYCI POΓATOYC Λ CCTO. ΔNΩ ΔOYCI TECTIC COYB. *i. e. Ego Gregorius Lociservator* (2) *filius domini Ioànnis ducis rogatus a soprascripto domino duce testis subscripsi.*

† Ego Petrus Prefectus filius domini Sergii Pref. rogatus a suprascripto domino duce testis subscripsi.

† Ego Gregorius pref. rogatus a soprascripto domino duce testis subscripsi.

† Ego Gregorius Curialis et scriniarius complevi per suprascripta septima indictione (3).

(1) Ita ap. Capacium, qui vocem *lociservatoris* breviatam ex errore *Loisis* interpretatus est.

(2) De eo vide quae dixi t. I, p. 111, col. a.

(3) Huius diplomatis meminit etiam PEREGRINIUS, *Hist. princ. Long.* ed. Pratillio t. III, p. 193, sed minus recte ipsum ad a. 958 vel 959 amandavit.

2. Charta appar, in qua Petrus abbas et monachi subscribunt.

In nomine domini Dei Salvatoris nostri Iesu Xpi. Imperante domino nostro Constantino magno Imperatore anno quadragesimoprimo sed et Romano magno Imperatore eius filio anno quarto die octavadecima mensis iulii Indictione septima Neapoli. Visus namque fuistis vos vid. dominus Iohannes domini gratia consul et dux facere chartulam concessionis nobis vid. Petro humili presbytero et abbati monasterii Ss. Severini et Sossii ubi eorum venerabilia quiescunt corpora situm in vico Missi ut aqua que pertinet ex iure pubblici vestri decurrisset per terram nostram positam in Tertium et faceretis ibi molina ad possessionem supradicti monasterii nostri ad habendum in sempiternum quantum voluerimus sicut ipsa firmissima concessio vestra continet quam vos exinde habetis et postea nos supradictus Petrus humilis presbyter et abbas una cum cuncta nostra congregatione monachorum suprascripti sancti nostri monasterii fecimus vobis chartam ut in terra suprascripti sancti nostri monasterii pertinentem ibidem iuxta ipsum molinum nostrum vobis unum molinum facere in possessione vestra et de vestris heredibus sicut ipsa chartula continet quam nos ex eum in nomine vestri fecimus. Propter quod vos nobis ipsum cursum aque dedistis sicut ipsa firmissima concessio nostra continet quam nobis fecistis et post hoc factum precastis me ut commutaremus ipsa molina nos daremus vobis ipsum molinum nostrum qui fuit super et vos daretis nobis ipsum molinum vestrum qui fuit subtus a parte occidentis. Et quia vos suprascriptus dominus Iohannes dux obaudistis nos exinde et commutavimus inter nobis ipsa molina per chartam commutationis. Modo vero nos suprascriptus Petrus humilis presbyter et abbas iterum precavimus vos ut daretis et redderetis nobis ipsum molinum cum sua pertinentia et nos daremus vobis in vicem campum nostrum positum ad arcora pro eum invicem in cambium et a presenti die et tempore promptissima voluntate commutavimus nos suprascriptus Petrus humilis presbyter et abbas una cum cuncta congregatione monachorum suprascripti sancti et venerabilis nostri monasterii vobis denique suprascripto domino Iohanni Domini gratia consul et dux idest integrum campum nostrum campense quod pro ista parte arcora cum integrum intersicum suum qui est a parte meridiei iuxta viam publicam una cum introitu suo et omnibus sibi generaliter et in integrum pertinentibus qui in suprascripto sancto et venerabili nostro monasterio obvenit a domina Maria monacha filia quondam domini Marini lociservatoris, postmodum vero monacho visavio vestro per firmissimam chartulam offertionis scriptam que et ipsam chartulam offertionis scriptam nos habemus pro reliquum quod continet. Coherentem in suprascriptum integrum campum et in suprascriptum intersicum in uno tenientia ab uno latere parte occidentis campum heredum quondam domini Iohannis filii domini Salamonis sicuti inter se terminus lapideus est finis et habet per longitudinem in ipso latere passi tricentum decem et octo, et de uno capite a parte septemtrionis coheret campum heredum domini Stefani sicuti inter se levata est finis et habet ibidem latitudinem passi quadraginta et ex alio latere a parte orientis coheret ipsum arcora dudum aqueductus usque et ad ipsum intersicum et da ipsum intersicum in parte meridie coheret terra sanctorum Apostolorum et habet in ipso latere a parte orientis da fine de campum heredum predicti domini Stefani qui est a parte septemtrionis usque in nostrum intersicum passi ducentidui et da ipsu intersicum usque ad supradicta via publica parte meridie habet passi centum quadraginta duo de longitudine et de latitudine ipse intersicus habet passi centum duodecim et a parte meridiei in capite de supradictum intersicum coheret suprascripta via publica que ducit ad ipsa arcora et habet ibidem latitudinem passi sexaginta sex. Isti omnes passi mensurati sunt in passum (949)

ferreum maioris neapolitane ecclesie: de quibus nihil nobis exinde aliquod remansit aut reservavimus nec in aliena cuiusque persone quod absit commissimus aut iam commictimus potestate et a presenti die et deinceps prenominatum integrum supradictum campum nostrum cum sapradicto integrum intersicum suum in uno tenientia et cum introytum suum et omnibus sibi pertinentibus positum vero ista parte Arcora quem vobis per supradicti passi et ipsi termini seu et predictas coherentias vobis eum insinuavimus in integrum sicut superius legitur a nobis cum cuncta congregatione monachorum supradicti nostri monasterii vobis sit commutatum et tradditum in vestra vestrisque heredibus sit potestate quicquid exinde facere volueritis ab hodierna die semper liberam habeatis potestatem: et neque a nobis supradicto Petro humili abbate presbitero supradicti monasterii sanctorum Severini et sossii ubi eorum venerabilia corpora quiescunt una cum cuncta congregatione monachorum supradicti sancti et venerabilis nostri monasterii nec a supradicto sancto nostro monasterio nec a nobis personis summissis nullo tempore numquam vos supradictus dominus Iohannes Domini gratia consul et dux aut vestri heredes quod absit habeatis exinde aliquando quacumque requisicione aut molestia a nunc et inperpetuis temporibus. Insuper omni tempore nos et posteri nostri et supradictus sanctus noster monasterius vobis vestrisque heredibus supradictum integrum campum cum supradictum integrum intersicum suum in uno tenientia ut superius legitur ab omni homine omnique persona in omnibus antestare et defendere debeamus absque vestra heredumque vestrorum damnietate nulla dantes occasione. Propter quod in vicem commutationis accepimus a vobis suprascriptum integrum molinum vestrum foris flubeun in tertium una cum terra sua et cursum aque sue et fossata cum sua pertinentia absque qualibet invasione quod nos tibi antea in cambium dedimus ut superius legitur per chartulam commutationis quam et ipsa chartula nobis in presentis dedistis cum omnia que continet unde nichil vobis exinde aliquod remansit aut reservastitis. Insuper nobis licentiam dedistis ut supradicto monasterio potestatem habeat illuc ibidem plus molina facere cum sua pertinentia et in nostra nostrisque posteris sit potestate quicquid exinde facere voluerimus sicut ipsa charta nostra continet quam tu nobis hodie commutacionis fecistis: si autem nos aut posteris nostris contra hanc chartulam commutationis ut supra legitur venire presumpserimus et minime adimpleverimus omnibus supradictis per quemlibet modum aut summissis personis tunc componimus nos et posteros nostros et supradictum sanctum nostrum monasterium vobis vestrisque heredibus auri libra una et hec chartula ut superius legitur sit firma semper (1) per manus Gregorii Curialis et scriniarii per supradicta indictione.

Petrus presbyter et abbas feci et subscripsi.

Ermengarius presbyter et monachus subscripsi.

Iohannes presbyter et monachus subscripsi.

Palumbus presbyter et monachus subscripsi.

Iohannes monachus subscripsi.

Ego Iohannes filius domini Anastasii rogatus a suprascripto abbate et suprascripta congregatione testis subscripsi.

Ego Gregorius filius domini Petri rogatus a suprascripto abbate et suprascripta congregatione testis subscripsi.

Ego Cesarius filius domini Iohanni rogatus a suprascripto abbate et suprascripta congregatione testis subscripsi.

Ego Gregorius Curialis et scriniarius complevi per suprascripta septima indictione.

(1) Ita in cod. Ms. sed legendum est: *scripta,* ut in aliis hujusmodi instrumentis.

IV.

Iohannes consul et dux commutat modium terrae situm Calbetiani cum terra Caesarii Ferrari posita in campo ante S. Iacobum.

(Ex autographo in R. Neap. Archivo. Cf. R. N. A. M. t. II, p. 21).

In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi Imperante domino nostro Constantino magno imperatore anno quadragesimo quarto: sed et romano magno Imperatore eius filio anno septimo die tertia mensis nobembrii indictione decima neapoli. Certum est nos iohannes domini gratia consul et dux filio quidem venerabilis domini marini duci una cum consensu et voluntate presentem theodore gloriose ducisse coniugi meae: a presenti die promptissima voluntate commutavi et tradidi vobis cesario ferrario filio iohannis dudum ferrarii et maiorarii postmodum vero monachi: Idest integrum unum modium meum de terra que nominatur at mulianum pictulum situm in calbetitianum una cum arboribus et cum introitum suum et omnibus sivi pertinentibus et sunt filas duas de arbores, et coheret sivi ab uno latere terra leoni demaria de nominato loco calbetitianum: et ab alio latere et de uno capite est terra nostra que in nostra reservavimus potestate qui pertinet nobis pro exfundatum de fundum nostrum qui nominatur de fracta sita de ipso loco, et ab alio capite est similiter terra nostra que in nostra reservavimus potestate qui pertinet nobis de alium fundum nostrum exfundatum qui fuit de romanum de nominato loco: unde nihil nobis exinde aliquod remansit aut reservavi nec in alienam personam commisimus aut iam committimus potestate: et a presenti die et deinceps prenominatum memoratum unum modium nostrum de nominata terra que nominatur at mulianum pictulum situm in nominato loco qui nominatur calbetitianum et sunt fila dua de arbores una cum introitum suum et omnibus sivi pertinentibus quatenus per nominatas coherentias vobis eum insinuavi ut super legitur a nobis tivi sit commutatum et traditum in tua nominati cesarii ferrarii et de tuis heredibus sint potestate queque exinde facere volueritis: et neque a nobis nominato iohanne domini gratia Consul et dux una cum consensu et voluntate nominate thedore gloriose ducisse coniugi meae neque a nostris heredibus nec a nobis personis summissis nullo tempore numquam tu nominato cesario ferrario aut tuis heredibus quod absit abeatis exinde aliquando qualibet requesitionem aut molestiam a nunc et in perpetuis temporibus. Insuper et ab omni omine omnique. persona omni tempore nos et heredibus nostris tivi tuisque heredibus nominata dua fila nostra de nominata terra que tivi dedimus que nominatur mulianum pictulum in omnibus antestare et defensare debeamus: propter quod at vicem commutationis recompensationisque accepimus a vobis idest integra una terra tua campese que nominatur ad arbustum in campum ante sanctum iacobum una cum introitum suum et omnibus sivi pertinentibus et sunt tertiaria dua et abet finis ab uno latere terra

monasterii sancti gregorii et ab alio latere est terra heredum stephani maiorarii thii tui. et de uno capite est terra landemari langubardi. et ab alio capite est terra heredum marini tata vel aliqui at fine sunt: unde nihil tivi exinde aliquod remansit aut reservastis. insuper omni tempore tu et eredibus tuis illos ab omni homine omnique persona a partibus langubardorum et a partibus neapolitanorum in omnibus antestare et defensare debeatis quia ita nobis stetit (1). Si autem nos vel heredibus nostris contra anc chartulam commutationis ut super legitur venire presumpserimus per quobis modum aut summissis personis tunc Componimus nos et heredibus nostris vobis et a vestris heredibus auri solidos decem bytianteos et hec chartula commutationis ut super legitur sit firma scripta per manum gregorii Curialis et scriniarii scribere rogatus et teste subscripsi per nominata decima indictione † hoc signum † manus nominate theodore gloriose ducisse ego qui nominatos pro eas subscripsi. †

† ΙΟΑΝΝΕϹ ΚΟΝϹΟΥΛ ΕΘ ΔΟΥΞ ϹΟΥΒ, *i. e. Ioannes cousul et dux subscripsi.*

† ΕΓΟ ΙΟΑΝΝΕϹ ΦΙΔΙΟΥϹ ΔΝ ΕΥϹΤΡΑΤΙ ΡΟΓΑΤΟΥϹ Α ϹϹΤΟϹ ΙΟΥΓΑΛΕϹ ΤΕϹΤΙ ϹΟΥΒ † *i. e. Ego Ioannes filius d. Enstratii rogatus a suprascriptos iugales testi subscripsi.*

† ΕΓΟ ΓΡΕΓΟΡΙΟΥϹ ΦΙΛΙΟΥϹ ΔΝ ΚΕϹΑΡΙΙ ΡΟΓΑΤΟΥϹ Α ϹϹΤΟϹ ΙΟΥΓΑΛΕϹ ΤΕϹΤΙ ϹΟΥΒ. † *i. e. Ego Gregorius filius d. Cesarii rogatus a suprascriptos iugales testi subscripsi.*

† Ego gregorius filius domini sergii rogatus a suprascriptos iugales testi subscripsi. †

† Ego gregorius Curialis et scriniarius post subscriptionem testium complevi et absolvi per nominata decima indictione. †

(1) Quae sequuntur usque ad finem instrumenti litografice exemplata sunt in tab. IV, primi voluminis.

V.

Marinus consul et dux confirmat Petro abbati monasterii Ss. Severini et Sossii omnes donationes et privilegia eidem monasterio a praedecessoribus ducibus et ab aliis hominibus concessa.

(Ex apographo in R. Neap. Archivo. Cf. R. N. A. M. t. II, p. 239).

In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi Imperante domino nostro basilio magno Imperatore anno quintodecimo. sed et constantino frater eius magno imperatore anno tertio decimo. die vicesima mensis nobembrii indictione quarta neapoli Nos marinus in dei nomine eminentissimus Consul et dux atque imperiali anthipatus patricius. A presenti die pro dei amore et mercede et salbationis anime nostre concessimus et tradidimus vobis domino petro veneravile abbate monasterii sanctorum seberini et sossii ubi eorum veneravilia quiescunt corpora et per vos in memorato sancto et veneravili vestro monasterio eiusque memorate vestre congregationis monachorum presentibus et futuris. Idest omnibus hospitibus et commenditis censitis seu serbi prefati vestri monasterii ubique eos habueritis in toto ducatui istius nostre civitatis. Una cum uxores et filiis filiabus nuruus adque nepotibus illorum et cum omnes. illorum fundoras et terris seu cespites vel omnem consuetudinarias censoras et regulis seu responsaticas et angarias et salutes et cum omnibus adiacentibus et pertinentibus eis simul et cum omnem illorum paratum et conquesitum que habent vel abuerint et que amodo in antea parare vel conquirere potuerint per quovis modum omnibusque eis pertinentibus seu concessimus et firmamus vobis et omnem publicum una cum omnem licerem et pertinentias quas ipse iure publico nostri habent vel abuerint per quobis modum in memoratis omnibus hospitibus et commenditis censitis et serbi memorati vestri monasterii quantos et quales modo abetis vel abituris fueritis per quovis modum: et av odierna die et deinceps omnibus memoratis qualiter superius legitur totum et inclitum a nobis vobis et per vos in memorato sancto et venerabili vestro monasterio eiusque memorate vestre congregationis monachorum presentibus et futuris sint concessum et traditum in vestra posterisque: vestris sanctoque vestro monasterio sint potestate queque exinde facere volueritis liberam semper habeatis potestate. et numquam presummamus nos aut posteris nostris nec qualibet castaldata nostra neque vice domini nostri nec dicani neque alia quavis personas qualibet angarias aut exscaticas vel erbaticas aut qualibet datum neque alia qualibet datione aut salute querere ad eis per nullum modum nec per nullam ratione neque per nullum studium in perpetuum. tamen ipsas omnes angarias et omnem publicum simul et alias omnes dationes quas in nostro iure publico nostri facere et dare debent memoratis omnibus ospitibus et commenditis censitis seu serbis memorati vestri monasterii vel illorum heredibus amodo et semper vobis posterisque: vestris et in memorato sancto vestro monasterio illut facere et dare debeant (975)

imperpetuum. seu concedimus vobis et per vos in memorato sancto vestro monasterio ut si femine de ipsis hominibus ospitibus et commenditis censitis seu serbis memorati vestri monasterii et de illorum heredibus homines liberis mariti tulerint a tunc sint in memorato sancto vestro monasterio illas angarias de ipsis homines et de illorum heredibus concessas et traditas ut diximus vobis et in memorato sancto vestro monasterio in sempiternum. Interea concessimus et tradidimus vobis et per vos in memorato sancto et veneravili vestro monasterio et omnem paratum et conquesitum de omnes homines commenditis et defisis vestri monasterii quanti habitant in fundoras et terris memorati vestri monasterii. aut quanti defisis memorati vestri monasterii abitant intus istam nostram civitatem sibe quantum modo paratum et conquesitum habent vel que amodo et deinceps paraberint et conquisierint per quovis modum. et hab anc die et semper in vestra posterisque. vestris sint potestate qualiter exinde facere volueritis liberam semper habeatis potestate. Insuper firmamus vobis posterisque. vestris sanctoque vestro monasterio eiusque memorate vestre congregationis monachorum. omnes preceptoras et concessiones quas habent memorati vestri monasterii da nos simul et da singulis consulibus et ducibus istius nostre civitatis aut da partibus langobardorum una cum omnes chartulas et offertiones quas fecerunt christianissimis viris ac mulieribus in prefati vestri monasterii. et neque a nobis memoratus marinus domini gratia consul et dux atque imperiali anthipatus patricius: neque a posteris nostris qui post nos in nostro onore locoque duces accesserint nullo tempore numquam vos memorato domino petro veneravili abati aut posteris vestris vel memoratus sanctus vester monasterius quod absit habeatis de omnibus memoratis que vobis superius concessimus et firmavimus qualiter superius legitur aliquando quacumque requisitione aut molestia a nunc et imperpetuis temporibus. quam concessione sicud superius legitur a nobis facta gregorius primarius scribere precepimus in qua et nos subter. pro eius firmitate manus nostras proprias subscripsimus die et indictione memorata quarta † alia manu. . . . .

† Marinus Consul et Imperialis anthipatus patricius subscripsi . . . . nam alia manu . . . .

† ego petrus primarius Curie huius civitatis neapolis hec exemplarie concessionis quem eius authentica nobis dedi dominus bonus venerabilis abbas memorati monasterii sanctorum seberini et sossi pro ista exemplaria at eodem monasterium faciendum sicut superius legitur ex ipsa authentica relebata et cum nimia cautela at singulas relectas pro ampliorem eius firmitatem manus propria snbscripsi in die vicesima mensis martii indictione secunda. (1)

(1) Scil. anno 1004, nam post Roccium, qui anno 998 (*Reg. Neap.* n. 306) monasterii Ss. Severini et Sossii regimen tenebat, Bonus abbas habetur, ut ex instr. an. 1005 ind. III (*Reg. Neap.* n. 324) arguo. Ipse vero sequentem ind. VIII vix aut ne vix quidem attigit: Antonius enim abbas in instr. an. 1010 ind. VIII (*Reg. Neap.* n. 337) apparet, neque alius abbas Bonus deinceps in eodem monasterio occurrit.

† Ego sergius tabularius Curie huius civitatis neapolis hec exemplarie concessionis quem eius authentica nobis dedi dominus bonus venerabilis abbas memorati monasterii sanctorum seberini et sossi pro ista exemplaria ad eodem monasterium faciendum sicut superius legitur ex ipsa authentica relebata et cum nimia cautela at singulas relectas pro ampliorem eius firmitatem manus propria subscripsi in die vicesima mensis martii indictione secunda. †

VI.

Sergius consul et dux concedit Roccio abbati monasterii Ss. Severini et Sossii licentiam piscandi in medietate lacus Patriensis ad neapolitanum ducatum pertinente.

(Ex autographo in R. Neap. Archivo. Cf. R. N. A. M. t. III, p. 159).

(998) In nomine domini dei Salvatoris nostri Iesu Christi Imperante domino nostro basilio magno imperatore anno tricesimo octavo, sed et constantino magno imperatore frater eius anno tricesimo quinto. Die septima decima mensis ianuarii indictione undecima neapoli. Nos Sergius in Dei nomine etminentissimus consul et dux: Concessimus et firmamus vobis domino roccio venerabili abbati monasterii sanctorum seberini et *sossii ubi eorum venerabilia quiescunt corpora* et per vos in memorato sancto et venerabili vestro monasterio: Ut licentiam et potestatem habeatis vos et *posteri vestri* . . . . . (1). ponere et habere una paraturia ad piscandum cum duas lontras *in medietate nostra partibus* . . . . quodcumque exinde habere et tollere potueritis in vestra *posterisque* vestris sint potestatem queque exinde facere volueritis. etiam licentiam et potestatem habeant vestris hominibus quos ibidem *direxeritis* ad piscandum in ipsa medietate nostra partibus militie reditum facere et habere et ligna et palea exinde *abscindere* quantas ad eis necessum fuerit et numquam presummimus nos aut posteris nostris nec nostris hordinatis quos in *ipsum* lacum patriense posuerimus et hordinaverimus nec alia quavis persona vobis posterisque vestris nec ipsorum hominibus vestris exinde aliquod tollere aut querere nec contrare perennis ac perpetuis temporibus. et neque a nobis memorato sergio dei gratia consul et dux neque a posteris nostris qui post nos in nostro honore locoque duces accesserint nullo tempore numquam vos memorato domino roccio venerabili abbati aut posteris vestris nec memoratus sanctus vester monasterius quod absit habeatis exinde aliquando quacumque requesitionem aut molestia per nullum modum nec per summissis personis ha nunc et imperpetuis temporibus. Quam concessione sicud superius legitur a nobis facta petro primario scribere precepimus in qua et nos subter pro ampliorem eius

(1) Membrana, qua situ vel aqua foedata, qua incuria vel usu disrupta, pluribus in locis legi nequit; quae vere ex *formulis* consuetis vel ex aliis eiusdem membranae locis similibus conjici poterant, et *Regii Neapolitani Archivii Monumentorum* editores in textu apte iam suppleverunt, ea itidem ego cursivis, uti vocant, litteris impressa heic repeto.

firmitatem manus proprias subscripsimus die et indictione memorata undecima (1) et oc recordando firmamus ut hec omnia et ex omnibus memoratis que superius vobis concessimus et firmavimus in vestra posterisque vestris memoratoque sancto vestro monasterio sint potestatem ad abendum in sempiternum pro frugiandum perennis ac perpetuis temporibus et numquam presumetis vos aut posteris vestris vel alicui ubique illud dare aut cedere nec extraneare per nullum modum et si facere presumpseritis bacuum maneat nullam habeat firmitatem in sem. . . . (2). †

† Sergius Consul et dux subscripsi. †

(1) Quae sequuntur usque ad finem ex autographo expressa lector in tabula VI primi voluminis videre potest.

(2) Scil: *in sempiternum*. Reliquae enim litterae, ob marginis erosionem, desunt. Minus recte *Regii Neap. archivi Monumentorum* editores legunt: *nostram*.

VII.

Iohannes consul et dux Philippo Igumeno monasterii Ss. Sergi et Bacchi concedit immunitatem pro navibus eiusdem monasterii.

(Ex autographo (1) in bibl. *Soc. histor. Neap.*)

(999) In nomine domini dei salvatoris nostri ihesu christi imperante domino nostro basilio magno imperatore anno tricesimo nono sed et constantino frater eius magno imperatore anno tricesimo sexto : die vicesima nona mensis martii indictione duodecima neapoli. Nos iohannes in dei nomine eminentissimus consul et dux pro domini ammore et anime nostre mercedis concessimus et largimus seu relaxamus vobis domino filippo venerabili ygumeno monasterii sanctorum sergi et bachi qui nunc congregatus est in monasterio sanctorum theodori et sebastiani qui appellatur casa picta situm in biridiario et per vos in memorato sancto et venerabili vestro monasterio eiusque memorate vestre congregationi presentibus et futuris in sempiternum primum homnium firmamus vobis ud licentiam et potestatem habeatis vos et posteris vestris et memoratus sanctus vester monasterius dirigere ad navigandum hubi volueritis homnes vestras navidias sibe magnos sibe parbos sibe que nunc abetis vel abituri fueritis sibe cum vestris hominibus vel extraneis nauticis qualiter volueritis quandoquidem vobis placueris : et nullam centrarietatem nos aut posteris nostris vobis posterisque vestris exinde faciamus: per nullum modum et omnia et in omnibus quas cumque per quolibet modum nobis posterisque nostris exinde dare et facere debueritis vos aut posteris vestris haut ipsis hominibus vel nauticis extraneis haut nauclerius ex ipso vestro navidio a nobis vobis posterisque vestris sint concessum et traditum seu relaxatum et in vestra posterisque vestris sint potestatem quidquid exinde facere volueritis : et numquam presummimus nos aut posteris nostris nec abeamus licentiam vobis posterisque vestris sancteque vestre (2) congregationis aliquo modo exinde aliquod querere tollere aut contraire per nullum modum nec per summissam personam ha nunc et in perpetuis temporibus : Quam concessionem sicud superius legitur a nobis factam mastalo primario scrivere precepimus in qua et nos subter pro eius firmitate manus nostras proprias subscripsimus die et indictione memorata duodecima.

† Iohannes consul et dux sub. †

(1) Diploma nunc primum prodit. Olim exstabat in archivo monasterii Ss. Petri et Sebastiani sign. n. CCXXII antiquiore, n. 1486 recenti.

(2) Et haec, quae sequuntur usque ad finem, in tab. VI. ejusdem primi voluminis lector videre potest.

VIII.

Sergius consul et dux Mariae abbatissae monasterium Ss. Gregorii et Sebastiani atque Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi ac S. Pantaleonis cum omnibus eius rebus et pertinentiis concedit.

(Ex cod. Ms. TUTINII: *Variarum rerum* (1) in bibl. Brancacciana fol. 15).

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Iesu Christi Imperante domino nostro (1009) Basilio magno imperatore anno quinquagesimo sed et Constantino fratre eius magno imperatore anno quadragesimo septimo, die secunda mensis septembris Ind. octava Neapoli. Nos Sergius in dei nomine eminentissimus Consul et Dux concessimus et tradidimus tibi Maria venerabili abbatissa, filia quondam Stephani parentis nostri, idest integrum monasterium et coenobium vocabulo veatissimi Gregorii et Sebastiani, atque Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, et beati Pantaleonis Christi Martyris, que (2) in unum aggregavimus et copulavimus constitutum intus Parthenope et a deo protecta nostra civitatis Neapolis, in platea que Nustriana vocatur una cum omnibus ecclesiis et domibus et habitationibus seu hortuas quamque et cum omnibus casalibus et terris cultis et incultis, intus et foris, montibus et collibus, ribis, aquis, pratis, pascuis, seu olivetis, et cerquetis, seu castanietis et padulis, et excatoriis, et infusarias, quamque et omnibus hospitibus et commenditis fundatis et exfundatis vivorum et mortuorum, omnia cum cespitibus et consuetudinibus, et regulis, et responsaticas et salutis vel omnibus adiacentibus et pertinentibus eis, simul et cum omnibus servis et ancillis, ac defisis de intus et foris, et cum omnibus adiacentibus et pertinentibus eis seu et omnibus mobilibus rebus, mobilium et immobilium seseque moventibus omnibus ad supradictum monasterium, que in unum aggregavimus et copulavimus, ut superius diximus, generaliter et integro omnia pertinentibus, et in omnibus, quantum et quomodo ibidem pertinuit, et pertinet, vel pertinentes fuerit per quobis modum vel que ibi a christianissimis viris et mulieribus offertum aut datum vel sublegatum est aut fuerit per qualemcumque modum, ut diximus, intus et foris in integro a nobis tibi iamdicta Maria venerabili abbatissa sit concessum et traditum, ea videlicet ratione quatenus a nunc, et omnibus diebus vite tue in tua sit potestate tenendi et dominandi, seu frugiandi, et de ipsis refrugias faciendi omnia que volueritis, et sanctam eius congregationem monacharum cum Dei adiutorium et timore regulariter regere et gubernare debeatis sub castitate et monachali disciplina, ut regula veati Benedicti docet: ut incessanter vos et predicta vestra Congregatione monacharum die noctuque ibidem vesperas et matutinas,

(1) CAPACIUS, *Hist. Neap.* t. I, p. 141 partes quasdam huius membranae edidit. Documentum exstat etiam breviatum in *Notam. instrum. S. Gregorii* sub n. 399.

(2) Diphtongum, qua Tutinius in suo exemplo utitur, utpote quae in membranis omnino desit, ego heic omitto.

seu missarum sollemnias, et oris laudibus et luminariorum concinnationes sine mora afferre: siquidem ex hoc ordine predicto monasterio, que in unum aggregabimus et copulabimus ab omnis servitutis conditione pro Dei amore, et veati Benedicti, cuius regula tenere videmini, ita solvere curabimus ut amodo et deinceps, et semper, tu prefata Maria abbatissa in vita tua, quam et vestra Congregatio post tuum obitum, licentiam et potestatem habeatis, absque omni contradictione, abbatissam ibidem eligere et ordinare secundum Dominum, et secundum regula sancti Benedicti, et neque a nobis supradictus Sergius Domini gratia Consul et Dux, neque a nostris successoribus liceat ex rebus prefati monasterii vel hospitibus et fundoras viborum et mortuorum fundati et exfundati et omnibus commenditis fundatis et exfundatis, omnia cum cespitibus et consuetudinibus vel omnibus censibus vel pertinentibus eis et omnibus serbis et ancillis ac defisis cum omnibus illorum pertinentibus, omnia et in omnibus ut super legitur et que ibi offerte sunt vel fuerint aliquomodolibet subtraere aut populare nec alterius ordinis monachos aut sacerdotes ibidem eligere aut ordinare vel pro tali ordine pretium vel munus suscipere, set sicut superius sancimus, omnes predicta monasteria sanctarumque ecclesiarum censarumque (1) rerum ordinatione in tua predicta Maria venerabilis abbatissa sanctaque vestra congregatione posterisque vestras sint et permaneant potestatem: Ideo hoc fieri decrebimus ut amodo et deinceps et semper predicta congregatio in Dei laudibus alacrior et devotior existat quatenus pro vita nostra et salute patrie liberiores animo omnipotenti Domino sedulam offerant precem (2). Et si qui hunc mundum derelinquere cupiunt et festinant sub almi patris Benedicti iugo colla submittere alacriores salutis eis pandamus. Insuper concessimus et firmamus vobis et in suprascripto sancto vestro monasterio vestreque congregationis idest omnem paratum et conquesitum de omnes homines commenditis et defisis vestris seu et de omnibus hospitibus ipsius dicti monasterii quantumodo paratum et conquesitum abent vel si amodo et deinceps paraberint et conquesierint per quovis modum in vestra posterasque vestras sint potestatem: etiam concedimus et firmamus vobis et in suprascripto sancto vestro monasterio vestreque congregationis monacharum sive que nunc esse videtur vel futura ibi accesserint in perpetuum offerimus aut per quolibet modum dare volueris res aut substantias suas sive domos aut casales terras vel ortuas aut ospitibus et comenditis fundati et exfundati vivorum et mortuorum cum cespitibus consuetudinibus eorum et regulis vel omnibus adiacentibus et pertinentibus eis seu mobilibus rebus sint a nobis omnes absoluti omnia vobis obtulendi et dandi seu tradendi et quicumque Curialis vel tabularius aut notarius et primarius ab hoc aberitis (3) ad scribendum sint illis absolutis omnia vos scribendi

(1) Ita in cod. Ms. Tutinii; at verisimiliter legendum est: *ceterarumque*. Capacius periodum hanc omittit.

(2) Huc usque Capacius diploma exscripsit.

(3) Ita in cod. Ms. sed ex sequenti diplomate, n. IX ad idem monasterium dato quo eadem verba repetita sunt, legendum est: *abbocaberitis*.

et peragendi omnia que vobis placuerit, et ipsa omnia que adprehenseritis firmum extabyle habere debeatis pro is ac perpetuis temporibus. Iterum firmamus vobis et omnes chartule et scriptiones seu berboras et preceptora et concessiones et omnes offertiones, quas in suprascripto sancto vestro monasterio nos et anterioribus nostris fecimus aut ibidem fecerunt aut fecerint christianissimi viris vel mulieribus aut qualiter et quomodo continere bidetur firmum et stabile permaneat in perpetuum: et nullatenus presumimus nos supradictus Sergius Domini gratia Consul et dux neque a posteris nostris qui post nos in nostro honore locoque duces accesserint te supradicta Maria abbatissa exinde foris eiicere aut quolibet sacerdotes aut monachos vel alia quabis personas super te ibidem imponere de qualecumque ordinibus fuerit: aut aliquod pertinentes de suprascripto monasterio, que in unum aggregavimus et copulabimus, que et qualiter et quomodo superius legitur, a tua potestate subtraere vel alienare per nullum modum nullamque adinventam rationem a nunc et perpetuis temporibus. Quod vero preceptum sicut superius legitur a nobis factum petrum primario scribere precepimus, in qua et nos subter pro ampliorem eius firmitatem manus nostram propria subscribimus die et indictione suprascripta octaba. et hoc memorando concedo et adfirmo vobis et omnes molinas ex ipso monasterio, que in unum aggregabimus et copulabimus cum arcaturie et aquisductis suis omnibusque eis pertinentibus.

† Sergius Consul et Dux subscripsi. †

IX.

Sergius consul et dux accipit ad lavorandum *a monasterio Ss. Sergii et Bacchi terras quasdam in Campilione et Campana.*

(Ex apographo in R. N. Archivo. Cf. R. N. A. M. t. IV, p. 103).

(1016) In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi Imperante domino nostro basilio magno imperatore anno quinquagesimo septimo: sed et constantino frater eius magno imperatore anno quinquagesimo quarto: Die vicesima mensis decembrii indictione quintadecima neapoli: Certum est nos sergius in dei nomine eminentissimus consul et dux: A presenti die promtissima voluntate promicto vobis prankatius humilem Igumeno monasterii sanctorum theodori et sebastiani qui appellatur kasapicta situm in biridiarium et at cuncta vestra congregationem monachorum memorati sancti et venerabilis vestri monasterii propter quod vos nobis dedistitis ad lavorandum inclitas omnes terras vestras cultas et non cultas. Una cum scapulis et ribis monte et monticellum insimul quantas et quales obbenit in memorato vestro monasterio pertinet aut pertinentes fuerit de loco quivocatur campilionem. seum et de loco qui dicitur kampana. Una cum arvoribus et introitas hearum et omnibus eis pertinentibus pertinente in memorato vestro monasterio per quovis modum quatenus omnia et ex omnibus memoratis qualiter superius legitur in mea meisque heredibus sit potestatem ea tenendi et dominandi seum lavorandi et ad lavorandum tribuendi fruendi et comedendi et de ipsas frugias faciendi omnia que voluerimus. Unde nullam partem aud sorte nobis exinde non queratis aut tollatis per nullum modum : tantumodo ego et heredes meis vobis et in memorato sancto et venerabili vestro monasterio exinde omni annue per sancte marie de augusto mense in omni transacta dare debeamus tantas modias de bictum de que ibi seminaverimus quanta modias dederint aliis hominibus consortibus vestris qui ibidem terras ad lavorandum detinuerint et quinque modias superflua tractum paratum vonum siccum usque intus memorato sancto et venerabili vestro monasterio mensuratum at modium iustum de comedendum. et pro ipsis silbis vobis dare debeamus in auro tare unum nullam exinde dantes aut mittentes occasionem et sine omni amaricatione : et nullatenus presumetis vos aut posteris vestris vel memorato vestro monasterio mihi meisque heredibus exinde aliquod tollere aut minuare per nullum modum nullamque atinventa rationem nec per summissis personis: Dantes et atinplentes ego et heredibus meis omni annue in memorato vestro monasterio omnibus memoratis ut super legitur: et qualem tempore ego aut heredes meis vobis et in memorato vestro monasterio illos abrenuntiare voluerimus licentiam abeamus: Insuper stetit nobis ut si vos aut posteris vestris memoratoque vestro monasterio de ipsi terris vestris lavorare potueritis et volueritis clara facta veritatem licentiam abeatis exinde lavorare quantum potueritis. Quia ita sic nobis comvenit: Si autem aliter fecerimus

de is omnibus memoratis per quovis modum aut summissis personis tunc componimus nos et heredes nostris vobis et in memorato sancto vestro monasterio auri solidos quinquaginta bythianteos et hec chartula ut super legitur sit firma scripta per manus petri curialis per memorata indictione † et hoc recordando firmamus ut qualem temporem vos aut posteris vestris vel memorato vestro monasterio in quavis de ipsis terris vestris que nobis dedistis ut super legitur hobedientias facere et abere volueritis licentiam et potestatem habeatis absque omni contrarietatem nostra et de nostris heredibus: et oc iterum inquit memoramus ut nullo modo presummimus nos aut heredes nostris aliquod de memoratis terris vestris alicui vel ubique exinde dare aut scriare per concessione at quavis personas per nullum modum: preter ut superius diximus licentiam et potestatem abeamus illos at lavorandum dare cuique voluerimus. Dantes in memorato vestro monasterio posterisque vestris per omni annue in memorata festivitate dare debeamus ipsum bictum et memoratum tare ut super legitur . . . . . alia manus.

† Sergius consul et dux subscripsi † . . . . . alia manus . . .

† Ego Petrus filius domini mastali testi subscripsi † . . . . . nam testis . . .

† Ego sergius scriniarius . . . . . iterum testis . . . . .

† Ego gregorius latiaro . . . . . similiter testis . . . . .

† Ego petrus curialis complevi et absolvi per memorata indictione . . . . . . alia manus . . . . .

† Ego sergius primarius curie huius civitatis neapolis hec exemplarie chartula promissionis sicut superius legitur quem eius authentica nobis atduxit domino iohanne venerabili presbytero et rector memorati monasterii sancti sevastiani pro ista exemplaria faciendum in memorato monasterio ex ipsa authentica relevata et a singulos relectas pro ampliorem eius firmitatem manus proprias subscripsi in die undecima mensis magii indictione quinta. †

† Ego leo tabularius curie huius civitatis neapolis hec exemplarie chartula promissionis sicut superius legitur quem eius authentica nobis atduxit dominus iohannes venerabilis presbytero et rector memorati monasterii sancti sebastiani pro ista exemplaria faciendum in memorato monasterio ex ipsa authentica relebata et a singulos relectas pro ampliorem eius firmitatem manus propria subscripsi in die undecima mensis magii indictione quinta. †

X.

Sergius et Iohannes consules et duces confirmant dominae Annae abbatissae monasterii Ss. Gregorii et Sebastiani ac Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi atque S. Pantaleonis omnes concessiones, quas ipsi vel praedecessores eorum eidem monasterio fecerant. (1)

(Ex eodem cod. Ms. TUTINII f. 22).

(1033) In nomine domini dei salvatoris nostri Iesu Xpi. Imperante domino nostro romano magno Imperatore anno quinto die prima mensis octobris indictione secunda neapoli. Nos Sergius et Iohannes in dei nomine eminentissimi consulibus et ducibus concessimus et tradidimus seu firmamus tibi Anna venerabili monaca filia quidem Iohannis quondam Varvocia nunc vero monachus: idest integrum monasterium et cenobium bocabulo beatissimi Gregorii et sevastiani adque domini et salvatoris nostri Iesu Xpi. et sancti Pantaleoni puellarum Dei que iam nos una cum consilio domini Iohannis archiepiscopi sancte Neapolitane ecclesie (2), et de pluribus parentibus nostris in unum aggregavimus et copulavimus constitutus intus hanc Parthenope et a Deo protecta civitate nostra (a) in platea que Nustriana vocatur una cum omnibus ecclesiis et domibus et avitationibus seu ortuas, quamque et cum omnibus casalibus et terris cultis et incultis montis collis ribis aquis pratis pascuis holibetis et cerquetis seu castanietis et padulis et excatoriis et infusarios et molinos cum aquis et arcaturias earum seu et cum omnibus aquillationibus, quamque et cum omnibus ospitibus et commenditis, fundatis et exfundatis, viborum et mortuorum, cum ipsorum fundoras et terris seu cespites et omnes consuetudinarias censoras et regulis seu responsaticas et salutes vel angariis et omnibus adiacentibus et pertinentibus eis, que simulque et cum omnibus servis et ancillis ac defisis de intus et foris et cum omnibus adiacentibus et pertinentibus eius, seu et omnibus mobilibus rebus mobilium et immobilibus seseque mobentibus omnibus ad suprascriptum monasterium que in unum aggregavimus et copulavimus, ut superius diximus, generaliter et in integro pertinentibus, omnia et in omnibus undecumque aut quomodocumque ibidem pertinet aut pertinentes fuerit, aut quodcumque vel ubique detinent et dominant sive modo vel in antea per quobis modum, vel que ibi a sapientissimis (b) viris et mulieribus offertum aut datum vel subugatum est aut fuerit per qualemcumque modum intus et foris in integro a nobis tibi iam dicta Anna venerabili monacha sit concessum et tradditum: ea videlicet ratione quatenus a nunc et omnibus diebus vite tue abbatissa exere debeatis in iam

(a) *Neapolis* heic addit CHIOCCARELLI.
(b) Ita in cod. Ms.; at alibi, ut etiam infra, semper: *christianissimis viris.*

(1) Huius diplomatis exordium iam olim edidit CHIOCCARELLI in opere, cui titulus: *Antistitum praeclariss. Neap. eccl. catalogus* p. 47.

(2) De eo, qui memoratur etiam in diplomate praecedenti, vide quae dixi t. I, p. 230.

dictos monasterios vos (1) ut supra legitur, in tua potestate sit tenendi et dominandi seu frugiandi et de ipsas frugias faciendi omnia que volueritis et sanctas congregationes monacharum cum Dei adiutorio et timore regulariter regere et gubernare debeatis sub castitatem ut monachalis disciplina vel regula veati Benedicti docet: et incessanter vos et predicta vestra congregatione monacharum die noctuque ibidem vesperas et matutinas seu missarum sollemnias et oris laudibus luminariorum seu concinnationem sine mora regulariter offeratis; siquidem ex hoc ordine predictis monasteriis que in unum aggregabimus et copulabimus ab omni servitutis conditionem pro Dei amore et veati Benedicti, cuius regula tenere videmini; et neque a nobis suprascriptus Sergius et Iohannes Dei gratia consulibus et ducibus neque a nostris successoribus liceat ex rebus prefati monasterii vel ospitibus et fundoras viborum et mortuorum fundatis et exfundatis omnia cum cespitibus et consuetudinibus et omnibus adiacentibus et pertinentibus eis et omnibus servis et ancillis ac defisis cum omnibus illorum pertinentiis omnia et in omnibus suprascripta, ut super legitur, et que ibi offerta sunt aut fuerint aliquomodolivet subtrahere aut populare nec alterius ordinis monachos aut sacerdotes ibidem eligere aut ordinare vel pro tali ordine pretium aut munus suscipere; et sicut superius sancimus omnes predicta monasteria sanctarum ecclesiarum ceterarumque rerum ordinationem in tua predicta Anna venerabili abbatissa sanctaque vestra congregatione posterasque vestras sint et permaneant potestatem: idest oc fieri decrevimus ut amodo et deinceps et semper predicta congregatione in Dei laudibus alacriter et devote existat quatenus pro vita nostra et salute patrie liberiores animo omnipotenti Domino sedulam offerant precem, et hi qui hunc mundum derelinquere cupiunt et sustinent sub almi patri Benedicti iugo colla submittere alacriores salutis eis pandamus. Insuper concessimus et firmamus vobis ut qualecumque edificium vos et posteras vestra in soprascripta platea et ultraque partibus lavorare et edificare volueritis licentiam et potestatem habeatis: hoc est a fine de cantone domui qui fuit Iohannis Baccario et usque ad cantone domui heredes Iohannis Cassarii sicuti et quomodo illud adpreensit ad edificandum quondam Maria venerabilis abbatissa antecessor tua et qualiter illos lavorare et edificare volueritis sicuti inchoatum est ad faciendum da suprascripta antecessor tua licentiam et potestatem habeatis absque omni contrarietatem de qualiscumque persona parba vel magna; et ipsum edificium quem fecistis super ipsa platea veniant da parietem suprascriptum monasterium sancti Pantaleoni et usque ad parietem suprascripti monasterii sancti Gregorii, ut fiant insimul in unum coniuctum: seu concessimus et firmamus vobis et in suprascripto sancto vestro monasterio ut non abeat licentiam quabis persona parba vel magna vel locus per tota ipsa platea a fine ecclesie sancti Ianuarii in diaconia et usque ad finem ac (*de*) alia platea que surgit ante sanctum Paulum quolivet edificium facere neque in terra neque in altum per nullum modum: si oc fecerit liceat vos et posteras vestras et suprascripto vestro monaste-

(1) Verisimiliter heic legendum est: *quos*, ut sententia recte procedat.

rio illud ex inde in omnibus destruere tanquam si nos fuissemus. Item concessimus et firmamus vobis et in suprascripto vestro monasterio ut si quabis persona sive parba sive magna sive a partibus militie sive a partibus langobardorum habuerit domos aut ortuas seu casalibus et fundoras suprascripto vestro monasterio (1) et quolibet adveniente tempore exinde a dare habuerit ipsis vel illorum heredibus, et vos et posteras vestras et suprascriptum vestrum monasterium illud tollere et habere volueritis in omnem ordinem et rationem quomodo alias personas qui in congruum (2) habuerit, licentiam et potestatem habeatis: quamque concessimus vobis ut qui de extraneis vel liberis hominibus in causa suprascripti vestri monasterii habitant vel ad habitandum introierint sive intus vel foris, sint defisi suprascripti vestri monasterii, et qui de exstraneis vel liveris hominibus habitant et ad habitandum ingressi fuerint cum suprascriptis omnibus ospitibus et comenditis seu defisis suprascripti vestri monasterii sive cum eis aut illorum fundoras et ortuas seu mansionibus iterum sint vobis et ad posteras vestras concessi et ordinati et nullus vicedominus aut dicanus (3) presumat introire in omnibus curtis et mansionibus et in omnibus ospitibus et commenditis seu defisis suprascripti vestri monasterii a qualivet dationem tollendam vel ad angarias menandum per nullum modum. Insuper concessimus et firmavimus vobis et in suprascripto sancto vestro monasterio vestraque congregatione ut omne paratum et conquisitum de omnes homines commenditis et defisis vestris seu et de omnibus ospitibus ipsius vestri monasterii, quantumodo paratum et conquisitum habent vel si amodo et deinceps paraverint et conquesierint per quobis modum, ut in vestra posterasque vestras sit potestatem queque exinde facere vel semper liberam habeatis potestatem. Etiam concessimus et firmavimus vobis et in suprascripto sancto vestro monasterio vestraque congregatione presentibus et futuris ut si quavis personas sive de sacerdotalis aut secularis ordine, vir aut feminas, potens vel impotens, sive qui heredes habent vel qui absque heredes fuerint, vobis et ad posteras vestras vel in suprascripto vestro monasterio vestraque congregatione monacharum sive que nunc exe videatur vel futura ibi accesserint in perpetuum offerire aut per quolivet modum dare habuerit res aut substantias suas sive domos aut casales terras vel ortuas aut ospitibus et comenditis fundati et exfundatis viborum et mortuorum cum cespitibus et consuetudinibus eorum et regulis omnibus adiacentibus et pertinentibus eis seu et mobilibus rebus, sint a nobis omnes absoluti omnia vobis obtulendi et dandi seu traddendi: et quicumque curialis vel tabularius aut notarius et primarius abvocaveritis ad scribendum sit illis absoluti omnia vobis scribendi et peragendi omnia que vobis placuerit et ipsa omnia queque adpreenseritis firmum et stabilem habere debeatis perennis ac perpetuis temporibus. Iterum firmamus vobis et omnes chartu-

(1) Heic vox: *conjunctas*, quam sensus expostulat et in aliis huiuscemodi documentis invenio, verisimiliter in exemplo Tutinii excidit.

(2) Ius congrui sive *protimissi* stipulatur in instrumentis Neapp. an. 963 et 966 (*Reg. Neap.* nn. 150 et 158) et habetur *per legem* in instrum. an. 1071 (*Reg. Neap.* n. 509). De eo quaedam innui t. II, p. 106, not. (2).

(3) Dicani, magistratus sive officii minoris apud Langobardos nomen et ab eis ad Neapolitanos translatum.

las et scriptiones et preceptoras et concessiones et omnes offertiones quas in soprascripto vestro monasterio nos et antecessoribus nostris fecimus aut ibidem fecerunt aut fecerint Xpianissimi viris et mulieribus aut qualiter et quomodo continere videtur firmum et stabilem permaneat in perpetuum et nunquam presummimus nos suprascripti Sergius et Iohannes Domini gratia consulibus et ducibus aut posteris nostris, qui post nos in nostro honore locoque duces accesserint, in (*l.te*) suprascripta Anna venerabilis abbatissa exinde foris eiicere et vel monachas vel alias quavis personas de qualecumque ordine fuerit super te ibidem ponere, aut aliquod pertinentes de suprascriptis monasteriis que in unum aggregavimus et copulavimus, que et qualiter superius legitur, a tua potestate subtraere aut alienare per nullum modum nullamque adinventam rationem, sed omnia et in omnibus supradictis, ut supra legitur, vos et posteras vestras et suprascriptos vestros monasterios pariter habere et possidere debeatis perpetuis ac perennis temporibus. Quam vero concessionem, sicut superius legitur, a nobis facta Sergio primario scribere precepimus, in qua et nos subter pro ampliorem eius firmitatem manus proprias subscripsimus die et indictione secunda.

† Sergius Consul et Dux subscripsi. †

† Iohannes Consul et Dux subscripsi. †

XI.

Sergius consul et dux concedit Maioni abbati monasterii S. Salvatoris in insula maris ecclesiam Ss. Sergii et Bacchi in vico Senarini regione Furcillense civitatis Neapolis cum omnibus eius pertinentiis.

(Ex autographo in Neap. Archivo. Cf. R. N. A. M. t. VI, p. 150).

(1036) In nomine domini dei Salvatoris nostri Ihesu Christi imperante domino nostro michaelio magno imperatore anno secundo die vicesima sexta mensis iunii indictione quarta neapoli. Nos sergius in dei nomine etminentissimus consul et dux filius domini iohannis gloriosi consuli et duci qui hic modo non est eo quod ipse perexit in costantinopolim: set ego mecum abendo domino sergio abio meo domini gratiam nunc vero monachus olim dux: ego autem pro vicem mea et pro vicem memoratis domini iohannis consuli et duci genitori mei: postularis tu bidelicet domino maio dudum abbas monasterii nostri vocabulo domini et salvatoris nostri ihesu cristi qui est in insule maris (1): quatenus ab cunctis diebus vite tue et cuntis diebus vite de alia una personas quale tibi placueris qui siat presbiterum et monachus: concederemus vobis inclita ecclesia nostra iuris memorati sancti nostri monasterii vocabulo sanctorum sergii et vachi positum vero intus anc nostra civitate neapolis in vico qui nominatur senarini (2) regione furcillense: at quievimus ipsa vestra postulationem a presenti quarta indictione et donec deo adiubante at vixeritis inclinatis precibus vestris per huius precepti seriem : concedimus et tradidimus tibi et at iamdicta

(1) Maio hic certe quidem, Pandulpho principe Capuae Neapolitanum ducatum occupante (1027-1028), abbas monasterii S. Salvatoris habetur, ut ex instrum. in *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 195 adnotato (Cf. CHIARITO, *O. c.* p. 205) colligitur. Ibi enim: Sergius et Merenda h. p. uterinis germanis filiis q. d. Stephano de Conti et q. d. Teodonia per absolutionem et potestatis (*gloriosae potestatis*) d. Pandulphi Dei gratia principis atque in Dei nomine eminentissimi consul et duci habendo abocatorem illorum quidem d. Bucallano Cio illarum commutavit et tradidit d. Maioni ven. abbati monasterii domini et salvatoris nostri Iesu Xpi. de insula maris . . . . integram quartam partem . . . . . de integra ecclesia vocabolo beate et gloriose Dei genitricis semperque virginis Mariae domine nostre de loco qui nominatur ad illa Sylva. . . posita vero intus ipsa villa S. Nicandri ». — Ipse etiam, vel alius eiusdem nominis abbas, in quibusdam instrumentis ad eodem *Chiarito* ex cif. *Catasto* nn. 114 et 334 allatis (V. p. 189 et 205) memoratur, sed cum notae illorum chronologicae omnino corruptae sint, nihil inde certi de eius aetate erui potest.

(2) In editis minus recte: *renarino*. — Vici vero *senarini* mentio habetur in instrum. an. 973 et 1110 (*Regest. Neap.* nn. 196 et 596) et in aliis, quae in *Catasto di S. Pietro a Castello* summantur sub nn. 103, 104 et 105 etc. Extabat in regione Furcillense, secus viam quae audit *dei Caserti*, haud longe ab ecclesia S. Mariae ad cancellum. In instrum. enim anni 1175, die 1 m.... ind. VIII Neapoli, Regnante d. n. Guilielmo Sicilie et Italie magnifico rege an. 9 et eius dominationis civ. Neap. iterum an. 9 Petrus filius quidam . . . . vendit d. petro cognomento Romano filio quidam d. Iohannis Romani sex uncias eiusdem domus que est medictas posita intus hanc civitatem Neap. inter duo vicora publica unum qui nominatur Capuano quod dicitur Sedici et aliud quod nominatur Senarino in regione Augusta una cum

una persona ut super legitur prefata ecclesia sanctorum sergii et vachi (1) cuius superius memoria fecimus .una cum omnibus domibus et abitationibus et cellis et curtis et ortuas suas et cum omnibus codicibus et ornamentis ipsius ecclesie pertinentes et cum omnibus casalibus et terris cultis vel incultis longinquis et propinquis: quamque et cum omnibus ospitibus suis fundatis et exfundatis cum illorum fundoras et terris et cum omnem illorum censoras et regulis seum responsaticas et salutis et angariis omnibusque atiacentibus et pertinentibus eis: et cum arboribus et fructoras suas et cum introitas earum et cum omnia que ibi offertum est cum omnibus eis pertinentibus: et cum inclita illa domum qui fuit de illum terribilem cum introitas suas comunalis unum qui ingredit da platea publica qui nominatur partellari (2): per porta commune et per anditum commune inter memorata ecclesia et de heredes leoni qui nominatur assito et alium introitum da memorato vico senari: (3) et omnibus sivi pertinentibus: omnia ct ex omnibus undecumque aut quomodocumque a memorata ecclesia obbenit et pertinet aut pertinentes fuerit sive a viribus vel a mulieribus potens vel impotens de qualicumque ordo fuerit: ea videlicet rationem quatenus a nunc et omnibus diebus vite tue et post tuum transitum a iamdicta una persona quale tibi placuerit ibidem sive in vita tua aut at tuum transitum ordinare qui siat prebistero et post tuum transitum monacho tunc memorata integra ecclesia vocabulo sanctorum sergii et vachi: cum omnibus sivi pertinentibus ut super legitur in vestra sint potestatem tenendi et dominandi seum frugiandi et de ipsas frugias faciendi omnia que volueritis unde nullam vobis exinde detineamus aut tollamus quantum est pertinentes de memorata ecclesia per nullum modum: ct in eadem ecclesia die noctuque omnem officium monachilem facere aut facere faciatis hoc est vesperos et matutinos seu missarum sollemnias et oris laudibus: luminariorum vero concinnationis sine ora (4) facere et exivere debeatis ut aput deum et coram homini-

gradellis etc. Actum per Gregorium Curialem. » *Notam. instr. S. Gregorii* n. 9. In alio instrum. autem a. 1174 sub die 7 septembris ind. VII memoratur terra *ecclesie S. Marie ad cancellum que est in vico qui nominatur Sedici. Ibidem* n. 321.

(1) In cit. *Catasto di S. Pietro a Castello* adnotatur « instrumentum curialiscum scriptum continens quomodo Madius humilis abbas monasterii dei et Salvatoris nostri Iesu Christi de insula maris promisit Axaldo presbitero de Nucera precepture? ipsius ecclesie propter integras sex uncias quod est medietas exinde integre ecclesie vocabulo sanctorum Sergi et Bacchi posita intus hanc civitatem Neapolis in vico qui nominatur Senarino regione Forcillense quos ego videar detinere illum per preceptum quas mihi exinde fecit d. Sergius Domini gratia eminentissimus consul et dux filius d. Iohannis gloriosi consulis et ducis sub potestate dum? d. Sergius gratia Dei olim dux nunc vero monacho ut in omnibus in precepto continet, ubi domino Deo volente *etc.* Quod factum est in tempore Michaelis imp. et est signatum hoc signo CVIIII. » Unde colligitur Maionem Sergii ducis privilegio usum non multo post in ecclesia sibi concessa presbyterum custodem ordinavisse. Deinceps in monasterii S. Salvatoris iure rediit, ut ex cit. *Catasto* n. 111 et 112 discimus.

(2) Nusquam alibi huius plateae in urbe Neapolis mentionem inveni.

(3) Sic in membrana.

(4) Sic in membrana; unde patet minus recte haec verba supra p. 24 et 29, ac alibi infra: *sine mora* in exemplis Tutinianis diplomatum S. Gregorii maioris transcripta fuisse. In *chartulis ordinationis* huius temporis presbyteri in aliqua ecclesia custodes ordinati saepe promittunt omne officium sacerdotale: idest vesperos et matutinos, ac oris laudes luminariorumque concinnationes

bus vobis exinde laus et mercis atcrescat et ad nostram valeatis habere gratiam: et ipsis hereditatibus lavorandi et at lavorandum dandi absque scriptis: et quodcumque in memorata ecclesia vel in eius habitationibus at conciandum et fravicandum abueris vos illut conciare et fravicare debeatis quomodo iustum fuerit et merueris: et omnia quodcumque ibidem offertum vel datum fuerit sive a viribus vel a mulieribus si fuerit mobilem in vestra sit potestatem faciendi exinde que volueritis: si autem immobilem fuerit aut terras vel tale causa pro hornamentum de ecclesia post vestrum amborum obitum ibidem remanere debeas: tantummodo vos vite vestre illut frugiare debeatis: set ut superius diximus memorata ecclesia una cum omnia et omnibus eis pertinentibus intus et foris per quobis modum qualiter et quomodo superius legitur in tua et de memorata una persona quem ibidem ordinatum reliqueritis qui fuerit presbitero et monaco ut super legitur cuntis diebus vite vestre at unus pro alius vibens pro mortuus presentem pro absens sint potestatem tenendi et dominandi seum frugiandi et de ipsas frugias faciendi exinde que volueritis unde nullam vobis exinde non queramus aut tollamus: atimplentes vos cunctis diebus vite vestre ibidem omnia per omnem ordinem et tenore qualiter superius diximus: sine omni data occansione: de officiandum vero et de conciandum et de lumminarias sic exinde facere debeatis cunctis diebus vite vestre quomodo superius legitur: et omni annue cunctis diebus vite vestre pro memorata ecclesia: in memorato sancto nostro monasterio dare et dirigere debeatis oblatas parias trea: unum in nativitatem domini et alium in sanctum pascham: et alium in memorata festivitate sancti sergii sine omni ammaricatione. Insuper concessimus et firmamus in memorata ecclesia ut quandoque carras (1) pro hopus et utilitatem et servitium ipsius ecclesie necessum abuerit tunc licentiam et potestatem abeatis vos et posteris vestris ingredere et regredere per memorato vico senarini sive da parte de mercatum sive da parte de furcilla quantum venire potueritis propinquo ipsa ecclesia cum ipsa carras omni tempore absque omni contrarietatem de qualecumque persona iterum concessimus et firmamus in memorata ecclesia ut qualecumque persona ibidem fuerit (2) et dare volueris de omnia causa sua de intus et foris sive domus aut terras vel hospitibus seum defisis vel alia qualecumque causa per quobis modum licentiam et potestatem abeas ibidem illos dare in omnem ordinem et tenore qualiter et quomodo at eum placueris ibidem illos dare sine omni contrarietatem: et qualiscumque curialis aut notarius vel primarius sive tabularius ibidem atvocatus fuerit tunc licentiam et potestatem abeas illos scribere et facere sine omni contrarietatem nostra et de nostris posteris seum et de alias quabis personas: et qualecumque lavorem et edificium facere volueritis vos et posteris vestris qui ipsa ecclesia tenueris super ipsum vicum publicum quantum continet abitationes et

sive ad hora, sive ante hora, sive post hora (Cf. *Regest. Neap.* nn. 245, 406) exhibere; aliquando vero ut heic, id promittitur *sine hora*, quod paucioribus verbis idem significare mihi videtur.

(1) Minus recte in editis: *cassas.*

(2) In editis male heic legitur: *per qualecumque occasio ibidem offerire.*

pertinentias ipsius ecclesie licentiam et potestatem abeatis illut facere et edificare qualiter et quomodo volueritis absque omni contrarietatem: et omnia quantum exinde in nostro iure publici pertinet per quobis modum sit concessum et traditum in memorata ecclesia: et non abeas licentiam quavis personas in ipsum bicum qualivet spurcitia facere aut abere supra terra excepto quantum per legem merueris: et non abeamus licentiam nos et posteris nostris et memorato nostro monasterio et abbatibus cum cuncta eius congregationem qui in memorato monasterio fuerit vos cunctis diebus vite vestre unus pro alius vibens pro mortuus presentem pro absentem de memorata ecclesia iactare (1) aut aliquod ex ea pertinentes ut super legitur at vestram potestatem subtraere aut alienare per nullum modum nec quod absit qualivet sacerdotem vel clericum aut monachum vel alias quabis personas ibidem ponere aut ordinare per nullum modum atimplentes vos cunctis diebus vite vestre omnia per omnem ordinem et tenore qualiter superius legitur: post autem bestrum amborum transitum tum memorate ecclesie cum omnibus sivi pertinentibus et cum omnia quantum per inventaneum at signaberimus rebertant in memorato sancto vestro monasterio cuius iure exxe videris: Quod vero preceptum sicut superius legitur a nobis factum sergio primario scribere precepimus in qua et nos subter pro ampliori eius firmitate manus nostras proprias subscripsimus die et indictione memorata quarta † et oc memorati sumus quia concessimus in memorata ecclesia sanctorum sergii et vachii et inclita personas de quidem iohannis qui nominatur de maura una cum filiis filiabus suis natis naschentibus et cum omnia causa illorum ut omni tempore siat defisis de memorata ecclesia: et omnia quantum et quomodo exxeret in publicum pertinet per quobis modum totum et inclitum sit concessum in memorata ecclesia et in publicum nullum datum aut qualivet servitium aut angaria facere aut dare non debeas per nullum modum.

† Sergius consul et dux subscripsi †

(1) Male in editis: *incoare.*

XIII.

Sergius consul et dux monasterio Ss. Sergii et Bacchi atque Ss. Theodori et Sebastiani insulam S. Vincentii et ius piscationis in mari contermino concedit.

(Ex duobus exemplis in R. Neap. archivo (1) et ex cit. cod. Ms. TUTINII f. 26).

(1053) In nomine domini dei salvatoris nostri iesu Xpi. Imperante domino nostro Constantino magno Imperatore anno undecimo die vicesimaseptima mensis aprelis Indictione sexta Neapoli. Nos Sergius in dei nomine magniximus Consul et dux atque magister militum filius vero quondam domini Iohannis gloriosi Consuli et duci seu magister militum qui fuit filius quondam bone recordationis domini Sergii abii mei Consuli et ducis atque magistri militum postmodum vero monachi. A presenti die promptissima voluntate pro Dei amore et reddemptionis anime mee et de suprascripto domno Iohannes Consul et dux . . . . meo *et de* suprascripto abio meo et pro ammore Dei omnipotentis (a) *et* merita venerabilis monasterii beatorum martirum sanctorum Sergii et Bacchi cuius monasterium esse videris intus anc nostra civitate Neapolis sita in viridiaria qui nunc congregatus est in monasterio sanctorum Theodori et Sebastiani qui nominatur Casapicta (b) . . . . presbiter religiosus . . . . . et timentes Deum qui in ipso monasterio . . . . esse videris et illu aprenxu abetis per plurimos annos per firmissima chartula qualiter concederemus per vos (c) in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio et in sancta vestra congregatione monachorum suprascripti sancti et venerabilis vestri monasterii . . . . . . amodo et omni tempore licere et potestatem habeatis vos et posteris vestris in suprascripto sancto vestro monasterio quandoque volueritis et vobis placuerit facere et abere retias pro piscationes sive parbas sive magnas qualiter volueritis quantas quales volueritis facere et habere sive super vos aut qualiscumque . . . . et facere et abere volueritis coligantes et companiones (d) de qualicumque piscationes (2) de omnes pisches sive de parbis sive de magnis licentiam et potestatem habeatis et per vos in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio eiusque congregationis presen-

(a) Male Chiarito l. c. habet: *parentis*. Verba vero, quae sequuntur: *vener. monast.*, interpolata mihi videntur.

(b) In omnibus exemplis, ut et in Chiarito, deest heic nomen abbatis.

(c) Apud Tutinium: *nos*.

(d) In exemplo B. *conpartiones;* In Tutiniano: *comparationes*.

(1) Extant haec exempla in *Scritture del R. Monastero dei Ss. Pietro e Sebastiano* vol. VII. f. 4 et 291, quae saeculo XVI. transcripta fuerunt ex apographo anni 1347, quod olim in eiusdem monasterii archivo adservabatur, (n. 572). Textum ipsorum retinui et cum Tutiniano contuli. Diplomatis vero meminit CHIARITO *O. c.* p. 186.

(2) Nescio an haec verba recte transcripta sint et, si recte, quid significent. Verisimiliter nomina sunt utensilium ad piscatione pertinentium.

tibus et futuris concedimus et firmamus idest integras (a)......... sancti Bincentii cum omnibus eius pertinentiis et assignavimus et contradimus cum ipsa inxula a parte orientis paxis de ipso mare centum et a parte meridiana paxis centum quinquaginta et a parte occidentis paxi centum et a parte septentrionis ipso mare usque ad plagia: et nullus potest abere........... vos et posteris vestris et qui vobis placuerit in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio et die noctuque piscare in omnibus maris de totis pertinentiis ipsius nostre cibitatis, ubi volueritis et vobis placuerit absque omni contrarietate nostra et de nostris posteris seu et de nostris ordinatis ac de nostris serbientis seu et de alias qualicumque personas......... magnas de totis cuntatis eiusdem nostre cibitatis, et inclitas omnes publicaneas et omnes dationes da parte publica de ipsas omnes retias et de navillis parbas et magnas et de lontras seu et de omnes ipsas colligantes et companiones que ibidem posueritis et de alios omnes homines qui ibidem vobis conveneris et abprobaveris (b) per qualecumque modum et........... ipsas omnes publicaneas et omnes dationes quantu exinde sive de ipsa recias omnis aut de ipsas nabilias parbas vel magnas et lontras qui ibidem vobis remanseris et de ipsis omnibus hominibus aut de ipsis omnes colligantes vestris qui ibidem habueritis et paraveritis per quolibet modu totu et inclitu ipsas omnes dationes et omnes publicaneas exinde sit concessu et traditu seu datu et firmatu in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio faciendi exinde omnia que volueritis asque omni contrarietate nostra et de nostris posteris seu et de nostris ordinatis et servientis seu et de alias qualiscumque persona parbas vel magnas de cunctos nostros subiectos ut super legitur: seu concedimus et firmamus et per vos in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio et eiusque congregatione presentibus et futuris vestrisque posteris idest int......... omnia et in omnibus quantum et comodo ad ipso sancto vestro monasterio pertinuit et pertinet vel pertinentes fuerit per quobis modum, insimul de intus et foris hoc est (c) de ecclesiis et obedientias sive subiectos aut si amodo et in antea ibidem subiugatis (1) aut datu vel offertu fuerit, una cum omnibus pertinentibus illorum, domos et terras et fundoras et ortis seu casalibus insimul cultu et non cultu longinquis et propinquis montis villis (d) scapulis eius et gripas et intersicas pascuis pratis olibetis castanietis et insertetis et cerquetis aquis et padulis et escatoriis et aquilationibus seu maris piscationibus, fusaria et molinas cum aquis suis et cum omnibus eius pertinentiis, omnia et in omnibus ad vestro sancto et venerabili monasterio et ecclesia seu obedientia intus et foris generaliter per quobis modum pertinentibus. Simulque firmamus vobis et per vos *in* suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio et

(a) Deest in exemplo A. Rectius apud Chiarito: *inxulam.*

(b) In exemplo A. heic est vacuum. Tutinius legit.: *volueritis et habueritis.*

(c) *intus et foris litus* in Tutinio et in exemplo B.

(d) *collis.* Tutin.

(1) In omnibus exemplis heic legitur: *subpagatis*, sed ex aliorum diplomatum collatione ego fidenter corrigo: *subjugatis.*

omnibus hominibus vestris de intus et foris hoc est ospitibus et censitis seu defisis et famulis vestris, fundatis et exfundatis vivorum et mortuorum cum ipsorum fundoras et terris seu cespites et . . . . seu responsaticas et salutes angarias et terraticas quamque scaballicationibus et cum angariis et servitias (1) seu dationes illas cum omnibus atiacentibus et pertinentiis suis sive intus vel foris per quobis modum pertinentibus. Iterum damus et firmamus in suprascripto sancto monasterio et omnibus mobilibus rebus mobile vel immobile seseque moventibus omnibusque ad eodem sancto monasterio..... seu obedientiis et predictis omnibus pertinentiis ipsius vestri monasterii generaliter per quodlibet modum intus et foris pertinentibus, omnia et ex omnibus uniuscumque aut quomodocumque ad eodem monasterio et ecclesia et obedientia et ad predicta omnia pertinentia ipsius vestri monasterii obvenit (a) et pertinet adque pertinentes fuerit per qualemcumque modum et ordine aut ratione cum omnibus sibi de intus et foris per quobis modum pertinentis: quamque concedimus et firmamus vobis et per vos in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio ut si quabis persona sive parba sive magna sive presbiter aut monachus vel clericus aut laicus vel serbus vel liberus qualemcumque persona de qualem cumque modum vel ordine fuerit sive masculus aut feminas vobis et ad antecexsoribus vestris et in ipso sancto vestro monasterio aliquod (b) datu aut venundatu et commutatu aut offertu sive locatu aut infiduciatu vel subiugatur (c) habent sive per cartas aut per dispositum vel per alia unaquaque via aut per aliu qualemcumque modu aut tenore in vos vestrisque posteris et de suprascripto sancto vestro et venerabili monasterio vestreque congregationis monachorum presentibus et futuris sive posteri asque omni contrarietate et qualibet conditione de qualiscumque personis et si amodo et in antea vobis vel ad vestris posteris seu et per vos in suprascripto sancto vestro monasterio aliquod datu aut offertu vel venundatu aut infiduciatu vel donatu aut commutatu vel subiugatu fuerit a qualemcumque personis sive parbas aut magnas sive serbus aut liberus aut monachus vel laicus aut presbiter et clericus sive masculus aut feminas de qualecumque ordine fuerit per quodlibet modum potestatem illas habere et retinere debeatis usque in sempiternum asque omni contrarietate et conditione aut antepositione nostra seu et de posteris nostris vel de alia quabis persona sive parbas vel magnas et qualecumque Curialis aut notarius vel tabularius sive scriniarius (d) aut primarius ibidem avocatus fuerit ad scribendum licere et . . . . abeas ibidem abere et tenere et omnia percomplere et quicquid ibidem necexa fuerit sive opu . . . . . omnes ascriptis? (e) illos facere et percomplere asque omni data occasione et asque omni contrarietate de qualecumque persona sicut conceximus

(a) Minus recte *convenit* in Tutinio.

(b) Tutinius addit: *de casalium.*

(c) In Tutinio deest *subpagata.*

(d) Tutinius et exemplum B. habet: *marenarius*; exemplum *mercenarius.* Ego lego: *scriniarius.*

(e) In esemplo vacuum relictum est. Tutinius legit: *asercitis.*

(1) Male in exemplis: *scabritias* vel *scaditias.*

et firmamus vobis et per vos in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio et omnibus ospitibus vestris cum omnibus eius pertinentiis per quobis modum et omnibus serbis et ancillis vestris insimul de intus et foris quantas et quaslibet modo abetis et tenetis seu dominatis et quantum et qualiter de amodo in antea abueritis et conquireritis seu acataveritis intus et foris per quobis modum cum omnibus eius pertinentiis sive per scriptis aut asque scriptis sive et a viribus vel a mulieribus potens vel impotens de qualecumque ordine fuerit per qualecumque modum sive in cunto (*territorio*) liberi (a) aut et in cuncto territorio Nolano et Cumano et Avellano seu Lauritano et in Palma et in cuncto quoque padulano vel in alia cuiuscumque partibus vel locis de totu ducatu ipsius nostre civitatis . . . aut publica potestate sive per chartula aut dispositum vel per testamentum aut per donationes seu commutationes aut per rationes atque per divisiones aut per concessiones seu per verboras et argumentatis? aut per preceptoras sive a partibus militie vel a partibus longombardorum aut per alium qualemcumque modum cum omnibus eis pertinentiis. Et qui ex ipsis omnibus ospitibus et comenditis seu defisis vestris quantum et quales superius legitur obierint asque propriis heredes vel asque dispositu et aliquod e omnibus illorum pertinentiis cecidit aut cecidere debebit in nostra et nostri publici per quobis modu totu et inclitu sint in suprascripto vestro monasterio concessu et traditu et qui . . . . . vel liberos hominibus in camera vestra habitant vel ad habitandum aut sicut ipsis vestris hominibus habitant sive de extrania vel liberis hominibus habitant sive cum eis aut illorum fundoras et certis seu mansionibus iterum sint defisis de suprascripto vestro monasterio et suprascriptis omnibus hominibus omnis vestri monasterii quos vobis conceximus ut super legitur nulla angaria aut potestas vel lictoraticas aut portaticas vel plateanticas collectas dare aut facere debeas sed totu et inclitu sit concessum suprascripto vestro monasterio et in suprascriptis omnibus omnes vestro monasterio de qualecumque ordine fuerit per qualibet arteficia vel negotias fecerit aut egerit in suo . . . que omnia quantum exinde in eo et reipublice pertinentes per quobis modum et totum et inclitu sit concessu et traditu in suprascripto monasterio. Hec (b) autem omnia ut in omnibus quantu et quomodo vobis et per vos in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio dedimus vel concedimus seu tradidimus aut firmavimus aut cum omnibus eius per quobis modum pertinentes qualiter et comodo superius legitur a nobis vobis et suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio eiusque vestre congregationis monachorum presentibus et futuris sit datum et firmatu seu concexu et traditu et in vestra vestrique posteris et de suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio sit potestate ad abendum et possidentum illut usque in sempiternum: et neque a nobis suprascripto Sergius Dei gratia Consul et dux adque magistro militum neque a posteris nostris qui post nos in nostro onore locoque duces advenerint vel a quavis alias personas parbas vel magnas nullo tempore numquam vos aut posteris vestris

(a) Fortasse legendum est: *cuncto territorio liburiano.*
(b) *In eccles.* Tutin.

vel suprascripto vestro monasterio quod absit abeatis ex omnibus suprascriptis ut supra legitur aliquando quacumque requisitione aut molestia aut contrarietatem per nullum modum in perpetuum: et omnes vestras chartas preceptoras seu verboras et concessiones et organeas (*sic*) et alia qualiscumque mercationes que vos aut antecexoras vestris et ipso vestro monasterio aprensa habetis aut que amodo et in antea sive vos aut posteris vestris et ipso sancto vestro monasterio atpreendere et meritis per quobis modum sive a partibus militie vel a partibus langobardorum omni tempore et vobis vestrisque posteris et suprascripto vestro monasterio sit firmus et stabilis de omnia que continet ubique inventa aut relecta fuerit aput omnibus iudicibus seu potestate. Insuper concedimus et firmamus in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio si qualecumque omo sive masculus aut feminas de qualecumque ordine fuerit extraneus et in suprascripto vestro monasterio se commendaverit aut si in casa suprascripti vestri monasterii abitaverint sive super se aut cum vestris hominibus vester sit defisus de suprascripto vestro monasterio et sint vobis concexi de parte publica asque omni contrarietate in qualecumque personas parbas vel magnas. Quam concexionem sicut superius legitur a nobis facta Sergius primario scribere fecimus et in qua et nos subtus pro ampliore eius firmitate manu nostra propria subscripsimus die et indictione suprascripta sexta.

† Sergius Consule et Duce subscripsi.

† Ego Matteus Roncella primarius curie hujus civitatis hec exemplaria charta concessionis traditionis confirmationis sicut superius legitur quas ejus autentica nobis aduxit frater Iohannes Turniato abbas monasterii sanctorum Theodori Sergii et Bacchi atque sancti Sebastiani de neapoli et cunto convento monacorum ipsius monasterii sanctorum theodori Sergii et Bacchi atque beatissimi Sebastiani de neapoli pro iste exemplaria faciendum pro eorum cautela et dicti monasterii et de posteris illorum vel cujus interest et ejus autentica relevata et de singulis relecta pro amplioris firmitatis manu nostra propria subscripsi et complevi in anno domini millesimo trecentesimo quatragesimo septimo Regnante serenissima domina nostra domina Iohanna Regina anno quinto in die prima mensis madii de inditione quintadecima ubi modo sumus.

† Ego Petrus Masca tabularius curie hujus civitatis neapolis hec exemplaria charta concessionis traditionis confirmationis sicut superius legitur quas ejus autentica nobis aduxit frater Iohannes Turniato abbas monasterio sanctorum Theodori, Sergii et Bacchi atque Sebastiani de neapoli et cuncto convento monachorum ipsius monasterii sanctorum Theodori Sergii et Bacchi atque beatissimi Sebastiani de neapoli pro ista exemplaria faciendum pro eorum cautela et dicti monasterii et posteris illorum vel cujus interest et ejus autentica relevata et de singulis relecta pro amplioris firmitatis testavi et subscripsi in anno domini millesimo tricentesimo quatragesimo septimo. Regnante serenissima domina domina nostra Iohanna Regina anno quinto: in die prima mensis madii de indictione quinta decima ubi modo sumus.

XIV.

Sergius consul et dux concedit dominae Annae abbatissae monasterii Ss. Gregorii et Sebastiani atque Domini Salvatoris nostri Iesu Christi et S. Pantaleonis medietatem molendini et alias res.

(Ex cit. cod. TUTINII (1) f. 22).

In nomine domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Xpi. Imperante domno nostro (1060) Isacio magno imperatore anno secundo die vigesima mensis magii Indictione decimatertia Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul et dux et magister militum filium quondam vone memorie domini Iohannis gloriosi Consuli et duci et magister militum concedimus et damus seu tradidimus et firmamus per hunc firmissimum preceptum vobis videlicet Anna venerabili abbatissa parenti nostra monasterii et cenobii beatissimorum Gregorii et Sebastiani atque domni Salvatoris nostri Iesu Xpi. et sancti Pantaleonis puellarum Dei constitutum intus hanc Civitatem Neapolis in platea publica que nominatur Nustriana et ad cuncta sancta et venerabili vestra congregatione monacharum suprascripti sancti et venerabilis vestri monasterii presentibus et futuris Idest integra medietatem vestram de ex integrum molinum qui modo conciatum esse videris costitutum ad flubeum huius civitatis una cum integra medietate de omnes fossatas et de arcaturias et de hereditas? (2) et de molas et ferroras et de alias omnes conciaturias simul vel (*in*) eodem molino per quovis modum pertinentibus seu cum aquis et cursoras suas et cum varicatorias et viis et anditas et introitas suas omnibusque ad eadem medietatem vestra de suprascripto integro molino et de omnibus suis pertinentibus generaliter et integro pertinentibus: quamque et ipsa integra medietate vestra de suprascriptum integrum molinum et de omnibus suis pertinentibus per quovis modum ut super legitur pertinuit a quidem Stephano de Turre parenti nostro ab ipsa nostra publica potestatem et ipso Stephano de Turre parenti nostro vobis et in ipso vestro monasterio illud offeruit per firmissima chartula offertionis vestra que apud vos exinde habetis cum omnia que continet. Insuper concedimus et firmamus vobis et per vos in suprascripto vestro monasterio ut non habeas licentiam quavis personas sive parvas sive magnas facere aut habere qualecumque lavorem aut qualecumque edificium vel qualecumque anteparatum vel in portatam sive de superius aut de inferius per totum ipso flubio ut contrarietatem aut minuitatem faciat aut facere facias a suprascripto molinum unde ipsam medietatem vestram vobis firmavimus ut

(1) Huius diplomatis mentionem fecerunt CAPACIUS, *Hist. Neap.* t. I, p. 93, et CHIOCCARELLI, *O. c.* p. 47.

(2) Haud dubito quin heic legendum sit: *reditas*. Ita enim habetur in aliquibus instrumentis illius aevi (Cf. *Regest. Neap.* nn. 385, 401 et 420), in quibus conductor promittit facere seu habere in fundo locato casam et aream seu hortum et reditas, et in aliis privilegiis eidem monasterio concessis et infra allaturis, ubi eadem vox occurrit. Cum autem *redita*, quantum scio, nullam significationem habeat, ego eam a voce *redica* vel *ridica*, quae in classicis auctoribus occurrit, et genus lignorum ad vineam sustentandam vel ad vallum saepiendum adhibitorum significat, corruptam fuisse suspicor.

supra legitur cum omnibus sivi pertinentibus et licentiam et potestatem habeatis vos et posteras vestras et suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio ipsum molinum omni tempore conciare et fossatas eius mundare et arcaturias ibidem facere et habere omni tempore et aliam omnia et in omnibus quicquid ibidem necessum fuerit ibidem illud omni tempore facere et habere ut legitime die noctuque macenare possant absque omni contrarietate nostra et de posteris nostris vel de alia quavis personas sive parvas aut magnas: et omnia que exinde habere vel tollere seu adquirere potueritis in vestra posterasque vestras suprascripto vestro monasterio sint potestatem faciendi exinde omnia que volueritis absque omni contrarietatem de quavis persona: et si quobis tempore surserit quavis persona sive parva sive magnas estranea vel de nostra genealogia aut sive nos aut posteris nostris de super medietatem vestra de suprascripto integrum molinum quem vobis concessimus et firmamus cum omnibus suis pertinentibus ut super legitur aliquod exinde tollere aut minuere vel a vestra potestatem aliquod exinde subtrahere aut alienare volueritis per quobis modum sub anathematis vinculis sit obligatus in trecentum decem et octo patrum: fiat eis sicut Dathan et Abiron quos vibos absorbuit terras et sicut aola cetofel (*achitofel*) consiliario David: necnon et sicuti Anania et Saffira qui mentes (*mentientes*) ante pedes Apostolorum expiraverunt et cum omnibus hereticis et exchismaticis tenebrorum partem possideat. Insuper componat vobis et ad posteras vestras et ad suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio auri libras tres bizantinorum. Insuper firmamus vobis et ad posteras vestras et ad suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio ut si quavis personas sive de sacerdotali aut secularis ordinem vir aut feminas potens vel impotens sive qui heredes habent vel qui absque proprium heredem fuerunt vobis et ad posteras vel a suprascripto vestro monasterio vestreque congregationi monacharum sive que nunc esse videtur vel futuras ibidem accesserint in perpetuum aut qui sine heredes fuerunt offerire aut per quolibet modum dare volueris qualecumque res aut sustantias suas sive domos et casales terras et ortuas sive hospitibus aut commenditis vel defisis cum omnibus illorum pertinentibus et cum omnibus adiacentibus et pertinentibus eis sint a nobis et da posteris nostris omnes absolutis omnia vobis contulendi et dandi seu tradendi absque contrarietate de qualiscumque personas: et qualemcumque Curialis vel tabularius aut notarius sive primarius advocaveritis ad scribendum sint illi absoluti omnia vobis scribendi et peragendi qualiter volueritis et ipsas omnias quas aprehenseritis firmam et stabilem permaneant perennis ac perpetuis temporibus. Iterum firmamus vobis et suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio atque congregationis monacharum presentibus et futuris ut omnes chartulas et scriptiones et preceptoras et concessiones et omnes chartulas offertionis quantas et quales vos aut antecessoras vestras adprehendistis sive posteras vestras apprehenseritis per quovis modum omni tempore sit firmus et stabilis in perpetuis temporibus de omnia et in omnibus que continent qualiter et quomodo superius legitur absque omni datam occasionem aut ab hodierna die et semper hec omnia et ex omnibus suprascripti qualiter et

quomodo superius legitur cum omnibus eis per quovis modum pertinentibus sint offertum et concessum seu traditum in suprascripto sancto et venerabili vestro monasterio ad avendum illos ibidem in sempiternum in omni ordinem et tenore qualiter et quomodo superius legitur absque omni contrarietate nostra et de nostris posteris vel de alias quavis personas parvas vel magnas per unc nostrum firmissimum preceptum quos vobis fecimus ut superius legitur. Quod vero preceptum concessionis atque firmationis sicut supra legitur a nobis factum Sergio primario scribere precepimus in quam et nos subter pro ampliori eius firmitatem manus proprias subscripsimus die et Indictione suprascripta tertia decima.

† Sergius Consul et Dux subscripsi. †

XV.

Iohannes abbas monasterii Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi insulae maris, consentiente Sergio consule et duce, commutat hortum foris urbem ad Campanianum cum hortu Gregorii de Gaido sito item foris urbem intus Moricinum pictulum.

(Ex autographo in R. Neap. Archivo (1) Cf. R. N. A. M. t. V, p. 29).

Christe fave.

(1065) † In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi: Imperante domino nostro Constantino magno imperatore anno quinto. die prima mensis aprelis indictione tertia neapoli: Certum est nos iohannes humilis abbas monasterii domini et salvatoris nostri ihesu christi insule maris una cum cuncta nostra congregatione monachorum memorati sancti et venerabilis nostri monasteri: A presenti die promtissima voluntate commutavimus et tradidimus tibi gregorio qui nominatur gaido filio quondam domini stephani qui iterum gaido vocabat: Idest integrum hortum nostrum iuris memorati sancti et venerabilis nostri monasterii positum vero foris istius urbis ad campanianum at cripte qui nominatur antuline (2) una cum arvoribus fructiferis vel infructiferis et cum dua intersica sua unum vero ex eo in capud ex ipsum hortum coniuntum parte meridiana in quo sunt ipse cripte: alio ex eo in latere ex ipso horto coniunto parte hoccidentis, et cum introitu suo omnibusque eis pertinentibus. choerente sivi de uno latere parte horientis hortum qui fuit de illu scapite datum et de heredibus quondam de illu tribunu marinu. et de alii qui ibi at fine sunt sicuti inter se sepis exfinat. ex alio latere parte hoccidentis hortum de sancta ecclesia beatissimi georgii situm at mercatum simul et memoratum intersicum et in latere ex ipsum intersicum coheret hortum ecclesie sante marie que appellatur incoronata et hortum heredum quondam domini ursi iudicis qui nominatur comite mauroni. de uno capite parte septemtrionis hortum heredum quondam domini marini qui nominatur et in aliquantum de hortum domini iohannis saviniani et ortum memorati heredes domini ursi comite mauroni sicuti inter se parietina et terminis exfinat. ex alio capite parte meridiana hortum monasterii sancti antoni de scapula monte pausilipense et ortum ecclesie sancti anastasii seu et memoratum alium intersicum et in capite ex ipsum intersicum in ipsa meridiana parte coheret via publica. et abinde quomodo vadit

(1) Haec membrana summatim transcripta habetur in *Catasto del monastero di S. Pietro a Castello* n. 320. Altera vero charta *paricla*, qua Gregorius de Gaido vicissim se se ad eamdem permutationem obligat, nunc deperdita est, sed pariter summata in dicto *Catasto* n. 319 habetur.

(2) Ex instrum. *libelli* sine die et consule heredes q. Riczardi Aczapacze tenebant a monasterio S. Petri ad Castellum terram seu hortum situm in loco ubi dicitur ad Campagnano ubi dicitur ad ille gripte de Antulino, cuius fines sunt terra S. Georgii ad mercatum et via publica que est iuxta littora maris. *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 34.—In alio *libello* item sine die et consule memoratur terra ibidem quam tenebant heredes q. Iohannis Aczapacze, cuius fines terra ecclesiae S. Pantaleonis, terra ecclesiae S. Cipriani, terra ecclesiae S. Anastasii et illorum de Meliis. *Catasto* cit. n. 69. Locus verisimiliter viae, in regione *del Pendino* sitae, quae adhuc *Campagnano* vocatur, vel saltem viciniae respondet.

usque ad litus maris et da ipso litus maris quomodo vadit intus mare pausitentum. de qua nichil nobis remansit aut reservavimus nec in aliena persona commisimus potestate. Ita ut a nunc et deimceps a nobis tibi sit commutatum et traditum in tua tuisque heredibus sit potestatem queque exinde facere volueritis semper liveram abeatis potestatem. et neque a nobis memorato iohanne humile abbate memorati monasterii una cum cuncta nostra congregatione monachorum memorati sancti et venerabilis nostri monasterii. neque a posteris nostris nec a memorato nostro monasterio. nullo tempore numquam tu memoratus gregorius qui nominatur gaidus aut heredes tui quod absit abeatis exinde aliquando quacumque requisitionem aut molestiam per nullum modum nec per summissas personas a nunc et imperpetuis temporibus. Insuper omni tempore nos et posteris nostris memoratoque nostro monasterio exinde ab omni homine omnique persona in omnibus tibi tuisque heredibus antestare et defendere debeamus propter quod at vicem in presenti in commutatione recompensationisque accepimus a te exinde : Idest integrum hortum tuum situm vero foris istius urbis intus illum moricinum pictulum (1) , quem concessum abemus a publica potestate et est iusta murum istius civitatis una cum integrum intersicum suum in latere eius coniuntum parte horientis. et cum introitu suo omnibus eisque pertinentibus. coherente sivi de uno latere parte horientis turre que appellatur turre cinta. et memoratum intersicum quem superius a te in eadem commutatione accepimus. et a foris ipsum intersicum in eadem orientalis parte coheret modicum orticellum memorati nostri monasterii et via publica sicuti inter se ipsum intersicum quem superius a te in eadem commutatione accepimus et inter ipsum modicum hor-

(1) Intus *Moricinum pictulum* quosdam fundos habebant Neapolitani duces, ut ex duobus instrum., quae summata heic sequuntur, discimus. Alterum, tempore Iohannis porfidogeniti factum , continet quomodo Ursus Gangitanus tenet a dicto monasterio integram terram vacuam ad livellaticum iure proprio ipsius monasterii, positam vero intus hanc civitatem Neapolis ad illum moricinum piczolum, et est iuxta murum dicte civitatis Neapolis, in parte meridie iuxta viam publicam sicuti intus se exfinat illo canto de illa pariete de ipso fundamento et a... parte orientis est anditu pertinente dicti monasterii qui ingredit in illo fundico pertinente dicti monasterii..... et a meridiana parte et ab occidentali parte est fundo d. Sergii Consulis et ducis sicut pariete exfinat, et a parte septentrionis est turre et muro ipsius civitatis Neapolis. « *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 434 » — Alterum , sine die et consule , continet quomodo Mattheus humilis abbas dicti monasterii concessit ad livellaticum Margarite h. f. et Petro uterinis germanis filiis q. Iohannis Buccatorci et q. d. Marotte iugalium personarum, et ipsa Margarita cum consensu et voluntate d. Iohannis qui nominatur Tornupardi viri sui, et Iohannes qui nominatur Buccacorso filius q. d. Petri et q. d. Riccarde h. f. iugalium personarum hoc est germani seu exadelphis *etc.* id est integra domo pertinente predicte monasterio que antea terra vacua fuit per predictis jugalibus genitoribus eorum a fundamentis terre edificaverunt, que est inferiora cum superiora super se et cum gradis fabritis que ibidem ascendunt et cum logora sua negotiandi ante se, positis vero foris urbis civitatis Neapolis intus illo Moricino piczolo una cum aeribus et aspectibus suis et cum solarium et exaierium suum super se et cum loco suo negotiandi ante se parte occidentis et septentrionis et cum intersico sue et omnibus sibi pertinentibus, et hos habet fines ab oriente est fundicellus qui erat heredum q. d. Iohannis Consulis et ducis atque domini gratia magistri militum et imperialis Protothosebaston *etc.* et a parte occidentis est predictus locus negotiandi et a foris ipsius loci est via publica et a parte septentrionis est iterum locus negotiandi et a foris ipse locus est iterum via publica et a parte meridiei est iterum domus dicti monasterii etc. *Catasto* cit. n. 340.

ticellum memorati nostri monasterii exfinat faciem de statue illa marmorea que est fabrita in altum in faciem ex ipsa turre suptus secunda fenestra ex ipsa turre que est super ipsum modicum horticellum memorati nostri monasterii. et ipse modicum horticellum nostrum est iusta trasenda nostra que ingredit obedientia nostra memorati nostri monasterii da mare que est ab intus memoratum moricinum. et a parte hoccidentis coherent ipsum hortum quem superius a te in eadem commutationem accepimus hortum de quidem truno qui nominatur balo et de gregorio germano suo genero tuo quomodo inter se termini et sepis de sambuci exfinat de uno capite parte septentrionis memoratu muru publico. ex alio capite parte meridiana via publica. unde nihil tibi remansit aut reservasti set in nostra nostrisque posteris memoratoque nostro monasterio sit potestate queque exinde facere voluerimus sicuti et quomodo in omnibus continet alia similis charta commutationis que in nobis exinde fecisti de antestandi et defendendi: Quia ita nobis stetit: Si autem nos vel posteris nostris memoratoque nostro monasterio quobis tempora contra hanc chartulam et super legitur venire presumserimus et in aliquid offensi fuerimus per quembis modum aut summissas personas tunc componimus tibi tuisque heredibus auri libras duas bythianteas: et hec chartula commutationis ut super legitur sit firma: scripta per manus iohannis primarii quem scribere rogatus per indictione memorata tertia † et oc recordando firmamus tibi ut qua ex ipsum hortum quem superius tibi commutavimus per annum exire et decurrere debeat. per ipsa terra ex ipsa diaconia sancti georgii at mercatum et per iamdicta terra ecclesie monasterii sancti antonii et per ipsa terra ipsius ecclesie sancti anastasii deinde badat et decurrat per illum canale publicum sicuti ab aere currit et fiat in ordine antestandi et defensandi sicuti superius tibi statutum abemus de ipsum ortum que superius tibi commutavimus.

† Sergius consul et dux subscripsi. †

† Iohannes humilis abbas subscripsi. †

† Iohannes humilis monachus subscripsi. †

† Simeon humilis monachus subscripsi. †

† Manso humilis monachus subscripsi. †

† Ego petrus tabularius testis subscripsi. †

† ego stephanus filius domini stefani testi subscripsi. †

† ego gregorius filius domini gregorii testi subscripsi. †

† ego iohannes primarius Complevi et absolvi per indictione memorata tertia. †

XVI.

Sergius consul et dux atque Ioannes archiepiscopus Neapolitanus concedunt Ittae abbatissae monasterii Ss. Nicandri, Marciani et Patriciae ut quamdam clusuriam *et* cabam, *extra moenia positas et ad ecclesiam Neapolitanam pertinentes, emere possit ad nosocomium inibi construendum.*

(Ex autographo in R. Neap. archivo (1) Cf. R. N. A. M. t. V, p. 26).

† In nomine domini dei Salvatoris nostri Ihesu Christi: Imperante domino nostro duce Constantino magno Imperatore anno quinto: die vicesima secunda mensis iulii indictione tertia neapoli: hecce iam preteritos septuaginta et unum annos expletos visus itaque fuit quondam venerabilis monachus dominus sergius domini gratiam archiepiscopus sancte sedis neapolitane ecclesie: Concedere et tradere per chartulam Concessionis at quondam petro et gregorio uterinis germanis filiis quondam petri. et quedam maria honesta femina iugalium personarum: Integra clusuria de terra ipsius sancte neapolitane ecclesie positum ad sanctum sossium ad area foris urbis istius civitatis neapolis. de quantum ibidem detinuit memorato genitori illorum et quantum intus ipsa clusuria abuit et pertinuit aligerni famulo memorate sancte neapolitane ecclesie. una cum intersicas suas quot est intus eadem clusuria in una detinentia: utraque cum arboribus et introitum suum et omnibus sibi pertinentibus quem vero memorata integra clusuria de memorata terra diviserunt inter se memoratis germanis per merissis divisionis hecce iam preteritos annos quadragintam unum: unde per ipsa merisse tetigit memorato quondam grogorio portio ex ipsa clusuria a parte septentrionis iusta kaba publica qui pergit at campo de neapoli. et iusta alia kaba publica qui pergit ad ipso loco sanctum sossium: unde reliqua portio ex ipsa clusuria a parte meridie tetigit memorato petro uterino germano suo: quem et ipsa portio memorati quondam petri modo pertinet de memorata sancta neapolitana ecclesia eo quot sine proprium heredes defuntus est: de qua benistis tu videlicet itta honesta femina filia quondam ursi comitis una cum quidem domina maria religiosa monacha et gubernatrix monasterii beatissimorum nicandri et marciani atque patricie puellarum dei et cunctas eius congregationes monacharum ipsius monasterii: et cespitis rogare et postulare Nos videlicet iohannis domini gratiam archiepiscopus sancte memorate sedis neapolitane ecclesie. et sergius in dei nomine etminentissimi consuli et duce atque domini gratiam magister militum. ut pro domini ammore et pro mercedis et salbationis anime nostre seu et pro bigore sancte memorate nostre neapolitane ecclesie tribueremus et daremus seu cederemus tibi memorata itta honesta femina parenti nostra filia memorati quondam ursi comitis parenti nostri hemere da heredibus memorati quondam gregorii qui nominabatur (1065)

(1) Exemplum huius membranae a Nicolao Carminio Falcone acceptum iam primus edidit MURATORI, *Antiqu. Ital. medii aevi* t. I, p. 198.

boffa. integra memorata portione memorati quondam gregorii de memorata integra clusuria de memorata terra cum omnibus sibi pertinentibus pro memorato monasterio pro infirmorum qui de ipsa congregationes monacharum infirmaberint et tribueremus tibi exinde illum licerem et pertinentiam quam exinde pertinet in memorata sancta nostra neapolitana ecclesia: Iterum daremus et concederemus tibi memorata itta honesta femina parenti nostra, et memorata kaba qui pergiebat ad area nostra qui modo est explanata et pastenata iusta eadem clusuria parte septemtrionis. una cum duos passos de latitudine de terra quem ipsa sancta nostra neapolitana ecclesia abet intus ipsa portione memorati quondam gregorii de memorata clusuria iusta area pictula fabrita qui pertinet de memorata sancta nostra neapolitana ecclesia: et quia acquiebimus ipsum rogum vestrum et hecce in presentis concedimus tibi memorata itta honesta femina parenti nostra memorata kaba qui modo est explanata et pastenata cum memoratos duos passos de memorata terra qualiter superius legitur una cum omnem licerem et pertinentiam quem ipsa sancta nostra neapolitana ecclesia abet in memorata portione memorati quondam gregorii boffa qui eum tetigit de memorata clusuria de memorata terra etiam et nos tribuibimus tibi ut licentiam et potestatem abeas tu hemere memorata integra portione memorati quondam gregorii boffa de memorata integra clusuria de memorata terra cum omnibus sibi pertinentibus da memoratis heredibus suis ad abendum illut ipse monasterio una cum omnia quem vobis superius concessimus in sempiternum pro utilitatem infermorum qui de ipsa congregationes monacharum infirmaberint: Iterum concedimus et damus tibi licerem ut licentiam abeant omni tempore hominibus qui laborant ipsa terra quem tu comparaberis pro ipso monasterio et ipsum quem vobis concessimus ut super legitur adunare omnem laborem ex ipsas nominatibas terras et excuniare in memorata area pictula fabrita pertinente memorate sancte nostre neapolitane ecclesie in sempiternum: et neque a nobis iamdictus iohannes domini gratiam archiepiscopus memorate sancte sedis neapolitane ecclesie et iamdictus sergius in dei nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratiam magister militum neque a posteris nostris qui post nos in nostros honores accesserint nec ab ipsa sancta nostra neapolitana ecclesia nec a nobis personas summissas nullo tempore numquam tu memorata itta honesta femina parenti nostra aut memorato monasterio quot absit abeatis quamcumque requisitione de memorata terra que comparaberis da ipsis heredibus memorati quondam gregorii boffa cum omnibus sibi pertinentibus ut super legitur nec de ipsum alium ut superius legitur aut molestiam per nullum modum nullamque adimbenta ratione a nunc et imperpetuis temporibus: quia ita nobis bone volumtatis complacuit: Si quis autem potenx vel impotenx homo secularis aut sacerdotales hordine indutus contra hanc chartulam benire presumseris et ea in quacumque parte ebacuare quesierint per se aut summissas personas sub anathematis vinculis sint obligatus: beniat eis maledictione quo continet in centesimo octabo psalmos. fiat eis sicut dathan et abiron quos vibos absorbuit terra: et sicut acetofel consiliario davit: et sicut anania et saffira qui mentientes ante pedes apostolorum expiraberunt: seu et cum omnibus

hereticis et excimaticis tenebrosa partem possideat cum anna et cayfas et cum iuda proditores domini nostri ihesu christi: Insuper componat pars ipsius infidelis a partem fidem serbantis et a memorato monasterio auri libras sex vythianteas et hec chartula qualiter superius legitur sit firma imperpetuum scripta vero per manus iohannis curialis et scriniarii (1) qui ista firmissima chartula per nostram iuxione et absolutione scripsit die et indictione memorata tertia. †

† Iohannes archiepiscopus subscripsi. †

† Sergius consul et dux subscripsi. †

† Petrus indignus sacerdos et primicerius sancte neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Enricus archipresbyter et cymiliarcha sancte neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Stephanus presbyter et cardinalis sancte neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Adelgisius archidiaconus sancte neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Sergius diaconus sancte neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Petrus diaconus sancte neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Stephanus subdiaconus sancte sedis neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Iohannes subdiaconus sancte neapolitane ecclesie subscripsi. †

† Sergius subdiaconus sancte neapolitane ecclesie. †

† ego iohannes filius domini leoni testi subscripsi. †

† ego iohannes filius domini ursi testi subscripsi. †

† ego iohannes filius domini iohannis testi subscripsi. †

† ego iohannes Curialis et scriniarius. Complevi et absolvi per memorata tertia indictione. †

(1) Quae inde sequuntur et subscriptiones in voluminis.
instrumento appositas habes in tab. VIII primi

XVII.

Sergius consul et dux concedit atque confirmat dominae Annae abbatissae monasterii Ss. Gregorii et Sebastiani atque Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi et S. Pantaleonis omnia iura et privilegia ipsius monasterii.

(Ex exemplo (1) in *Notam. instrum. S. Gregorii* transcripto n. 402).

(1067) In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Imperante domino nostro Constantino magno Imperatore anno septimo die decima mensis magii Indictione quinta Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul et dux atque Domini gratia magister militum Postularis vos vid. domina Anna venerabilis abbatissa monasterii et cenobii Ss. Gregorii et Sebastiani atque domini et salvatoris nostri Iesu Xpi. et sancti Pantaleonis puellarum Dèi et cuncta vestra congregatio monacharum dicti sancti et venerabilis vestri monasterii quatenus vobis posterasque vestras concederemus et firmaremus dictum integrum monasterium vestrum cum omnibus eis pertinentibus acquievimus vestre postulationi et per huius preceptis seriem concedimus et firmamus vobis dicte domine Anne venerabili abbatisse et cuncte vestre congregationi monacharum dicti sancti et venerabilis vestri monasterii presentibus et ad futuras idest dictum integrum monasterium una cum cellis et habitationibus domibus, et cum codicibus et ornamentis et cum omnibus ecclesiis suis subiectis de intus et foris, cum omnibus illorum pertinentiis, et cum omnibus casalibus seu fundoras et terris et cum omnibus mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque moventibus et cum omnibus eis pertinentibus, seu et integrum omnem suum hospitatum fundatum et exfundatum et cum omnibus adiacentibus, cum servis et ancillis seu defisis et comenditis atque colonis et colonabus simul pertinentes ipsius monasterii et cum omnibus ubique ad eodem vestro monasterio pertinentibus dummodo ibidem faciant omnem officium monachilem et luminariorum concinnationes sine mora ibidem faciendi ut bona de vobis opinio coram Deo et hominibus luceat et post transitum tuum dicte domine Anne abbatisse licentiam habeat ipsa sancta vestra congregatione monacharum presentibus et futuras eligere et facere ibidem abbatissam qualem ad eas placuerit: et confirmamus dicto monasterio medietatem molini constituti vero ad flubeum istius Civitatis qualiter et quomodo illud continet firmissima charta offertionis vestre que vobis exinde fecit quondam Stephano qui nominatur de Turre filius quondam Iohannis quam apud vos habetis. Iterum et sicuti continet firmissima charta concessionis nostre quam nos vobis ab anthea factam habemus: iterum concedimus et firmamus vobis et integra omnia quantum et quomodo vobis obtulit per firmissimam chartam offertionis quod Theodonanda filia quon-

(1) In fine exempli, Carolus de Lellis, qui pauca quaedam omiserat, addidit: *praedictum privilegium est quasi totum translatum.*

dam Theodori qui nominatur Maliabacca. et quondam Maria h. f. que Marenda clamabatur iugalium personarum que fuit posteriora coniux Gregorii qui nominatur Comitemaurone etc. seu concedimus et firmamus vobis posterasque vestras ut si quavis persona potens vel impotens de qualemcumque ordo fuerit vel fuerint qui heredem habuerunt vel habent aut habuerint vel qui heredem non habuerunt vel non habent, aut non habuerint aliquod offertum vel datum aut subiugatum habuerunt, et habent vel babuerint de rebus et possessionibus suis etc. illud firmum et stabilem habeatis. Insuper concedimus et firmamus vobis ut omnes homines tam viri quam mulieres sint absoluti omnia et in omnibus vobis etc. offerendi et donandi seu subiugandi ct qualiscumque Curialis aut notarius vel tabularius, sive scriniarius aut primarius ibidem advocatus fuerit ad scribendum licentiam et potestatem habeat ille ibidem scribere et omnia percomplere. Iterum firmamus vobis ut si qualemcumque homo masculus vel femina venerit in ista Civitate aut in pertinentia istius Civitatis et se vobis posterasque vestras commendaverit sit vobis concessum et traditum una cum filiis filiabus, nurus. atque nepotibus suis et cum omnibus illorum pertinentiis, et qui introierit ad habitandum in dicto vestro monasterio aut in rebus et possessionibus ipsius vel in casis de vestris hominibus aut in rebus et possessionibus illorum sint vobis posterasque vestras et in dicto vestro monasterio concessi et traditi cum omnibus illorum pertinentiis. Interea concedimus et firmamus vobis ut licentiam et potestatem habeatis vos et posteras vestras edificias et negotias facere et habere seu facere faciatis ante domos et habitationes dicti vestri monasterii et ante domos et habitationes de dictis hominibus vestris sine omni contrarietate sit vobis concessum et traditum et dictis omnibus hominibus quantos et quales vobis superius concessimus de qualemcumque ordo fuerit de qualibet artificia vel negotia fecerint et ab hodierna die et semper omnia et in omnibus que superius vobis concessimus a nobis vobis sit concessum, et traditum et neque a nobis predicto Sergio in Dei nomine eminentissimo Consule et Duce atque domini gratia magister militum neque a posteris nostris qui post nos in nostro honore locoque duces accesserint nullo tempore numquam vos dicta domina Anna venerabilis abbatissa et predicta congregatio monacharum presentibus et futuris dicti monasterii quod absit habeatis exinde aliquando quamcumque requisitione aut molestia per nullum modum: quod vero preceptum sicut superius legitur factum Iohanni primario scribere precepimus in qua et nos subter pro ampliore firmitate manus nostra propria subscripsimus.

† Sergius consul et dux subscripsi. †

XVIII.

Sergius consul et dux confirmat Sergio Crispano, parenti suo, omnia bona, quae is sive iure hereditario, sive ex empto habebat, et quasdam immunitates etiam concedit.

(Ex apographo anni 1333 (1) *in Regestis Andegavensibus* n. 294 (1333-1334, D. f. 41).

(1067) In nomine domini dei salvatori nostri Iesu Christi. Imperante domino nostro Constantino magno Imperatore anno septimo die quintadecima mensis Maii Indictione quinta neapòli. Nos Sergius in dei nomine eminentissimus Consul et Dux, ac domini gratia magister militum concessimus et tradimus tibi Sergio qui nominatur Crispano parenti nostro filio quondam Iohannis qui iterum Crispano vocabas nostro parenti Itest integram omnem tuam hereditatem, seu substantiam intus et foris: hoc est domos et casalibus seu terris rationalibus, quamque funduras et ortuas, vel mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque moventibus, omnibusque eis pertinentibus, omnia et in omnibus, undecumque, aud quomodocumque, vel ubicumque tibi pertinet, aud pertinentes fuerit per quovis modum, longinquis et propinquis, montis, Collis, Ripis, seu Ribis, aquis, pratis, olibetis, Castanetis, cerquetis, Insertetis, pascuis, maris piscationibus et Aquilationibus cum omnibus illorum pertinentiis: quoque concedimus et tradimus tibi et omnem tuum hospitatum fundatum et exfundatum vivorum et mortuorum, cum ipsorum fundoras et terris seu cespites, vel omnes consuetudinarias, censoras, et Regulis, et ex caballicavitationibus (a), atque salutes: vel omnibus aiacentibus et pertinentibus eis, pertinentes Simul tibi, sive per parentorum tuorum, aud a partibus militie, vel a partibus Langobardorum, vel per alium qualecumque modum seu concedimus et traddimus atque firmamus tibi id est Integrum omne tuum paratum et conquesitum Intus et foris, quod nunc paratum et conquisitum habes vel quod amodo et in antea parare et conquirere po-

(a) Sic in membrana; infra vero rectius: *excaballicavilationibus.*

(1) Privilegium transcriptum fuit in quodam diplomate regis Roberti dato sub die 20 m. decembris an. 1333 ind. II. Operae pretium est verba diplomatis heic repetere « Robertus etc. Universis presentes literas inspecturis tam presentibus, quam futuris. Antiquorum gesta in authenticam scripturam pro nostrorum fidelium plerumque cautela producimus, et persepe ut rei geste memoria tantummodo pateat, per nostre scriptionis seriem renovamus. Sane Petrus Crispanus de Neapolis, iurisperitus, consiliarius, familiaris et fidelis noster Maiestati nostre nuper exposuit, quod spectabilis quondam Sergius Consul et Dux Civitatis Neapolis, atque Comes et Magister Militum quondam Sergius Crispano de Neapoli consanguineo suo, a quo Petrus ipse asserit originem se traxisse, quasdam concessit immunitates et gratias, que in quodam publico instrumento, seu privilegio de curialisca scriptura confecto, qua Dux idem tunc temporis utebatur, exponebantur seriosius continere. Et quia scriptura ipsa erat communiter sensibus innota legentium, idem Petrus nobis supplicavit attentius, ut transferri ipsum privilegium, sive scriptum in Latinam linguam sive scripturam sub pendenti maiestatis nostre sigillo, non quod probatio vel cautela aliqua exinde quomodolibet assumatur, sed tantummodo ad claram et distinctam lecturam illius, ut ad quamdam ostensionem seu demonstrationem clarus de ipso legentibus prodeat intellectus; man-

tueris Intus et foris per quovis modum, et omnia et in omnibus quantum et comodo tu tenere et dominare videris sive pro parte iuris nostri publici aud per alium qualecumque modum, sive per scriptum vel absque scriptum una cum alia omnia, et in omnibus, quantum et quomodo, amodo et in antea tenueris vel dominaberis intus et foris per quovis modum : Iterum concedimus et traddimus tibi et omnes difisos et commenditos, seu censitos tuos intus et foris cum omnibus illorum pertinentiis una cum aliis omnibus hominibus tuis, et cum omnibus illorum pertinentibus inter his omnibus (a) concedimus et traddimus integram omnem hereditatem seu substantia intus et foris de quondam Mansa, honesta femina, coniuge tua idest domos et casalibus, seu terris rationabilibus, quamque fundoras et ortuas, vel mobilibus rebus mobilium et immobilium, seseque moventibus, omnibusque eis pertinentibus et omne tuum hospitatum, fundatum et exfundatum cum ipsorum fundoras et terris, seu cespites, vel omnes consuetudinarias Censoras et regulis, responsatica et salutes atque angariis et ex caballicavilationibus, una cum omne tuum paratum et conquesitum, cum omnibus tuis pertinentibus, que simul ad ea pertinuit sive per parentorum tuorum, aud a partibus militie, aud a partibus Langobardorum, vel a parte iuris nostri puplici, aud per alium qualecumque modum: et omnes deffisos, quos intus et foris cum omnibus illorum pertinentibus et omnibus hominibus suis masculis et feminis cum eorum pertinentibus, alia omnia et ex omnibus undecumque, aut quomodocumque ad subscriptas Coniuge tua pertinuit, vel pertinet, aut pertinentes fuerit per quovis modum. Et iterum concedimus et tradidimus seu firmamus tibi idest inclita (b) casa Petri, qui nominabatur de Sabatino, naturali tuo, qui una tecum est cum Germanis suis et inclita casa de maria, que nominatur Stora, que fuit habitatrice de intus Laneum et modo habitas intus in ista Civitate, et inclita casa de Aldemari genero Gregorii, presbyteri qui nominatur Codafamulo. et inclita casa Boni cum Petro germano suo que fuit de Salerno. Et inclita casa Alfani, que fuit de Salerno, et modo habitas in

(a) Verisimiliter heic error inest; sensus enim non recte procedit.
(b) Male in editis heic et inferius: *molica*.

dare benignius dignaremur. Nos igitur nostrorum fidelium votis, que pro preteritorum rememoratione procedunt, et cuiusvis dispendium seu diminutionis incommodum non includent, benigno condescendentes assensu, huiusmodi supplicacionibus inclinati predictum privilegium sive scriptum Curialium litterarum dicti Ducis, ut in eo apparebat, subscriptione munitum, per dictum Petrum in nostra Curia presentatum, cum corrupta grammatica et in stilo sive forma decenti per certos Curiales Civitatis Neapolis iuratos ad hoc, qui de scripturis ipsis habent in legendo et intelligendo experientiam satis notam, fideliter de scriptura Curiali in Latinam transferri, et presentibus nostris literis annotari mandamus; ex qua quidem translatione seu translationis pagina, et presentibus nostris litteris nullam probationem, fidem, vel cautelam assumi precipimus, nec pretendi per quospiam in iudiciis vel estra iudicia volumus in futurum, sed illam et has nostras literas valere tantummodo volumus ad lecturam, ut ex translatione presenti legentium singulorum aspectibus concessa res pateat, et de gestis preteritis illis notitiam presentis translate scripture claram et apertam seriem representet, cuius quidem Curialis translate scripture pagina erat per omnia tenoris et continentie subsequentis. » — Diploma primus edidit BORRELLI, *Vindex Neap. nobilitatis* p. 78.

Cansarrea. Et inclita casa Marani, que fuit Libinie, et modo habitas in ista Civitate. Et inclita casa Petri Salmentani, et Nicolao fratri suo bardaro. Et inclita casa Venerusi, que fuit de Capua, et modo habitas in ista Civitate. Omnes una cum filiis et filiabus, nuruis, atque nepotibus illorum, et cum omnibus eorum pertinentibus. Et qualiscumque homo extraneus venerit in ista Civitate, aut in pertinentia istius Civitatis, si autorem non habuerit ille in ista Civitate, sit tibi et ad tuas heredes concessum, et traditum una cum filiis filiabus, nuruis atque nepotibus suis et cum omnibus suis pertinentibus. Et iterum et qualiscumque homo extraneus introiverit ad habitandum in domo tua aut in currellum (1), vel in rebus et possessionibus tuis, aut in aliis tuis pertinentibus, aut in casa de hominibus tuis, aut in rebus et possessionibus illorum aut si ille uxorem tulerit, filia vel nepotem aut sororem, de ipsis hominibus tuis, si autorem non habuerit in ista Givitate, sit ille tibi, et ad tuos heredes concessum et traditum unà cum filius, filiabus, et nuruis atque nepotibus suis et cum suis omnibus pertinentibus. Et qualiscumque homo de ipsis hominibus eius fecerit qualecumque arteficia, vel egerit qualecumque negotia terram, marisque, omnia publicalia et dationes que exinde exiet per quovis modum sit tibi, et ad tuos heredes concessum, et traditum tollendi, et faciendi exinde omnia que volueritis. Et qualiscumque de ipsis hominibus tuis et de hominibus de suprascripta coniuge tua obierit absque proprio herede sine disposito et omnia que nostro iure publici exinde pertinuerit, cecidere, sit tibi et ad tuos heredes concessum et traditum faciendum exinde omnia que volueritis. seu firmamus tibi et omnes concessiones, et verboras et treguas, quantas et quales superscriptu genitor tuus, vel avus tuus vel tu ipse apprehenserunt, aut apprehensisti ad qualecumque causa a parte iure nostri publici, sit tibi et ad tuos heredes firmas et stabiles de omnia, que continent. Et ab hodierna die, et semper hec omnia, et in omnibus suprascriptis, que superius tibi concessi atque firmavi, sicut superius legitur, a nobis tibi sit concessum et traditum. Et illud in tua tuisque heredibus sit potestate faciendi exinde omnia que volueritis et neque a nobis suprascripto Sergio domini gratia Consule et Duce, atque magister militum, neque a posteris nostris, qui post nos in nostro honore lecto per (2) Duces accesserint, nullo tempore, numquam tu suprascriptus Sergius, qui nominatur Crispanus parenti nostro, aut tui heredes, quod absit, habeatis exinde aliquando quantumcumque requisitionem aut molestia per nullum modum, nec per submissam personam a nunc et in perpetuis temporibus. Quam concessionem sicut superius legitur a me factam Iohanni primario scribere precepimus, in quo et nos robur pro eius ampliori firmitate manus propria subscripsimus die et Indictione suprascripta.

Ego Sergius et Dux sub.

(1) Vox fortasse corrupta.

(2) Sic in *Regesto* andegavensi et apud Borrellum: at male in utroque. Heic enim, ut ex permultis aliis locis similibus argui potest — *in nostro honore locoque duces accesserint* — legendum est. Qui privilegium originale in lecturam comunem transtulit et in regis Roberti diplomate inseruit, non bene assecutus formulam, qua Curiales utebantur, eam *in nostro honore lecto per duces accesserint* interpretatus est.

XIX.

Sergius filius domini Ioannis ducis et Sergius filius domini Ioannis senatoris, ambo consules et duces Neapolis concedunt domino Ioanni abbati monasterii S. Salvatoris in insula maris monasterium S. Antonii in monte Pausilipo cum omnibus eius pertinentiis.

(Ex apographo in R. Neap. Archivo. Cf. R. N. A. M. t. V, p. 73).

In nomine domini dei Salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domino nostro (1075) Michaele et andronio atque constantino porfirogenito magnis Imperatoribus anno octabo: die vicesima mensis nobembrii indictione quarta decima neapoli: Nos sergius in dei nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratia magister militum filius bone recordationis domini iohannis. consulis et ducis atque magistri militum. quanque sergius in dei nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratia magister militum filius vone memorie domini iohannis senatoris qui fuit filius domini iohannis consulis et ducis atque magistri militum hoc est thius et nepos: Concedimus et tradidimus vobis domino iohanni venerabili abbati monasterii nostri domini et salvatoris nostri ihesu christi insule maris et cuncte vestre congregationis monachorum memorati sancti et venerabilis nostri monasterii. et per vos in memorato sancto et venerabili nostro monasterio: idest integrum monasterium vocabulo beati antonii christi confessoris situm vero in scapula monte pausilipense (1): una cum suis omnibus cellis et avitationibus cunctique domibus. et cum omnibus casalibus seu terris sationalibus suis quamque fundoras et hortos vel mobilibus rebus movilium et immobilium seseque mobentibus omnibusque eis pertinentibus terraque marique et integrum ospitatum suum fundatum et exfundatum cum omnibus atiacentibus pertinentibus eis. et integra obedientia sua vocabulo beatissimi seberini christi confessoris pertinente ipsius monasterii sancti antonii. constituta vero intus anc civitatem neapolis at calcara una cum omnibus cellis et abitationibus suis cunctique domibus et ipothecis suis. et integra hpusterula sua que exiet per ipsa obedientia foris at calcara et cum omnia et in omnibus quantum et quomodo ad eodem monasterio sancti antonii et at ipsa obedientia sancti seberini pertinet aut pertinentes fuerit per quobis modum terra marique et qualiscumque homo masculus vel femina intraverit vel exierit cum qualecumque causa per ipsa pusterula de ipsa obedientia vestra que superius vobis concessimus vos et posteris vestris exinde pargiare debeatis qualiter et quomodo volueritis asque omni contrarietate de qualecumque persona seu concedimus et tradidimus vobis et per vos in memorato nostro monasterio insule salvatoris. Idest dua bicora unum que descendit at platea publica que badit at calcaria. alium qui no-

(1) Cf. *Regest. Neap.* nn. 87, 271, 468.

minatur de sanctorum cosme et damiani (1) qui descendit da subtus portico publico usque at illa domum de illi appaea (2) deinde rebolbit in parte occidentis et vadit ante abitationes et ante memorata obedientia vestra sancti seberini et ante domos et ipothecas et abitationes ipsius obedientie vestre sancti seberini et vadit usque at calcara. et non abeas licentia qualecumque persona in ipsa bicora que superius vobis concessimus ex utraque partes qualibet edificium in terra vel in aheres que ibidem sunt desuper aut qualiscumque noster quillibet facere decurrere super facie terre vel qualibet inbasione ibidem facere vel abere per nullum modum. et qui illud ibidem facere presumserit per quobis modum et iuventum fuerit. licentiam et potestatem abeatis vos et posteris vestris memoratoque vestro monasterio inde illud destruere asque omni contrarietate de qualecumque persona: quamque concedimus et tradidimus vobis et integrum illum murum et turres iure nostri pubblici qualiter incipit ab illa porta de porta noba et vadit usque ad angulum et abinde qualiter badit usque at calcara una cum terra et turres et succuppelle qui ibidem sunt et cum arcora que ibidem sunt et cum terras suptus ipsa arcora. et cum illa terra que est foris ipsas turres et predictum murum qualiter vadit ipsa terra usque ad illa porta de calcara cum tota ipsa plagia de ipso angulo et qualiter vadit ipsa plagia et illu baricatorium usque ad memorata porta de calcara et licentiam et potestatem abeatis vos et posteris vestris et memorato nostro monasterio insule salvatoris quandoque volueritis aprire et facere seu abere portas aut pusterula in ipsa terra de ipsum murum vel in ipse turre que sunt in ipsa terra et ipsum murum que su-

(1) Haec ecclesia, de qua mentio habetur in *Regest. Neap.* n. 151, 376, 445, olim extabat in regione Portanovensi, ubi nunc via *Benvenuto Cellini*. Cf. Summonte, *Hist. di Nap.*, t. II, p. 327. Duorum instrumentorum summaria, quae situm eiusdem et viciniae declarant, ex *Catasto S. Petri* ad Castellum, heic referre juvat. In primo enim continetur « quomodo Iohannes abbas dicti monasterii *(S. Salvatoris insule maris)* concessit ad livellaticum Lello Pisano, qui fuit de civitate Piso, nunc habitatori Neapolis, idest integram domum juris ipsius monasterii, que est ex parte edificata et ex parte distructa . . . . . . integra inferiora cellarii maiori cum integra superiora orrei constituta super se, ... cum integris duabus aliis inferioribus cellariis et superioribus . . . . cum gradibus que ibidem ascendunt et descendunt et una de ipsis superioribus est constituta super porticellam (*porticum?*) que est supra viam publicam sanctorum Cosme et Damiani, ubi est columnella marmorea et astracum scopertum et est iuxta viam publicam que vadit ad portam suprascripti monasterii que vadit ad portam de illo Caputo, posita vero intus hanc civitatem Neapolis iuxta viam publicam sanctorum Cosme et Damiani regione Portanovensi una cum aieribus *etc.* et est iusta curtim comunalem unde habet introitum, iuxta vicum publicum sanctorum Cosme et Damiani *etc.* Quod instrumentum factum est in tempore regis Guillelmi et est signatum hoc signo CCCLXXXV ». — In altero habetur « quomodo Oddo ven. abbas dicti monasterii concessit Iohanni de Bisantio ac uni ex filiis et heredibus suis masculis integram domum iuris propriam ipsius monasterii, que sunt duo inferiora apothece cum integra superiora super se coperta ad tectum, cum integra curticella propria de ipsa domo *etc.* posita vero intus hanc civitatem Neapolis in platea Calcaria iuxta vicum publicum qui nominatur Ss. Cosme et Damiani regione Calcarie cum omnibus *etc.* et a parte occidentis et septentrionis est platea publica que ducit ad illa porta vestra (*monasterii* scil.) que olim dicebatur ad illo Gallone, que nunc de illo Caputo ubi de inferius et superius sunt regie, fenestra et alie aperturie unde habet introitum, seu in qua ipsa platea publica est una columna marmorea ista propria de ipsa domo *etc.* Quod instrum. factum est in tempore regis Federici et est signatum hoc signo CCCLIIII ».

(2) Cf. *Regest. Neap.* nn. 351 et 531. Forte haec familia eadem est ac illa quae alibi vocatur *de Appium de Portanoba*. *Regest. Neap.* n. 413. Cf. etiam n. 648.

perius per ipsa finem vobis concessimus asque omni contrarietate de qualecumque persona. et qualiscumque homo masculus vel femina inde intraverit vel exierit cum qualecumque causa vos et posteris vestris et memorato nostro monasterio insule salvatoris exinde pargiare debeatis qualiter et quomodo volueritis asque omni contrarietatem de qualecumque persona et nullatenus presumat quabis persona in ipsa terras de ipso mu (*muro*) et in ipsas turres que simul superius vobis concessimus ut super legitur intus ipsas fines facere qualibet pestrula (*sic*) vel porta aut pertusum aut aperturia per nullum modum et si illud ibidem facere presumserit et inventum fuerit licentiam et potestatem abeatis vos et posteris vestris memoratoque nostro monasterio insule salvatoris illud facere fabricare persona illam qui ibidem illud fecerit vel abuerit asque omni contrarietate de qualecumque persona. iterum concedimus et firmamus vobis idest integra domum vestra et hortum vestrum iuxta se parte septentrionis et curte ante se parte hoccidentis et puteo aque vibe qui ibi est cum quantas arcora sunt ibidem in ipsa tesa de ipso muro que simul vos comparastis da Sergio qui nominatur de materleo serbienti nostro per firmissima chartula comparationis vestra posita vero intus anc civitatem neapolis at calcaria una cum inferioribus et superioribus suis vel omnibus membris aheribus et aspectibus suis et cum introytibus suis omnibusque eis pertinentibus et illud in vestra vestrisque posteris memoratoque nostro monasterio insule salvatoris sit potestate ad abendum et poxidendum illud usque in sempiternum : et si aliquod ex ipsa domum et de iamdictum hortum et de illorum pertinentiis pertinuit habere per quobis modum quondam gemma qui fuit conius memorati sergii de materleo iterum sit vobis et at vestris posteris memoratoque nostro monasterio insule salvatoris concessum et traditum ad avendum et possidendum usque in sempiternum: nec non concessimus et firmamus vobis et per vos in memorato sancto et venerabili nostro monasterio insule salvatoris integra casa que fuit de quondam stephano qui nominatur pappaasinum filio quondam stephani qui iterum pappaasino vocabat posita vero intus anc civitatem neapolis at monterione cum inferioribus et superioribus suis vel omnibus membris aheribus et aspectibus suis et cum introitu suo omnibusque eius pertinentibus una cum logora negotianti ante se: pertinente vobis et in ipso nostro monasterio insule salbatoris memorata domu cum suis omnibus pertinentiis per dispositum quondam memorati stephani pappaasino ut illud in vestra vestrisque posteris memoratoque nostro monasterio sit potestate ad avendum et possidendum illa usque in sempiternum: cum quantas ipothecas facere et habere volueritis ante ipsas domos vestras vel ante ipsas domos et habitationes ipsius monasterii sancti antonii. et ad ipsa obedientia sancti seberini vel in ipsa domum que vos comparasti da ipso sergio de materleo et in ipsum bortum vel in ipsa curte licentia et potestate abeatis: et omnes dationes et publicalias que exinde exierit vos illud tollere et habere debeatis faciendi que volueritis: iterum firmamus vobis ut qualiscumque homo extraneus masculus vel femina introierit per qualecumque modum sibe in ipsa vicora que superins vobis concessimus aut in predictas domos et habitationes ipsius monasterii sancti antonii vel

ipsas domos et avitationes predicte obedientie sancti seberini vel in predictas domos que superius vobis concessimus aut in aliis domibus et avitationibus ipsius nostri monasterii insule salvatoris aut in fundoras · et curtes de ipso monasterio aut in aliis rebus et possexionibus illorum aut in casis de hominibus ipsius nostri monasterii aut in fundoras et curtis illorum sit vobis et ad vestros posteros memoratoque nostro monasterio insule salvatoris concessum et traditum una cum filiis filiabus nurus atque nepotibus illorum et cum omnibus illorum pertinentiis et cum omnes angarias et serbitias seu dationes que ipsi dare et facere debent per quobis modum pro parte nostri publici. et ab hodierna die et semper hec omnia et in omnibus memoratis que superius vobis et per vos in eodem sancto et venerabili nostro monasterio insule salvatoris concessum sicut superius legitur a nobis vobis et per vos in memorato sancto et venerabili nostro monasterio insule salvatoris sit pro redemptionis anime nostre et de quondam memorato genitore nostro seu avio nostro sit concessum et traditum et illud in vestra vestrisque posteris memoratoque vestro monasterio sit potestatem ad avendum et possidendum illud in sempiternum et neque a nobis memoratis duobus sergiis consulibus et ducibus atque magistris militum thio et nepote neque a posteris nostris qui post nos in nostro honore locoque duces accesserint nullo tempore numquam vos memoratus dominus iohannes venerabilis abbas ipsius monasterii nostri insule salvatoris aut posteris vestris vel memorato nostro monasterio quod absit abeatis exinde aliquando quacumque requisitionem aut molestiam per nullum modum aut per summissas personas a nunc et in perpetuis temporibus omnes vero concessiones et verboras trequas quantas et quales appreensas abent memorato nostro monasterio a publici potestate de omnia que continent firma et stabilis permaneat vobis et at posteros vestros et at memorato nostro monasterio insule salvatoris in perpetuis temporibus: Qua concessione nostra sicut superius legitur a nobis facta iohanni primario scribere precepimus et manus nostras pro eius ampliore firmitate subtus scripsimus huic die et indictione quarta decima † . . . alia manu . . . .

† Sergius Consul et Dux subscripsi. . . . .

† Sergius Consul et Dux subscripsi . . . .

† ego cesarius primarius curie uius civitatis neapolis hec exemplaria concessionis sicut superius legitur quam eius authentica nobis atduxit dominus Gregorius venerabilis abbas memorati monasterii ipsius domini et salbatoris nostri Ihesu Christi insule maris pro ista exemplaria had eum faciendum pro memorato monasterio ex ipsa hauthentica relebata et at singulas relectas pro ampliorem eius firmitatem manus nostra propria subscripsi: regnante domino nostro Guillelmus Sicilie et Italie magnifico regnante anno duodecimo et eius dominationis civitatis neapolis anno duodecimo: die nona mensis februarii indictione undecima. †

† ego cesarius tabularius curie uius civitatis neapolis hec exemplaria concessionis sicut superius legitur quam eius authentica nobis atduxit dominus gregorius

venerabilis abbas monasterii memorati ipsius domini et salvatoris nostri Ihesu Christi insule maris pro ista exemplaria had eum faciendum pro memorato monasterio ex eius authentica relebata et at singulas relecta pro ampliorem eius firmitate manus nostra propria subscripsi regnante domino nostro guillelmus sicilie et italie magnifico rege anno duodecimo: et eius dominationis civitatis neapolis anno duodecimo: die nona mensis februarii indictione undecima. † (*scil. a. 1178*).

XX.

Sergius et Iohannes, consules et duces Stephaniae abbatissae monasterii Ss. Gregorii et Sebastiani atque Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi et S. Pantaleonis vetera privilegia a praedecessoribus ducibus concessa renovant atque confirmant.

(Ex cit. cod. Ms. TUTINII f. 23 (1)).

(1090) In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domino nostro alexio magno imperatore anno nono die quintodecimo mensis Magij indictione tertia decima neapoli. Nos Sergius in dei nomine eminentissimus Consul et Dux atque domini gratia magister militum nos autem pro vice nostra et pro vice Iohanni duci filii nostri qui infra etatem esse videtur concedimus et tradidimus seu firmamus tibi Stephania humilem abbatissam dilecta parenti nostra monasterii et cenobii beatissimorum Gregorii et Sebastiani atque Domini et salvatoris nostri Ihesu Christi et S. Panthaleonis puellarum Dei constitutum intus ista nostra civitate Neapoli in platea que nominatur Nustriana: idest suprascriptum integrum monasterium una cum omnibus ecclesiis et obedientiis et substantiis de intus et de foris cum omnibus illorum pertinentibus et cum omnibus domibus et habitationibus seu hortuas: quamque et cum omnibus casalibus seu terris rationalibus cultis vel incultis montis collis ribis acquis pratis et pascuis holibetis et cerquetis seu castanetis et padulis et excatoriis et infosarios et molinos cum aquis et arcaturias eorum seu et cum omnibus aquilationibus et maris piscationibus et integrum hospitatum suum fundatum et exfundatum vivorum et mortuorum cum ipsorum fundoras et terris seu cespites vel omnes consuetudinarias censoras et regulas seu responsaticas et salutes atque angarias et scaballicationibus et dacionibus eorum cum omnibus adiacentibus et pertinentibus eis simulque et cum servis et ancillis atque defisis et commenditis censitis eius de intus et foris cum omnibus adiacentibus et pertinentibus seu et cum omnibus mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque moventibus omnibusque a suprascripto monasterio generaliter et in integro pertinentibus omnia et ex omnibus undecumque aut quomodocumque vel ubicumque ibidem pertinet aut pertinentes fuerit aut detinent aut dominant sive modo vel antea per quovis modum vel ibi a christianissimis viris et a mulieribus offertum aut datum vel subiugatum est aut fuerit per qualecumque modum intus et foris in integro a nobis tibi iam dicta Stephania venerabili abbatissa sit concessum et datum: ea videlicet ratione quatenus a nunc et omnibus diebus vite tue ibidem abbatissa esse debeas et omnia et in omnibus soprascriptis qualiter et quomodo ut superius legitur in

(1) Huius diplomatis mentionem fecerunt tum CAPACIUS, *O. c.* t. I, p. 140, tum CHIOCCARELLIUS, *O. c.* p. 47. Praeterea in quodam cod. Ms. apud bibliothecam *Societatis Historicae Neapolitanae* adservato, cui titulus: *Vetusta Neapolis monumenta ex Archivio Magnae Curiae Regiae Siclae collecta ab. an. 1239 ad an. 1423 ex Ms. spectab. Regentis Salernitani transcripta hoc loco, quae possidentur per magn. U. I. D. Nicolaum Caputum hoc anno 1662 Neapoli*, aliud etiam eiusdem diplomatis exemplum nuper inveni (fol. 118-133), quod ego, quamvis ex parte mendosum, cum Tutiniano contuli.

tua sint potestate tenendi et dominandi seu frugiandi et de ipsas frugias faciendi omnia que volueris et sancta eius congregatione monacharum cum Dei aiutorio et timore regulariter regere et gubernare debeatis sub castitate et monachalis disciplina ut regula beati Benedicti docet ut incessanter vos et predicta vestra congregatione monacharum die noctuque ibidem vesperos et matutinos seu missarum sollemnia et oris laudibus *etc.* luminariorum vero concinnationes sive ad hora (1) regulariter offerant. Siquidem ex hoc ordine predicta monasteria que in unum agregabimus et copulabimus ab omni servitutis conditione pro Dei amore et beati Benedicti cuius regula tenere videmini et neque a nobis suprascriptus Sergius Domini gratia magister militum Nos autem pro vice nostra et pro vice suprascripti Iohannis duci filii nostri qui infra etatem esse videtur neque a nostris subcessoribus liceat ex rebus prefati monasterii vel hospitibus et fundoras vivorum et mortuorum fundatis et exfundatis et omnibus commenditis fundatis et exfundati omnia cum ospitibus et consuetudinibus et omnibus aiacentibus et pertinentibus eis et omnibus servis et ancillis ac defisis cum omnibus illorum pertinentibus eis et que offerte sunt vel fuerint aliquomodolibet subtrahere aut populare nec alterius ordinis monachos aut sacerdotes ibidem eligere aut ordinare vel *pro tali* ordine precium aut munus suscipere sed sicut superius sancimus omnes predicta monasteria sanctarum ecclesiarum ceterarumque rerum ordinatione in tua predicta Stephania venerabili abbatissa sanctaque vestra congregatione posterasque vestras sint et permaneant potestate. Ideo hoc fieri decrevimus ut amodo et deinceps et semper predicta congregatione in Dei laudibus alacrior et devotissima *existat* quatenus pro vita nostra et salute patrie liberis animo omnipotenti Domino sedulam offerant precem et qui istut mundum derelinquere cupiunt et sustinent sub almi patris Benedicti iugo colla summittere clariores saluti eis pandamus vias (2). Iterum concedimus et firmamus vobis et in suprascripto vestro monasterio ut si quavis personas sive parva aut magna habuerit domos aut ortuas seu casalibus et fundoras et ortuas et terris suprascripto vestro monasterio et quolibet avveniente tempore exinde dare havuerit ipsis vel illorum heredes et vos et posteras vestras et suprascripto vestro monasterio illud tollere et habere volueritis in omni ordine et tenore quomodo alias personas qui in congruum habuerit licentiam et potestatem habeatis, quamque concedimus vobis et qui de straneis vel liberis ominibus in casa suprascripti vestri monasterii habitantur vel ad habitandum ingressi fuerint cum suprascriptis omnibus ospitibus et commenditis seu defisis suprascripti vestri monasterii sive cum eis aut in illorum fundoras et curtis seu mansionibus. Iterum sit vobis et ad vestras posteras concessi et traditi una cum filiis et filiabus suis atque nepotibus illorum eorumque heredibus cum omnibus illorum pertinentibus. Insuper concedimus et firmamus vobis et in suprascripto monasterio vestraque congregationis presentibus et futuris ut si quavis personas sive de sacerdo-

(1) Reliquum excriptor omisit. Cf. supra p. 34, not. (1).

(2) Vox haec, quae periodi sensum absolvit, in aliis eiusdem monasterii similibus privilegiis, quae ex cod. Tutinii retuli, desideratur. Immo omittitur etiam in diplomate anni 1127 quod ex apographo anni 1171 infra dabo. Ego vero ęam heic suppleo ex exemplo, quod sero animadverti, cum paucis abhinc diebus in supra cit. cod. Ms. *Soc. Hist. Neap.* incidi.

talis aut secularis ordine aut feminas potens vel impotens sive qui heredes habent vel qui absque heredes fuerint vobis et a posteras vestras vel a suprascripto vestro monasterio vestraque congregatione monacharum sive qui nunc esse videtur vel futura ibi accesserint in perpetuum offerre aut per quolibet modum dare voluerit qualemcumque rem aut sustantias suas sive domos aut casale terras vel ortuas aut ospitibus commenditis fundati et exfundati vivorum vel mortuorum cum cespitibus et consuetudinibus eorum et regulis et omnibus aiacentibus et pertinentibus eis seu mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque moventibus omnibusque eis pertinentibus sit a nobis omnes absoluti omnia vobis obtulendi dandi seu tradidendi et qualiscumque Curiale vel tabularius aut notarius vel scriniarius aut primarius advocaveritis ad scribendum sit illis a vobis absoluti omnia vobis scrivendi et peragendi omnia que vobis placuerit et vobis omnia que appreenseritis firmum et stabile habere debeàtis perennis perpetuisque temporibus. Iterum firmamus vobis et in suprascripto vestro monasterio vestreque congregationis monacharum presentibus et futuris ut (1) omnes cartule et scriptiones et preceptora et concessiones et omnes cartule offertionis quantas et quales vos aut antecessoras vestras apprehense habetis da nos vel da singulis ducibus antecessoribus nostris omnia qualiter continent sit tibi tuisque posteras suprascripto vestro monasterio vestraque congregationis monacharum firma et stabilis in perpetuum temporibus. In ceteris (2) concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et in suprascripto vestro monasterio eiusque congregationi presentibus et futuris idest integrum insertetum (3) nostrum posita in loco qui nominatur S. Anastasia que vos tenere et dominari videritis una cum scapulis et rioras et egripas suas et cum introitas et anditas seu viis earum omnibusque sibi generaliter pertinentibus. Iterum concedimus et firmamus vobis vestrisque posteras et in suprascripto vestro monasterio vestraque congregatione idest integrum molinum nostrum positu vero a flubeo ipsius nostre civitatis una cum fossatis et arcaturias et reditas et molas et ferroras et omnes conciaturias simul in eodem molinum pertinentes seu et cum aquis et cursoras suas et cum conciaturias et viis et anditas et introitas suas omnibusque a suprascriptum integrum molinu per quolibet modum generaliter pertinentibus et ab odierna die et semper hec omnia et in omnibus suprascriptis quas vobis concessimus cum omnibus eis pertinentibus ut super legitur a nobis tibi et in suprascripto vestro monasterio vestreque congregationi sit concessum et traditum in tua tuisque posteras et in suprascripto vestro monasterio ad habendum et possidendum illud ibidem usque in sempiternum in omni ordine et tenore qualiter et quomodo superius legitur asque omni contrarietate nostra et de nostris posteris vel de alia quavis personas. quia concessionis sicut supra legitur a nobis facta Bernardus primarius scribere precepimus in qua et nos subter pro ampliore eius firmitate manus nostra propria scripsimus die et indictione suprascripta tertiadecima.

† Sergius Consul et Dux protosevasto subscripsi.

(1) Quae hinc usque ad *formulae* finem verba sequuntur in utroque exemplo sive ex errore Curialis sive ex transcriptoris oscitantia geminata et duplicata reperiuntur.

(2) Corrige: *Interis.* Ita enim in quibusdam aliis chartis, et in diplomate an. 1127 legitur.

(3) Male in utroque exemplo: *in sesse;* locum ex sequenti diplomate corrigo.

XXI.

Sergius et Ioannes consules et duces dominae Rigali abbatissae monasterii Ss. Gregorii et Sebastiani atque Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi et S. Pantaleonis vetera privilegia confirmant et nova concedunt.

(Ex cit. cod. Ms. TUTINII f. 25).

In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Xpi. Imperante domino nostro (1097) Alexio magno imperatore anno sextodecimo sed et Iohanne porphirogenito eius filio magno imperatore anno quinto die duodecima mensis Ianuarii indictione quinta Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul et Dux per *(atque)* Domini gratia magister militum et imperialis Protosevasto. Nos autem pro bice nostra et pro bice Iohannis duci filii nostri qui infra etatem esse bidetur. Concedimus et tradimus seu damus et firmamus tibi Rigale humilis abbatissa et dilecta parenti nostra monasterii et cenobii beatorum Gregorii et Sebastiani atque Domini et salvatoris nostri Ihesu Xpi. et S. Pantaleonis puellarum Dei constitutum in nostra Civitate in platea que nominatur Nustriana. Idest integras omnes hereditatem seu substantias de intus et foris hoc est domos et casalibus seu terras rationabiles quamque fundoras et hortua vel mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque moventibus omnibus ad suprascriptum monasterium pertinentibus vel *que* pertinentes fuerit cum omnibus eorum pertinentiis cultis vel incultis longinquis et propinquis montis et collis ripis aquis pratis pasculis olibetis cerquetis seu castanetis et padulis et escatorias et infosarias et molinas cum aquis et arcaturias earum seu et cum omnibus aquillationibus et maris piscationibus et integrum omnem suum ospitatum fundatum et exfundatum vivorum et mortuorum cum ipsorum fundoras et terris seu ospites vel omnes consuetudinarias censoras et regulis seu responsaticas et salutes adque angariis et scaballicationibus et dationibus eorum cum omnibus adiacentiis et pertinentibus eis et cum omnibus serbis et ancillis atque defisis et commenditis et censitis ex ipso monasterio pertinentes cum omnibus illorum pertinentiis intus et foris et cum omni publicalias et dationes quas exinde exiet omnia et ex omnibus undecumque aut quomodocumque vel ubicumque ad suprascriptum monasterium pertinet aut pertinentes fuerit pro quobis modum sive per scriptis vel absque scriptis intus et foris cum omnibus eis pertinentibus et que a viris vel a mulieribus ibidem offertu vel datu aut subiugatum est aut fuerit per qualemcumque modum intus et foris sit tibi in suprascripto monasterio concessum et datum seu firmatum. Insuper concedimus et firmamus tibi et suprascriptum integrum monasterium cum omnibus ecclesiis et obedientiis seu subiectis de intus et foris cum omnibus eis pertinentibus: ea bidelicet ratione quatenus a nunc et omnibus diebus vite tue ibidem abbatissa essere debeatis et omnia et in omnibus suprascriptis qualiter et quomodo superius legitur in tua sint potestate tenendi et dominandi seu frugiandi fruendi et comedendi et de ipsas frugias faciendi omnia que volueritis et supra dicta eiusdem congregatione monacharum cum Dei adiutorium et timore regere et gubernare debeas sub castitate

et monachalis disciplina ut regula beati Benedicti docet: et in suprascripto monasterio diu noctuque omnem officium monachale facere et exhibere debeas hoc est vesperas et matutinas seu missarum solemnias et horis laudibus luminariorum vero concinnationes sine mora regulariter offerantur. Siquidem ex hoc ordine predictum monasterium que in unum aggregavimus et copulavimus ab omni serbitutis conditione pro Dei amore et beati Benedicti cuius regula tenere bidemini sed sicut superius sancimus omnes predicta monasteria sanctarum ecclesiarum ceterarumque rerum ordinationem in tua predicta Rigale abbatissa sanctaque vestra congregatione posterasque vestras sint et permaneant potestatem. Ideo hoc fieri decrevimus ut amodo et semper predicta congregatione in dei laudibus alacriter et debote existad quatenus pro bita nostra et salute patrie liberis *(liberiores)* animo omnipotenti Domine sedulam offerant (*precem*) et hi qui istu mundum derelinquere cupiunt festina sub almi patris Benedicti iugo colla summittere alacriores saluti eis pandamus *vias*. Quamque concedimus et firmamus tibi et in suprascripto vestro monasterio ut si quabis personas sive parba aut magna abuerit domos aut casalibus et fundoras et ortuas coniunctas cum domos et casalibus et fundoras et ortuas suprascripti vestri monasterii et quolibet adbeniente tempore exinde ad dare abueris ipsos vel illius heredes et vos et posteras vestras et suprascripto quoque vestro *(monasterio)* illut tollere volueritis in omnem ordinem et ratione quomodo alias personas qui in congruum abuerit licentia et potestate habeatis. Iterum concedimus et firmamus vobis ut qui de extraneis vel liberis hominibus masculu vel femina benerit aut introierit in casa supradicti vestri monasterii ad habitandum sive intus vel foris sit defisi supradicti vestri monasterii. Iterum et qui de straneis et liberis hominibus abitant vel ad abitandum ingressi fuerint cum suprascriptis omnibus ospitibus et commenditis seu defisis suprascripti vestri monasterii sive eis aut illorum fundoras et casatis seu mansionibus illarum sit vobis et ad posteras vestras concessi et dati seu firmati simul una cum filiis filiabus censoras adque cespitibus illorum eorumque heredibus et cum omnibus illorum pertinentibus intus et foris: similiter concedimus et firmamus vobis et in suprascripto vestro monasterio vestraque congregatione presentibus et futuris ut si quabis persona sibe sacerdotalis aut regularis ordine vir aut femina potens vel impotens sive qui heredes habent vel qui absque heredes fuerint vobis et ad posteras vestras suprascriptoque vestro monasterio vestraque congregatione monacharum sive qui nunc esse videtur vel futura ibi accesserint in perpetuum offerire aut per quolibet modum dare advenit qualescumque res aut sustantias suas sive domos vel fundoras et terris aut ortus vel ospitibus et commenditis et censitis fundati et exfundati viborum et mortuorum cum ipsorum fundoras et terris cum ospitibus et consuetudinibus eorum cum omnibus adiacentibus et pertinentibus eis sive mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque mobentibus omnibusque eis pertinentibus sit a nobis omnes absoluti omnia vobis obtulendi et dandi seu tradiendi: et qualiscumque Curialis aut notarius vel scriniarius aut tabularius sive Primarius abbocaberitis a scribendum sint illi a nobis omnes absoluti omnia vobis scribendi

et peragendi omnia que vobis placuerit et ipsa omnia que apreenderitis firmum et etabile habere debeatis perennies temporibus. In his (1) namque concedimus et firmamus tibi et in suprascripto vestro monasterio vestreque congregationis monacharum et omnia et in omnibus quantum et quomodo tu et posteras tuas suprascripto vestro monasterio tenere et dominare bideritis vel que a modo tu et posteras tuas suprascriptoque vestro monasterio tenere et dominare potueritis sive per scriptis vel asque scriptis intus et foris cum omnibus eis pertinentibus: omnes vero cartule concessionis et verboras et preceptoras et omnes cartule offertionis et alium scriptum quas tu vel antecessoras tuas apprehensum habetis aut tu et posteras tuas apprehenderitis da nos vel da singulis ducibus antecessoribus nostris vel de alia quabis persona de omnia qualiter continent sit tibi tuisque posteras et in suprascripto vestro monasterio vestraque congregationis monacharum firmum et stabilis in perpetuum: seu concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et in suprascripto vestro monasterio eiusque congregationis presentibus et futuris idest inclitu insertetum nostrum posito in loco qui vocatur S.Anastasa que vos tenere et dominare bideritis una cum scapulis et posas (*sic*) et egripas suas et cum introitus et anditus seu biis earum omnibusque sibi generaliter et in integras pertinentibus seu et inclitu molinu vestro posito vero a flubeum ipsius nostre civitatis una cum fossatas et arcaturias et reditas et molas et ferroras et omnes conciaturias simul ad eodem molinu pertinentes seu et aquis et cursoras suas et cum barcaturias et biis et anditas et introitas suas omnibusque ad suprascriptum integrum molinum per quobis modum generaliter pertinentibus. Nec non concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et suprascripto vestro monasterio eiusque congregationibus monacharum presentibus et futuris idest integras duas fundoras cum integra terra simul pertinente in predicto monasterio posita in loco qui nominatur Carpinianum cum arboribus et fructoras suas et cum introitus earum omnibusque eis pertinentibus. Iterum concedimus et firmamus tibi tuisque posteris et in suprascripto vestro monasterio eiusque congregationis monacharum idest integras omnes terras pertinentes suprascripto monasterio posita in loco qui nominatur Vasumasca (2) cum arboribus et introitus suas omnibusque eis pertinentibus et ab odierna die et semper hec omnia et in omnibus suprascriptis quas vobis concessimus cum omnibus eis pertinentibus ut super legitur a nobis tibi et in suprascripto monasterio ejusque congregationis monacharum sit concessu et traditu in tua tuisque posteras et in suprascripto vestro (*monasterio*) ad habendum et possidendum illud ibidem usque in sempiternum in omnem ordine et tenore qualiter et quomodo superius legitur asque omni contrarietate nostra et de nostris posteris vel de alia in quabis persona. Quia (*quas*) concessiones sicut superius legitur a nobis factas Bernardus primarius scribere precepimus in qua et nos subter pro ampliore eius firmitate manus nostra propria scripsimus et est (*die et*) indictione suprascripta quinta.

† Sergius consul et dux et protosevasto subscripsi. †

(1) Verisimiliter heic, ut alibi, legendum est: *Interis*.

(2) In dipl. anni 1127 locus vocatur *Nasumusca*; alibi vero dicitur: *Ad nasamusca*. Cf. *Regest. Neap.* n. 582.

XXII.

Iohannes consul et dux vendit Landoni et Iohanni Bircido domum destructam in civitate Neapolis in vico S. Mariae de pictione in regione Summae plateae pro solidis decem et septem.

(Ex membrana originali in Archivo Cavensi (1) olim Arca 27, n. 28. nunc XVIII, n. 65).

(1107) In nomine domini dei Salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domino nostro Alesio magno imperatore anno sextodecimo die secunda mensis septembrii indictione prima Neapoli. Certum est nos Iohannes in dei nomen eminentissimus consul et dux atque dei gratia magister militum et imperialis prothosebasto a presenti die promtissima voluntate venumdedimus et tradidimus vobis lando et Iohanni uterinis germanis dilecti fideli serbienti nostris filiis quondam Petri qui nominatur Bircido qui fuit fidelis serviens noster et quidem alber iugalium personarum idest integra domu distructa qui modo ortu est et balneus qui fuit de quodam Iohanne Romano servienti nostro qui sine haerede defunctus est : et fuit nominata per membra quando edificata erat integra inferiora cum superiora super se seu et integra inferiora cum superiora super se et est parte subtus superiora de quidem Capuano abio vestro et cum alia inferiora distructa cum superiora destructa super se una secus alia constituta sicuti inter una et alia pariete est finis ubi habet regie qui ingredit da una in alia et sunt ad ipsa inferiora et superiora distructa parte orientis simul posita intus hanc predicta nostra civitate neapolis in bico publico qui nominatur de sancta Maria ad illu pictione (2) regione summa platea : simul cum aeribus et aspectibus suis et cum introitas suas da supradicto bico et omnibus sibi generaliter pertinentibus et cum omnia intus se habentibus: coherente sibi a supradicta domu distructa que fuit inferiora et superiora super se : a parte orientis est supradicta inferiora cum ipsa superiora distructa quam superius vobis venundedimus sicuti in terrae fundamentu de pariete est finis ubi fuerunt regie qui ingrediebat da una in alia: seu et horticellu stephani qui nominatur de turre: et a parte occidentis est ortu suprascripti stephani de turre et a parte meridie est domu vestra seu et horticellu haeredum de illu boccia boccia : et a parte septentrionis iterum hortu memorati stephani de turre et ad ipse ambe inferiore et superiore distructe super se que superius vobis venundedimus ut super legitur coheret insimul a parte

(1) Documentum iam indicavit Di Meo, ad an. 1107, n. 11.

(2) Usque ad saeculum XVI extitit quaedam parva ecclesia seu cappella, quae dicebatur S. Mariae *de lo pezone* in vico de virginibus iuxta locum, ubi deinceps monasterium S. Iosephi de Ruffis, nunc *delle Sacramentiste*, erectum fuit. *Acta Visit. arch. Carafa* anni 1542. De ea meminit a. 1423 notarius Pappansugna ap. Sicola, *Nobiltà di S. Aspreno* p. 312 e 319.

orientis est supradictu vicu publico sicuti in terre fundamentis de pariete est finis ubi fuerunt regie qui ibidem ingrediebat : et a parte meridie est domu supradicti heredis de ipsum boccia boccia seu et ex parte de ipsa domu supradicto abio vestro et a parte septentrionis est domicella distructa supradicti stephani de turre: et quandoque vos aut heredes vestris illud conciare et edificare et sterrare et ostracare et illas in altum ascendere et cohoperire bolueritis qualiter a betere fuit licentiam habeatis: de qua nihil nobis exinde aliquod remansit aut reservavimus nec in aliena persona commisimus potestatem: sed a presenti die et deinceps a nobis vobis sit venundatum et traditum in vestra vestrisque heredibus sint potestate quicquid exinde facere volueritis semper liberam exinde habeatis potestatem et neque a nobis supradictus Iohannes domini gratia magister militum et imperiali protosebasto neque a nostris heredibus nec a nobis personis summissis nullo tempore numquam vos supradicti uterinis germanis fideli serbienti nostri aut heredes vestri quod absit habeatis exinde aliquando quacumque requisitione aut molestiam per nullum modum nec per summissas personas a nunc et in perpetuis temporibus. insuper omni tempore nos et heredes nostris vobis vestrisque heredibus in omnibus illud antestare et defensare debeamus ab omnes homines omnique persona propter quod exinde accepimus a vobis idest auri solidos decem et septem boni de amalfi ana quatuor tari per solidum in omnem decisione seu deliberatione quia ita nobis stetit: si autem et in aliquid offensi fuerimus per quovis modum aut summissas personas tunc componimus nos et heredes nostris vobis vestrisque heredibus auri solidos triginta quatuor bythianteos et haec cartula ut super legitur sit firma scripta per manus Gregorii scriptoris disciputo domini Bernardi primarii per supradictam indictionem et supradictos solidos traditos vidi.

† Iohannes consul et dux et prothosevasto subscripsi.

† Ego Marinus filius domini Aligerni testi subscripsi et suprad. solidos traditos vidi.

† Ego Iohannes filius domini Sergii testi subscripsi et (*ut supra*).

† Ego Stephanus scriniarius testis subscripsi (*ut supra*).

† Ego Bernardus primarius complevi et absolvi per suprascriptam indictionem.

XXIII.

Igumenus et monachi monasterii Ss. Sergii et Bacchi atque Theodori et Sebastiani, subscribente Iohanne consule et duce, dant in emphiteusim ad 29 annos Benedicto et Aloare conjugibus quemdam campum in secundiliano positum.

(Ex authographo in Neap. archivo. Cf. R. N. A. M. t. V, p. 370).

(1113) In nomine domini dei salbatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domino nostro alexio magno Imperatore anno tricesimo tertio set et iohannes eius filio porfirogenito . . . . (1) die nona mensis octubri. indictione septima neapoli: Petimus a bobis . . . . venerabilis igumenus monasterium sanctorum sergii et bachi qui nunc congregatum est in monasterio sanctorum theodori et sebastiani qui appellatur casapicta situm in biridiarium vos autem una cum cuntas vestras congregationes monachorum memorati sancti et venerabilis vestri monasterii: hoc est nobis benedicto et aloara hoc est iugales filio et nurua quidam denolfi qui fuit monachus (2) memorati vestri monasterii: et unis ex aliis nostris locare committereque iubeatis: Idest integrum campum vestrum de terra iuris proprium memorati sancti et venerabilis vestri monasterii qui est totu campise asque pastinum vel arbustum positum in loco qui nominatur secundilianum: Una cum introitas suas et cum quantum ad oc pertinet de piscina commune . . . . qui . . . . ipsum campum iusta illa bia publica qui ibi est a parte orientis: et omnibusque generaliter et in integro pertinentibus: et coheret at memoratum integrum campum ha parte orientis est memorata bia publica sicuti sepis exfinat. et abet ibidem de longitudine passi   et a parte occidentis est terra monasterii sancti ianuarii maioris. situ foris at corpus sicuti inter se sepis exfinat: et abet ibidem de longitudine passi   et a parte meridiana est terra de iohanne qui nominatur de

(1) Annus imperii Iohannis heic legi nequit; membrana enim est ibi prorsus deleta. At *Monumentorum Neapolitani Archivi* editores ex eorum sententia annum *vicesimumprimum* in exemplo supplent, quod certe falsum est. Nam annus 33 Alexii ex Curialium Neapolitanorum more a calendis septembris ind. VII. inceptus cum anno 22 non cum anno 21 Iohannis eius in imperio conlegae conjungi debuisset, uti ex aliis eiusdem aevi documentis in *Regest. Neap.* nn. 601-610 videre est. Cf. etiam huius operis t. I, p. 105. — Atque heic e re nata errorem alium, in quem ipsi editores in R. N. A. M. t. V, p. 348, (*Regest. Neap.* n. 502) inciderunt, animadvertere liceat. Ibi enim instrumentum habetur die 11 m. ianuarii V. ind. (an. 1112) celebratum cum notis chronologicis annorum 32 Alexii et 22 Iohannis, quod aeque falsum est. Indictio enim quinta annum 31 Alexii et 20 Iohannis postulabat. In membrana vero, ut ego ipse inspexi, aqua vel situ eo loci foedata, nullus utrorumque imperatorum annus deprehendi potest.

(2) Alterius libelli ab iisdem conjugibus cum Iacobo hegumeno monasterii eiusdem in ind. IV. (an. 1126) conventi notitia existit in instr. die 21 m. iunii celebrato (*Regest. Neap.* n. 631).

argutu et de aliis qui ibidem at fine sunt sicuti inter se sepis exfinat et abet ibidem de latitudine passi et a parte septentrionis est terra hecclesie sancti . . . . . et de aliis qui ibidem at fine sunt quomodo inter se sepis exfinat : et abet ibidem passi memorati vero passi mensurati sunt at passum ferreum memorate neapolitane ecclesiae : etiam et nos in presentis facere et fabrire seu abere debeamus intus memoratum campum palmentum fabritum cum subscetorium suum ad omni vestro expendio: Ita memoratum integrum campum de memorata terra qualiter superius legitur. tenenda colenda meliorandamque in omnibus et ibidem pastenare et fructuare seu potare et arbustare debeamus vel quicquit ibidem necessum fuerit homnia nostra expensa nostroque labore hremeliorare et restaurare promictimus : etiam et in pensione domnica nichili reputarestis in annis continuo viginti et nobem ha die calendarum octubriarum: presenti memorata septima indictione et usque in pridias calendas. easdem prestituris : nos vero dare promictimus in rationibus nostris memorati vestri monasterii. pro singulis quibusque annis bobis vestrisque posteris et in memorato sancto et venerabili vestro monasterio. sine aliqua mora vel tardietatem. per actionarium vestrum qui prefuerit pensione per omni annuo hocto die hante festivitatem ipsius sancti sevastiani idest auri tari decem boni de amalfi vel de moneta que tunc per ista civitate andaberis diricti et pesanti. vel de ea auri tari quinque qualiter bobis vestrisque posteris placuerit intus memorato vestro monasterio asque omni amaricatione : post vero completa annositatem horum libellorum. debeamus dare nos et heredes nostros bobis vestrisque posteris et in memorato vestro monasterio calciarium hauri tari sex boni de amalfi diricti et pesanti vel de moneta que tunc per ista civitate andaberis : et renobemus nobis nostrisque heredibus presentes os libellos. In eodem ordine et tenore . . . . . pars contra fidem orum libellorum. benire temtaberis. tunc datura repromictit pars parte fidem serbantis ante Ingressu litis initium poene nomine auri libras. tres bythianteas : et post poena habsolutionis maneat os libellos in sua nichilominus minus firmitatem. unde petimus vestram dominationem ut unus ex duobus libellis. uno tenore conscriptos et manus vestras proprias subscripturi. nobis contra dare Iubeatis. ut dum consecuti fuerimus agamus domino et bobis massimas gratias: Verumtamen per anc chartule libelli promictimus Inter nobis. ut non abeamus licentiam vos et proprios vestros heredes memoratum campum cum omnibus eius pertinentibus venumdare vel comutare. vel per quobis modum da memorato monasterio estraneare per nullum modum et si illut facere presumserimus. bacuum maneat. et tunc rebertant in proprietatem memorati sancti et venerabilis vestri monasterii. Iterum et si de nos non fuerit aut remanserint proprios heredes. tunc Iterum memoratum campum cum memoratum palmentum et subscetorium suum et cum omnibus eius pertinentibus rebertant. In proprietatem memorati sancti et venerabilis vestri monasterii cuius iure fuerit et cuy illut largire voluerimus vestre sint potestatis. quia Ita nobis stetit. Si autem aliter fecerimus de is omnibus memoratis per quobis modum aut summissas personas tunc componimus nos et propriis nostris heredibus vobis vestrisque posteris

et in memorato vestro monasterio auri solidos centum quinquaginta bythianteos: et hec chartula libelli ut super legitur sit firma scripta per manus gregorius curialis et protonotarius per memorata septima indictione † hoc signum † manus memorati iugalis quod ego qui memoratus hab eis rogatus pro eius subscripsi.

† Ἐγὼ ηγούμενος Κανσβος ταπινος υπεγραψα †

† Ἐγὼ πακουνιος μοναχος υπεγραψα †

† Ἐγὼ γειρασιμος μοναχος υπεγραψα †

† Ἐγὼ μαρκος μοναχος ὑπεγραψα †

† Iohannes consul et dux et protosevasto subscripsi. †

† ego iohannes filius domini petri testi subscripsi. †

† ego iohannes filius domini gregorii testi subscripsi. †

† ego sergius curialis testi subscripsi. †

† Ego gregorius curialis. Complevi et absolvi per memorata septima indictione. †

XXIV.

Iohannes consul et dux concedit domino Iohanni abbati monasterii SS. Salvatoris insulae maris molendinum ad fluvium civitatis Neapolis.

(Ex exemplo (1) in cit. *Scritture di S. Sebastiano,* t. XLIX, f. 297 in R. Neap. Archivo).

In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante d. n. Alexio magno (1114) imperatore anno trigesimo tercio set de (*l. sed et*) Iohannes porfidogenito eius filio magno imperatore anno vicesimo (*vicesimo secundo*). die tertia mensis martii indictione decima (*septima* (2)) Neapoli. Nos Iohannes in Dei nomine eminentissimo Consul et Dux ad quos (*adque*) Domini gratia magister militum et imperiali protosebasto. Nos autem pro vice nostra et pro vice Sergii duci filii nostri qui infra etate esse videtur concedimus et damus seu tradimus et firmamus vobis dopno Iohannes preclarissimo medico et venerabili abbati monasterii nostri domini *et* Salvatoris nostri Ihesu Christi Insule maris et ad cuncta congregatione monachorum suprascripti et venerabili nostri monasterii et per nos (*vos*) in suprascripto sancto et venerabili nostro monasterio presentibus et futuris idest integrum molinum destructum una cum terra: in quo in ex parte ipsum molinum factum fuit positum vero ad flubeu istius nostre civitatis. insimul una cum aquis et cursoras suas et cum viis et anditas seu introitus earum et omnibus ex eis generaliter pertinentibus vel omnia intus se habentibus: et coheret ad suprascripta integra terra in quo ex capite ipsum molinum destructum factum fuit que simul superius nobis (*vobis*) et per nos (*vos*) in ipso nostro monasterio vobis concessimus ut super legitur. a parte orientis est ipsum flubeum et per eadem? et fossatum est unde omnes aquas que ipsum molinum necessum fuerit da ipsu flubeu ibidem venire debeant omni tempore absque omni contrarietate de quavis personas parva vel magna: et a parte occidentis quale vadit usque ad illum ponte et a parte meridiana est via publica et a parte septentrionis est molinum de herede adinolfi qui nominatur Cacapice et de consortibus illorum seu et molinum dirutum de . . . . et iterum in ipsa septentrionali parte est terra que dicitur iacla communale de ipsum molinum que superius vobis

(1) Exemplum authenticum notarius Ioh. Baptista Panebianco in curia Iulii Caesaris Guadagni ex apographo descripsit die 15 martii an. 1619, et illud inscripsit huiusmodi: *Instrumentum concessionis de monasterio S. Petri ad Castellum de molendino ad pontem guiczardo, quam ad ipso monasterio fecit* (sic) *Iohannes dux, unde facta est copia instrumenti curialisci, unde extracta est haec copia.* Aliud exemplum eiusdem diplomatis habetur in dictarum scripturarum t. X, fol. 10 — Utraque ego contuli et vicissim emendavi.

(2) Sic annum imperii Iohannis porphirogeniti et indictionem corrigo, ut notarum ipsarum ratio chronologica recte se se habeat. Annus enim imperii Alexii trigesimus tertius in annum 1113-1114 incidit, cum indictio septima, non decima, et annus Iohannis porphirogeniti vicesimus secundus, non vicesimus, recurrebant. Error in exemplo forsitan ex notarii inscitia irrepsit; nisi si ipse Curialis, qui membranam originalem transcripsit, hallucinatus fuit.

concessimus et communale de aliis hominibus qui ibidem partem habent, unde quantum ad ipsum molinum que superius vobis concessimus inde pertinet iterum sit vobis et suprascripto vestro monasterio concessum et datum seu firmatum et unde unum de ipso introitos ibidem ingredit , et ad ipsu introitu habere debeatis ibidem da suprascripta via publica que est de ipsa meridiana parte ut supra legitur. Iterum concedimus et firmamus vobis et per vos in suprascripto vestro monasterio ut quandoque vos aut posteris vestris in suprascripto vestro monasterio ipsum mulinum distruere tum quod superius vobis concessimus ut supra legitur vel si alium molinum ibidem facere volueritis licentiam et potestatem habeatis illu renovare et edificare et facere qualiter et quomodo volueritis absque omni contrarietate de qualibet personas parva vel magna et quanta aqua ibidem nècessum fuerit da ipsu flubeu ibidem illud portare faciatis absque omni contrarietate de qualibet personas parva vel magna et ab odierna die et deinceps hec omnia et in omnibus que superius vobis concessimus ut super legitur a nobis vobis et per nos in subscripto sancto et venerabili vestro monasterio sit concessum et datum seu traditum atque firmatum in vestra vestrisque posteris et de subscripto vestro monasterio ad habendum et possidendum ibidem illud pro anima mea usque in sempiternum et neque a nos subscriptus Iohannes in Dei nomine eminentissimus Consul et Dux atque Domini gratia magister militum et imperiali protosebasto , nos autem pro vice Sergii duci filii nostri qui infra etatem esse videtur neque a posteris nostris nullo tempore numquam vos suprascripto dopno Iohanne venerabilis abbas aut posteris tuis vel ipsa congregationis aut suprascripto nostro monasterio quod absit habeatis exinde aliquando quacumque requisitione aut molestia per nullum modum nec per summissas personas a nostris et (nunc) in perpetuum temporibus quia concessionis ut superius legitur a nobis facta Iohannes primarium scribere precepimus in qua nos subter pro ampliori eius firmitate manus nostra propria subscripsimus die et indictione.

† Iohannes consul et *dux et* protosebasto subscripsi.

XXV.

Iohannes consul et dux commutat cum Iacobo venerabili Igumeno monasterii Ss. Sergii et Bacchi atque Ss. Theodori et Sebastiani quandam terram in loco Nonnaria, et recipit aliam terram sitam in loco Giniolo non longe ab ecclesia S. Iohannis ad Tuduczulum.

(Ex autographo in R. Neap. Archivo. (1) Cf. R. N. A. M. t. VI, p. 38).

In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domino nostro (1120) Iohannes porfirogenito magno Imperatore anno vicesimo nono: sed et alexium eius filium porfirogenito magno Imperatore anno secundo: die tricesima prima mensis decembrii indictione quarta decima neapoli: Certum est nos iohannes in die nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratia magister militum et imperialis protosevastos filius quondam vone recordationis domini sergii in dei nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratia magister militum et imperialis protosevasto: et quondam domina limpiasa gloriosa ducissa. que fuit filia quondam vone memorie domini riccardi principis capuane civitatis iugalium personarum: A presenti die promptissima voluntate commutabimus et tradidimus bobis iacobus venerabilis igumenus monasterii sanctorum sergii et bacchi qui nunc congregatum est in monasterio sanctorum theodori et sebastiani qui appellatur casapicta. situ in biridiarium hunde nos domminii sumus. vos autem una cum cuntas congregationes vestre monasterii memorati sancti et venerabilis vestri monasterii. et per vos in ipso sancto et venerabili vestro monasterio. Idest integra una petia de terra nostra, de illa terra nostra posita vero in loco qui vocatur nonnaria quod est super loco qui vocatur actone. quod est foris flubeum una cum arboribus et fructoras suas et cum introitas et anditas seu biis earum et omnibusque sibi pertinentibus. et coheret ut memorata integra petia de memorata terra. nostra. que nos bobis et per vos in ipso vestro monasterio commutabimus cum omnibus sibi pertinentibus at super legitur: de uno latere parte meridiana et de uno capite parte orientis. est terras memorati sancti et venerabilis vestri monasterii que nos bobis. et per vos in ipso monasterio de antea commutabimus per alia firmissima chartula commutationis que aput vos abetis: et de alio capite parte occidentis est terra que detinet heredes de illi qui nominatur modios solidos sicuti inter se terminis exfinat: et de alio latere parte septentrionis est reliquas terras nostras que in nostra reserbabimus potestatem sicuti inter se terminus exfinat: quia fiximus per medium riatellum quod est quasi labenarium. pro definiendum inter ipsum quod bobis pro memorato monasterio commutabimus et inter ipsum reliquum ex ipsas terras. que in nostra

(1) Diploma jam adnotaverat Claritius, *O. c.* p. 143, sed male ipsum ad annum trigesimumquintum imp. Constantini absque alicuius conlegae nomine assignavit.

reserbabimus potestatem: De quibus nihil nobis de hoc quod superius bobis et per vos in ipso vestro monasterio commutabimus cum omnibus sibi pertinentibus ut super legitur. exinde aliquod remansit aut reserbabimus nec in aliena cuiusque personas quod absit commissimus aut iam committimus potestatem. set a presenti die et deinceps a nobis bobis et per vos in ipso sancto et venerabili vestro monasterio unde nos domminiis esse viderimus sit commutatum et traditum in vestra vestrisque posteris et de memorato monasterio sint potestatem ad abendum et possidendum illut in ipso sancto et venerabili vestro monasterio usque in sempiternum: et neque a nobis memorato iohanne in dei nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratia magister militum et imperialis protosevasto. neque a nostris heredibus nec a nobis personas summissas nullo tempore numquam vos memorato hiacobus venerabilis igumenus memorati monasterii vos autem una cum cuntas congregationes monachorum memorati sancti et venerabilis vestri monasterii. aut posteris vestris aut memorato vestro monasterio quod absit abeatis exinde aliquando quacumque requisitione. aut molestia per nullum modum nullamque adimbenta ratione nec per summissas personas a nunc et imperpetuis temporibus. insuper omni tempore nos et heredibus nostris bobis vestrisque posteris. et in ipso sancto et venerabili vestro monasterio hoc quod superius bobis commutabimus pro memorato monasterio. cum omnibus sibi pertinentibus ut super legitur in omnibus exinde antestare et defensare debeamus ab omnes omines omnique personas: propter quod at vice in ipsa commutatione recompensationisque accepimus a bobis exinde in presentis in omnem decisione seu deliberatione idest integra petia de terra. iuris propria memorati sancti et venerabilis vestri monasterii posita vero in loco qui nominatur giniolo. (1) super arcabetu: non longe de ecclesia sancti iohannis at tuducculu. iterum ipsius parte foris flubeum. una cum arboribus et fructoras suas. et cum quantum ad oc pertinet de palmentum et subscetorium suum quod ibi est seu et de gripta commune que est iusta memoratum palmentum et iamdictum subscetorium: set de memorata gripta ex parte est intus memorata petia de memorata terra: et cum introitas et anditas seu biis earum et omnibusque sibi pertinentibus et coheret at memorata integra petia de memorata terra. que da vos in ipsa commutatione accepimus cum omnibus sibi pertinentibus: ut super legitur: de uno latere parte meridiana est terra que modo detinet illi qui nominantur scriniarii ut inter se terminus exfinat. et de alio latere parte septemtrionis est terra nostra: et de uno capite parte orientis est terra sicuti inter se terminus exfinat: et de alio capite parte occidentis est terra ecclesia sancte in qua detinet reliquum ex ipsa gripta commune. unde quantum ad hoc exinde pertinet. da vos in ipsa commune accepimus ut inter se terminus exfinat: et est per mensura memorata integra petia de memorata terra. que da vos in ipsa commutatione accepimus cum omnibus sibi pertinentibus ut super legitur. modiu una at

(1) Cf. praecipue *Regest. Neap.* nn. 104, 157. 167, 623 et Cf. Chiarito, *l. c.*

passum ferreum sancte neapolitane ecclesie : Unde nichil vobis de hoc quod superius da vos in ipsa commutatione accepimus cum omnibus sibi pertinentibus ut super legitur exinde aliquod remansit aut reserbastis nec in aliena cuiusque personas quod absit commisistis aut iam commictis potestatem : set a presenti die et deinceps a bobis nobis sit commutatum et traditum in nostra nostrisque heredibus sint potestatem queque exinde facere volueritis ab odierna die semper in omnibus liberam exinde abeatis potestatem : et neque a bobis memoratus hiacobus venerabilis igumenus memorati monasterii sanctorum sergii et bachi qui nunc congregatum est in monasterio sanctorum theodori et sebastiani qui appellatur casapicta situm in biridiarium. unde nos domminii sumus vos autem una cum cuntas congregationes monachorum memorati sancti et venerabilis vestri monasterii nec a posteris vestris nec a memorato sancto et venerabili vestro monasterio nec a bobis personas summissas nullo tempore numquam nos memoratus iohannes in dei nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratia magister militum et imperialis protosebasto aut heredibus nostris quod absit abeamus exinde aliquando quacumque requesitione aut molestia per nullum modum nullamque adimbenta ratione nec per summissas personas a nunc et imperpetuis temporibus: insuper omni tempore vos et posteris vestris et memorato sancto et venerabili vestro monasterio nobis nostrisque heredibus oc que superius. da vos in ipsa commutatione accepimus cum omnibus sibi pertinentibus ut super (1) legitur exinde in omnibus antestare et defensare debeatis ab omnes omines omnique personas: in omnem ordine et tenore sicuti et quomodo in omnibus continet alia similis chartula commutationis que vos nobis exinde odie fecistis que aput nos habemus quia ita nobis stetit atque placuit: si autem aliter fecerimus de iis omnibus memoratis per quobis modum aut summissas personas tunc componimus nos et heredibus nostris bobis vestrisque posteris et a memorato vestro monasterio auri solidos sexaginta bythianteos: et ec chartula commutationis ut super legitur sit firma scripta per manus gregorius curialis per memorata indictione.

† Iohannes consul et dux et protosevasto subscripsi

† ego iohannes filius domini iohannis testis subscripsi

† ego iohannes scriniarius: testis subscripsi

† ego stefanus filius domini iohannis testi subscripsi

† ego gregorius Curialis: Complevi et absolvi per memorata indictione.

(1) Quae sequuntur usque ad finem habes lithografice expressa in tabula X ad primam partem huius secundi voluminis apposita.

XXVI.

Sergius consul et dux dominae Rigali abbatissae monasterii Ss. Gregorii et Sebastiani atque Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi atque S. Pantaleonis omnia privilegia confirmat.

(Ex apographo anni 1171 in bibliotheca *Soc. Hist. Neap.*).

(1127) In nomine domini dei Salvatoris nostri Ihesu Xpi: Imperante Domino nostro Iohannes Porfilogenito magno Imperatore anno trigesimoquinto: sed et Alexio Porfilogenito eius filio magno imperatore anno octabo: die sextadecima mensis februarii Indictione quinta Neapoli. Nos Sergius in dei nomine etminentissimus consul et dux atque domini gratia magister militum: Concedimus et tradidimus seum damus et firmamus tibi Rigale umile abbatisse dilecta parenti nostra monasteri et cenobii beatissimorum gregorii et sebastiani atque domini et Salbatori nostri Ihesu Xpi et sancti pantaleoni puellarum dei constituta intus ista nostra Civitate in platea que nominatur Nustriana: Idest integras omnem reditatem seu substantias de intus et foris hoc est domos et casalibus seum terris sationalibus quamque fundoras et ortos vel mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque mobentibus omnibusque at memorato monasterio pertinentibus vel pertinentes fuerit cum omnibus eorum pertinentiis cultis vel incultis longinquis et propinquis montis collis ribis aquis pratis pascuis olibetis et cerquetis seu castanietis et padulis et escatoriis et ifosarias et molinas cum aquis et arcatorias earum seum et cum omnibus aquillationibus et maris piscationibus: et integrum omnem suum ospitatum fundatum et exfundatum bivorum et mortuorum cum ipsorum fundoras et terris seum cespitas vel omne consuetudinarias censoras et regulis seum responsaticas et salutes atque angariis et scaballicationibus et dacionibus illorum cum omnibus atiacentibus et pertinentibus eis et cum omnibus reserbis et ancillis atque defisis et comendetis et censitis ex ipso monasterio pertinentes cum omnibus illorum pertinentiis intus et foris et cum omne publico et dationes quas exinde esiet omnia et es omnibus undecumque aut quomodocumque vel ubicumque sunt monasterio pertinet aut pertinentes fuerit vel detinet et dominat per quobis modum sibe per scriptis vel asque scriptis intus et foris cum omnibus eis pertinentibus: et que a viris vel a mulieribus ibidem offertum vel datum aut suiugatum est aut fuerit per qualemcumque modum intus et foris sit tibi et in memorato monasterio concessum et datum seum firmatum: Insuper concedimus et firmamus tibi et memoratum integrum monasterium cum omnibus ecclesiis et obedientiis sue subgectis de intus et foris cum omnibus eis pertinentibus: eam videlicet ratione quatenus a nunc et omnibus diebus vite tue ibidem abatissa exsere debeas et omnia et in omnibus memoratis qualiter et quomodo superius legitur in tua sint potestate tenendi et dominandi seum frugiandi fruendi et comedendi et de ipsa frugia faciendi omnia que voluerit, et sancta eius congregatione monacharum cum dei aiutorium et timore

regulariter regere et gubernare debeas sub castitate et monachalis disciplina ut regula beati benedicti docet et in memorato monasterio die noctuque omne officium monachile facere et esibere debeas hoc est vesperos et matutinos seum missarum sollemnias et oris laudibus luminariorum vero concinnatione sibe hora regulariter offerant : siquidem ex hoc ordune predicta monasteria quae in unum aggregabimus et copulabimus ab omni serbitutis condicione pro dei amore et beati benedicti cuius regula tenere bidemini set sicut superius sancimus omnes predictas monasteria sanctaque ecclesiarum ceterarum quererunt ordinatione in tua predicta rigale veneravile abatissa sanctaque vestra congregatione posterasque vestras sint et permaneat potestate: Ideo hoc fierit decrebimus ut amodo et semper predicta congregatione in dei laudibus alacrior et debotior esistat quatenus pro vita nostra et salute patrie et liberis animo omnipotentis domino sedula offra (1) et ii qui istum mundum derelinquere cupiunt festina sub almi patri benedicti iugo colla submittere alacriores salutis eis pandamus: quamque concedimus et firmamus tibi et in memorato vestro monasterio ut si quabis persona sibe parba aut magna abuerit domos aut casalibus et fundoras et ortos coniunctas cum domos et casalibus et fundoras et ortuas memorata vestra monasteria et quolibet abeniente tempore exinde at dare abuerit ipsis vel illorum heredes et vos et posteras vestras et memoratoque vestro monasterio illud tollere bolueritis in omnem ordine et ratione quomodo ad alias personas qui in congruum abuerit licentiam et potestatem abeatis: Iterum concedimus et firmamus vobis et qui de straneis vel liberis hominibus masculu vel femina benerit aut introierit in casa memoratis vestris monasteriis at abitandum sibe intus vel foris sit defisi memorati vestri monasterii: Iterum et qui de straneis vel liberis hominibus abitant vel ad abitandum ingressi fuerint cum memoratis omnibus ospitibus et comenditis seum defisis memorati vestri monasterii sibe cum eis aut in illorum fundoras et curtis seum mansionibus illorum sit vobis et at posteras vestras concessi, et dati, seu firmati simul una cum filiis, filiabus, nurus atque nepotibus illorum eorumque heredibus cum omnibus illorum pertinentibus intus et foris: similiter concedimus et firmamus vobis et in memorato vestro monasterio vestraque congregatione presentibus et futuris ut si quabis persona sibe de sacerdotalis aut secularis ordine bir aut feminas potens vel impotens sibe qui heredes abet et vel qui asque heredis fuerit vobis et at posteras vestras memorataque vestra congregatione monacharum et memoratoque vestro monasterio, sibe qui nunc exe videtur vel futura ibi accesserint imperpetuum offerire aut per quolibet modum dare voluerit qualemcumque rem aut substantias suas sibe domos vel fundoras et terris aut ortos vel ospitibus et comenditis et censitis fundati et exfundati biborum et mortuorum cum ipsorum fundoras et terris cum cespitibus et consuetudinibus eorum cum omnibus atiacentibus et pertinentibus eis seum mobilibus rebus mobilium et immobilium seseque mobentibus omnibusque eis pertinentibus sit a nobis

(1) Deest heic vox: *precem*, et infra: *vias;* ut et in aliis eiusdem monasterii documentis.

omnes absolutis omnia vobis obtulendi et dandi seum tradidendi et qualiscumque Curialis aut notarius vel scriniarius aut tabularius sibe Primarius atvocaberitis ad scribendum sit illis a nobis omnes absolutis omnia vobis scribendi et peragendi omnia que vobis placuerit: et ipsum omnia que atpreenseritis firmum et stabile habere debeatis peremnis perpetuis temporibus: Interis namque concedimus et firmamus tibi et in memorato vestro monasterio vestraque congregatione monacharum et omnia et in omnibus quantum et quomodo tu et posteras tuas memoratoque vestro monasterio tenere et dominare videritis, vel que amodo et in antea tu et posteras tuas memoratoque vestro monasterio tenere et dominare potueritis sibe per scriptis vel asque scriptis intus et foris cum omnibus eis pertinentibus omnes vestre chartule concessionis et berboras et preceptoras et omnes chartule offertionis et alium scriptum quas tu vel antecessoras tuas aprehensa abetis, aut tu et posteras tuas aprenseritis da nos vel da singulis ducibus antecessoribus nostris aut de alia quavis persona de omnia qualiter continunt sit tibi tuisque posteras et in memorato vestro monasterio eiusque congregatione monacharum firma et stabilis in perpetuum: seum concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et in memorato vestro monasterio eiusque congregationis presentibus et futuris idest inclite due petias de terras una cum inclitu insertetum vestrum qui est in capite de una ex ipse petie simul posite in loco qui nominatur sancta Anastasa foris flubeum que vos tenere et dominare videritis una cum arboribus et fructoras suas et cum piscinis suis et cum scapulis et rioras et egripas suas et cum introitas et anditas seum biis earum omnibusque eis generaliter et in integro pertinentibus: et integra ecclesia vestra pertinente memorato vestro monasterio qui est intus una ex ipse petie vocabuli sancti Nicolay una cum omnibus at ipsa ecclesia pertinentibus seum et inclita dua molina vestra unum vero ex eum situm at Sancta Maria at Follotano (1) et alium situm at flubeum istius nostre civitatis una cum fossatas et arcatorias et reditas et molas et ferroras et omnes conciaturias simul ad eodem molinas pertinent seum et aquis et cursoras suas et cum barricaturiis et biis et anditas et introitas suas omnibusque at memorata molina per quobis modum generaliter pertinentibus: et coheret una ex ipse petie de eo loco sancta anastasa a parte orientis est ipsum insertetum et a foris ipsum insertetum qualiter ascendit usque in clium montis et a parte occidentis est bia publica qui badit at Soma et a parte meridiei sunt riora unum qui nominatur Garamelli et alium qui nominatur de Mola et a foris ipsa rioras est terra heredum iacone sirica et a parte septentrionis sunt iterum rioras una que nominatur de Rosa, et alium qui nominatur de cirasum et a foris ipsa rioras est terra monasterii sancte patricie: et at ipsa alia petia de memorata terra ubi est ipsa ecclesia a parte orientis est rium sicuti aqua definat et a foris ipsum rium est terra de illu caturanum

(1) *Fullotano, locus foris fluvium* (*Regest. Neap.* n. 404), ubi monasterium S. Gregorii majoris molendinum habebat (Cf. *Regest. Neap.* n. 641), quod in instrumento anni 1202 dicitur *positum in via de Porclano iuxta startiam eiusdem monasterii et viam que dicitur de S. Maria de dicto loco Fullotani. Notam instrum. S. Gregorii* n. 225.

ex ipso loco sancta anastasa et a parte occidentis est via publica et a parte meridiei est terra memorati monasterii sancte patricie et terra petro cacapice : Iterum concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et in memorato vestro monasterio eiusque congregationis : idest integre tres petie de terras pertinentes memoratis vestris monasteriis simul posite foris arcora dudum aquiductus cum arboribus et fructoras suas et cum introitibus suis et omnibus sibi pertinentibus : coherente sibi at una ex ipse petie a parte orientis est bia publica sicuti sepis exfinat et a parte occidentis est terra ecclesie sancte Marie ad Moneta (1) : et ipsa alia petia est coniuncta a parte orientis cum terra de illu bruncium et a parte occidentis cum terra de illu fisinella : et ipsa tertia petia est coniuncta a parte orientis cum terra de ipsu bruncium et a parte occidentis cum terra heredum de illum de Lambertum et de aliis qui ibidem at fine sunt et a parte septentrionis cum illu fossatu publico: nec non concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et in memorato vestro monasterio eiusque congregacionis monacharum presentibus et futuris idest integra petia de terra pertinentes memorati vestri monasterii sita at torum de fasana ipsius foris flubeum et integras duas fundoras cum integra terra simul pertinentes memorato vestro monasterio positas in loco qui nominatur carpinianum et integras omnes terras pertinentes memorato monasterio positas in loco qui nominatur nasumusca simul cum arboribus et fructoras suas et cum introitibus suis omnibusque eis generaliter pertinentibus: et ipsa petia de memorato loco torum de fasana est coniuncta de uno latere et de uno capite terra heredes quondam landolphi filio iohanni de domina maria : de alio latere bia publica de alio capite terra gregorii pictuli : Insuper concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et in memorato vestro monasterio eiusque congregationis presentibus et futuris idest inclita casa stabile que nominatur bicedominum: et inclita casa de omnes heredes qui nominantur gregorio presbitero , qui nominatur bicedominum : et inclita casa dominico qui nominatur bicedominum : et inclita casa sassi qui nominatur bicedominum : et inclita casa petro qui nominatur bicedominum : et inclita casa sapatino, qui nominatur taburno et inclita casa masculo filio iohannis : insimul omnibus de memorato vestro monasterio habitatoribus de loco qui nominatur calbititianum una cum uxoribus et filiis filiabus nurus atque nepotibus illorum eorumque heredibus cum omnibus illorum pertinentibus de intus et foris et cum omne publico et daciones, seum serbitia et angarias et salutes quas ipsi dare et facere debeant per quobis modum : seum concedimus et firmamus tibi tuisque posteras et in memorato vestro monasterio eiusque congregationis idest inclitus iohannes qui nominatur catiatore et inclitus casa iordanulo uterino germano suo et inclitus casa iohannes qui nominatur bicedominum filii quondam Gregorii et inclita casa iohanni qui nominatur bicedominum filii quondam iohanni : una cum uxoribus et filiis filiabus nurus atque nepotibus illorum eorumque heredibus cum omnibus illorum pertinentibus de intus et foris et cum omne publico et dationes quas ipsi dare et facere debeant per

(1) *Regest. Neap.* n. 409.

quobis modum: et ab hodierna die et semper hec omnia et in omnibus memoratis qualiter et quomodo superius legitur a nobis tibi et in memorato vestro monasterio vestraque congregatione sit concessum et traditum in tua tuisque posteras et in memorato vestro. . . . . . . ad abendum et possidendum ibidem usque in sempiternum in omne ordine et tenore qualiter et quomodo superius legitur asque omni contrarietate nostra et de nostris posteris vel de alia quabis persona. quia concessione sicut superius legitur a nobis facta bernardus primarius scribere precepimus in qua et nos subtus pro ampliore eius firmitate manus nostra propria subscripsimus die et indictione memorata quinta.

† Sergius consul et dux et magister militum subscripsi.

† ego cesarius primarius curie uius civitatis neapolis hec exemplaria cartula concessionis sicut superius legitur qua eius authentica nobis dare fecit domina galia venerabilis abbatissa memorati monasterii ipsius beatissimorum sancti gregorii et sebastiani atque domini et salbatori nostri Ihesu Christi et sancti pantaleoni ancillarum dei: pro ista exemplaria had ea faciendum pro memorato monasterio ex ipsa authentica relebata et at singulis relecta pro ampliore eius firmitate manus nostra propria subscripsi. regnantem domino nostro Guilielmus sicilie et italie magnifico regem anno quinto. et eius dominationis civitatis neapolis anno quinto: die sextadecima mensis aprilis indictione quarta.

† ego gregorius tabularius curie uius civitatis neapolis hec exemplaria cartula concessionis sicut superius legitur quam eius authentica nobis dare fecit domina galia venerabilis abbatissa memorati monasterii ipsius beatissimorum sancti gregorii et sebastiani atque domini et salbatoris nostris Ihesu Christi et sancti pantaleoni ancillarum dei pro ista exemplaria had ea faciendum pro memorato monasterio ex ipsa authentica relebata et at singulis relecta pro ampliore eius firmitate manus nostra propria subscripsi regnantem domino Guilielmo sicilie et italie magnifico rege anno quinto: et eius dominationis civitatis neapolis anno quinto: die sextadecima mensis aprelis indictione quarta (*scil. an.* 1171).

XXVII.

Sergius consul et dux varias res et immunitates domino Iohanni abbati monasterii Ss. Severini et Sossii concedit sive confirmat.

(Ex autographo (1) in R. Neap. Archivo. Cf. R. N. A. M., t. VI, p. 135).

NOS SERGIUS IN DEI NOMINE ETMINENTISSIMUS CONSUL ET DUX (1131) ATQUE DOMINI GRATIA MAGISTER MILITUM. Concedimus et damus. seu tradidimus et firmamus vobis domino Iohannes venerabilis abbas monasterii sanctorum seberini et sossii ubi eorum venerabilia quiescunt corporas. vos. autem una cum cunctas congregationes. monachorum suprascripti sancti et venerabilis vestri monasterii et per vos in ipso sancto et venerabili vestro monasterio idest integra corrigia de terra. posita vero in loco qui nominatur caba. cum illa forma in capite heius: iuris. de suprascripto vestro monasterio. coherente sibi de uno latere parte orientis. terra ecclesie sancti de alio latere parte occidentis terra : de uno capite parte meridie hest bia que badit had ipsu bicum et da foris ipsa bia est terra suprascripti vestri monasterii qualiter badit usque intus in illa padule suprascripti vestri monasterii het da parte septentrionis hest bia het a foris ipsa bia. est iterum terra suprascripti vestri monasterii qualiter badit usque ad ipsa forma: seu concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra suprascripti vestri monasterii sita ibi ipsum qualiter descendit usque at padule suprascripti vestri monasterii coherente sibi a parte orientis. terra de illu baresanum et de illu scalla. et terra heredes domini landolfi : de alio latere terra heredes quondam iohanni da sicule: et terra sancti cipriani het a parte septentrionis bia publici: Iterum concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum campu vestrum proprium suprascripti vestri monasterii positum vero in loco qui nominatur licinianum. (2) foris arcora. cum intersicas suas. et cum introytas suas et omnibus eius pertinentibus coherente sibi de uno latere parte orientis. terras heredes cesari brancatii et a parte septentrionis terra de illi de moneta. et a parte occidentis. bia publici abersana. et terra sancti arcangeli. et a parte meridie bia publici que badit at liciniana. similiter concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra vestra suprascripti vestri monasterii que no-

(1) Animadvertendum est diploma hoc ex omnibus Neapolitani ducatus documentis, quae supersunt, unum esse, quod langobardo charactere scriptum habeatur; quascumque enim illius aevi chartas a curialibus celebratas curialium litteris, tunc describere mos fuit. Hujus autem singularitatis causam plane nescio.

(2) Cf. *Regest. Neap.* nn. 206, 286. Nunc *Licignano* prope *Pomigliano d'Arco.* Est vero et alium *Licinianum Palmense finibus,* de quo mentionem faciunt docc. ann. 1005 et 1025 *acta in loco Palma* (Cf. R. N. A. M. t. IV, p. 27 et 130) ac instr. Neapolitanum anni 997 (*Regest. Neap.* n. 303).

minatur hat campu rotundum coherente sibi de uno latere terra hademarii haldemariscum: et de aliis qui ibidem at fine sunt. et de alio latere terra. sancti martini et de uno capite terra de illi tribuno pardum. et de alio capite parte septentrionis bia publici. quamque concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum campu de terra suprascripti vestri monasterii positum vero in loco qui nominatur afraore (1) had illu campu de sancti sebirinum. coherente sibi a parte orientis hest bia publici: et a parte septentrionis. est terra de illi buccatorti. et de aliis qui ibidem at fine sunt. et a parte occidentis terra de illu gaytanum. et de consortibus illorum et a parte meridie terra nec non concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integru campu de terra suprascripti vestri monasterii positum vero in loco qui nominatur cau . . in suprascripto loco afraore coherente sibi a parte orientis via publici et a parte occidentis est et a parte meridie hest ipsa forma: et a foris ipsa forma est campum suprascripti vestri monasterii: et a parte septentrionis est terra de illi qui nominatur : et iterum concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest ipsu integrum alium campum suprascripti vestri monasterii situ ibi ipsum coherente sibi a parte orientis via publici: et a foris ipsa bia terra et a parte occidentis terra : et a parte meridie bia publici: et a parte septentrionis ipsa forma: et a foris ipsa forma suprascriptum campum suprascripti vestri monasterii: Interis namque concedimus bobis. et per vos in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra suprascripti vestri monasterii posita vero in loco qui nominatur cantarellum coherente sibi a parte orientis hest bia publici: et a parte occidentis. similiter bia publici. et a foris suprascripta bia campum vestrum suprascripti vestri monasterii et a parte meridie est terra petri pictuli : et a parte septentrionis terra : quamque concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest suprascriptum integrum campum suprascripti vestri monasterii : positum ibi ipsum : coherente sibi de uno capite parte orientis. suprascripta bia publici et de uno latere parte meridie terra de illi de antimum et de alio latere parte septentrionis terra de illi de media: et de aliis qui ibidem at finem sunt et a parte occidentis est bia publici : set in capite de suprascriptum campum vestrum sunt fundoras vestra suprascripti vestri monasterii pertinentes: iusta ipsa bia hubi abitant partionaris vestris: et a foris ipsa bia: sunt alias fundoras et curtis suprascriptis vestri monasterii: iterum concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum: alium campum de terra suprascripti vestri monasterii positum ibi ipsum qualiter badit usque at bia publici qui est at ecclesia domini et salbatori nostri Ihesu Christi obedientia de monasterio sancti gregorii maioris: cum fundoras vestra in capite con-

(1) Haec est prima, ni fallor, loci, qui nunc *Afragola* dicitur, in documentis, quae supersunt, mentio. De pago autem florentissimo videndus est praesertim CASTALDI *Memorie storiche di Afragola,* Nap. 1833, qui diploma hoc ignoravit.

iuntum de suprascriptum campum : coherente sibi de uno latere parte meridiei terra de illi castaldi et de illi bucca planula et de aliis consortibus illorum. et ai parte septentrionis terra de illi ciabani et a parte orientis suprascripta bia que est inter ipsa fundoras suprascripti vestri monasterii: et a parte occidentis suprascripta bia que badit at salbatore de ipso monasterio iterum concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio. et integrum campum vestrum longum in terra proprium suprascripti vestri monasterii: positum vero in loco qui nominatur atriu de megarum iusta ipso loco caba. coherente. sibi a parte septentrionis. terra suprascripti monasterii sancti gregorii. et a parte meridie est illa bia publici ubi est illa forma: de uno latere parte orientis terra ecclesie sancti martini : et de alio latere parte occidentis terra ecclesie sancte marie que appellatur hat salitum de summa platea: quamque concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum ipsum rium suprascripti vestri monasterii qui nominatur de megarum positum ibi ibi ipsum coherente sibi a parte orientis. suprascripta terra iamdicte ecclesie sancte marie hat salitum het a parte occidentis terra monasterii sancte agathe hat pupuluni et a parte septentrionis terra suprascripti monasterii sancti gregorii maioris. et a parte meridie : est alia petia de terra suprascripti vestri monasterii qualiter descendit usque ad illa bia publici. ubi est ipsa forma: iterum concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest suprascripta halia petia de suprascripta terra. propria suprascripti vestri monasterii posita ibi ipsum coherente sibi a parte orientis terra suprascripte hecclesie . . . . et a parte occidentis. terra suprascripti monasterii sancte aghate, et in ipsa parte orientis est terra de niceforio greco aurifice servienti nostri. et a parte meridie est et a parte septentrionis est similiter concedimus bobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum fundum de terra proprium suprascripti vestri monasterii positum ibi ipsum in suprascripto loco caba coherente sibi a parte orientis bia publici et a parte occidentis terra suprascripti monasterii sancti gregorii maioris. et a parte septentrionis terra et a parte orientis terra suprascripti monasterii sancte agathe at pupuluni nec non concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra propria suprascripti vestri monasterii posita vero in loco qui nominatur ciranum cum inclita corrigia de terra suprascripti vestri monasterii super se da parte orientis cum palmentum et subscetorium suum intus se. het cum medietate de integrum palmentum et subscetorium suum qui est intus terra de heredes quondam stefani curialis qui nominatur primario. coherente sibi insimul de uno latere parte orientis terra ecclesie sancte iulianes de regione arco cabredatum et de alio latere parte orientis terra

sicuti inter se hegripus proprium suprascripti vestri monasterii exfinat. de uno capite parte septentrionis. est suprascripta terra de suprascripti heredes quondam stefani curialis qui nominatur primario ubi est suprascriptum palmentum et subscetorium suum comune suprascripti vestri monasterii. et de alio capite parte meridie est terra ecclesie sancti arcangeli : quamque concedimus bobis et per vos in

ipso vestro monasterio idest integra halia petia de terra propria suprascripti vestri monasterii cum integrum fundum vestrum de terra iusta se parte orientis et cum palmentum et subscetorium suum intus se. et insimul coheret sibi a parte orientis terra suprascripte ecclesie sancte iulianes et a parte occidentis terra de sergio morumili et terra de illi clappaporci: et a parte meridie terra et a parte septentrionis suprascripta terra de suprascripta ecclesia sancti archangeli: iterum concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio. idest integra corrigia de terra propria suprascripti vestri monasterii posita vero in loco qui nominatur basilica. coherente sibi a parte orientis et occidentis. sunt bie publici. et a parte septentrionis terra et a parte meridie terra. quamque concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integra corrigia de terra suprascripti vestri monasterii. posita ibi ipsum cum gripta vestra intus se: coherente sibi a parte septentrionis bia publici: et a parte meridiei terra de illi gralli: et a foris ipsa terra de ipsi gralli est alia terra suprascripti vestri monasterii et de uno capite parte occidentis bia publici. et de alio capite parte orientis terra : necnon concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio. idest integra corrigia de terra suprascripti vestri monasterii posita ibi ipsum coherente sibi de uno latere parte meridiei terra ecclesie sancti Iohanni maioris. et terra de illi latiari. et terra de stefano herario qui nominatur de paulo. et de aliis qui ibidem at fine sunt et de alio latere parte septentrionis terra de illi gralli. et terra de illi marenarii qui nominatur et terra petri ipati: et terra et de uno capite parte occidentis. bia publici da basilica et de alio capite parte orientis terra heredes quondam ioanni latiari: concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio: idest integra petia de terra propria suprascripti vestri monasterii posita vero in loco qui nominatur munianum: coherente sibi a parte septentrionis terra. de ipsu latiari. et a parte meridiei terra de illu crispanum: et a parte occidentis bia publici et a parte orientis terra de stefano latiaro et terra de ipsi gralli: similiter concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra propria suprascripti vestri monasterii posita vero in loco qui nominatur calbectianum hat campu de ursula. coherente sibi de uno capite parte septentrionis bia publici. et de alio capite parte meridiei bia carraria de uno latere parte orientis, terra de illi stroniuli et terra domini iohanni cacapice: et de aliis qui ibidem at fine sunt. et de alio latere occidentis terra ecclesie sancte marie hat salitum. iterum concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum campum de terra. proprium suprascripti vestri monasterii qui nominatur at pulianum positum in loco calbectianum coherente sibi de uno latere parte orientis. est terra ecclesie sanctorum iohannis et pauli: et de aliis ominibus. et de alio latere parte occidentis. est terra ecclesie sancte agathe: het terra ecclesie sancti Ianuarii in diaconia. et a parte meridiana terra ecclesie sanctorum cosme het damiani et de alio capite terra: Iterum concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio. Idest integra petia terre su-

prascripti vestri monasterii sita ibi ipsum in suprascripto loco pulianum: coherente sibi a parte occidentis terra de illi stroniuli: et a parte septentrionis. terra sancti renati et terra sancti georgii: et a parte orientis est terra sancte marie que nominatur : et a parte meridiana terra sancti ianuarii in diaconia: nec non concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum campum de terra proprium suprascripti vestri monasterii positum vero in loco qui nominatur carilianum iusta suprascripto loco calberitianum: coherente sibi de uno latere parte orientis est terra de illi de arcum: de alio latere parte occidentis terra monasterii sancti gregorii: et de uno capite parte meridiana via publici. et de alio capite parte septentrionis terra monasterii sancti sebastiani: similiter concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio. Idest integrum campum de terra proprium suprascripti vestri monasterii qui nominatur at casale iusta loco qui nominatur : coherente sibi a parte orientis et septentrionis sunt bie publici et a parte occidentalis est terra et a parte meridiana unde intentione abetis cum illi de sicenolfo. quamque concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra propria suprascripti vestri monasterii qui nominatur at fractula coherente sibi de uno capite parte orientis et de uno latere parte septentrionis bie publici et de alio latere parte meridiana terra petri de saductum et de aliis qui ibidem at fines sunt et de alio capite parte occidentis est terra: concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra posita vero in loco qui nominatur at patruscanum coherente sibi a parte orientis terra monasterii sancte marie at cappelle: et a parte meridiei hest terra de gregorio protonotario nostro qui nominatur cummano: qui laborat petro qui nominatur capuano homine suprascripti gregorii cummani: et a parte occidentis terra et a parte meridiana terra suprascripti monasterii da cappella: Iterum (1) concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integrum campum de terra proprium suprascripti vestri monasterii positum vero in loco qui nominatur caloiane: et est ad illa turricella suprascripti vestri monasterii: coherente sibi a parte orientis est terra petri millusi: et a parte occidentis terra suprascripti gregorii qui nominatur cummano qui laborant suprascripto petro de capua. omini suo: seum et terra suprascripti vestri monasterii et a foris suprascripta terra vestra est terra et a parte septentrionis. bia publici. Ec autem omnibus suprascriptis que superius vobis et per vos in ipso vestro monasterio: concessimus una cum arboribus fructiferis vel infructiferis et cum cisternis et piscinis: seu puteas aque bibens. et cum duleas intus se : et cum palmentas et cum subscetorias illarum et cum introytas et anditas seu biis earum et omnibus eius pertinentibus ab anc die et dimceps a nobis vobis et per vos in ipso sancto et venerabili vestro monasterio sit concessum et datum seu traditum in vestra ve-

(1) In huius operis tab. XI. lithographice expressi sunt priores versus istius diplomatis usque ad verbum: *heredes*, quod est in lin. 17 p. 85, ut et etiam postremi, qui hinc usque ad finem eiusdem sequuntur.

strisque posteris sint potestate ad avendum et possidendum illos in ipso vestro monasterio usque in sempiternum: a nobis autem neque a posteris seu heredibus nostris qui post nos in nostro honore locoque duces accesserint nec a nobis personas summissas nullo tempore nunquam vos vel posteris vestris vel suprascripto vestro monasterio quod absit abeatis exinde aliquando quacumque requisitione vel molestia per nullum modum in perpetuum homnes vero berboras et cessiones. quas vos et tui successoribus in suprascripto vestro monasterio at premesse abetis de omnia que continet sit firmum et stabilis in perpetuum: et oc berbum ut superius legitur de omnia que continet sit firmum et pro ampliore heius firmitate manu nostra propria subscrissimus et anulo nostro subter sigillari precepimus in die vicesima de iulio mense de indictione nona imperante domino nostro iohannes porfirogenito magno imperatore anno tricesimo nono: sed et alexium heius filium porfirogenito magno imperatore anno duodecimo (1) et indictione suprascripta nona.

† Sergius consul et dux et magister militum subscripsi.

(1) Locus sigilli cerei, quod lithographice expressum lector infra habebit.

APPENDIX

DIPLOMATUM ET INSTRUMENTORUM SIVE AETATIS CERTAE SIVE INCERTAE, QUAE VEL MUTILA, VEL DECURTATA VEL IN SUMMARIUM REDACTA SUPERSUNT.

A. Documenta aetatis certae.

1.—*Privilegium datum monasterio Ss. Theodori et Sebastiani a Sergio consule et duce.* Anno 1005.

Instrumentum curialiscum factum imperante d. Basilio m. i. anno XXXXV sed et Constantino eius fratre m. i. an. XXXXII per Sergium Dei gratia eminentissimum consulem et ducem continens quomodo ipse Sergius consul et dux pro Domini amore et pro salute et salvatione anime sue dedit et concessit d. Filippo abbati monasterii sanctorum Theodori et Sebastiani de Neapoli omnes hospites et commenditos ipsius monasterii cum uxoribus et filiis et nepotibus, et cum terris et omnibus bonis eorum etc.. in ampla forma, et quomodo fecit dictum monasterium francum et exemptum pro naviliis eius magnis et parvis ab omni cabella et solutione etc. (1) in cauta forma et est signatum tali signo CCCCLXIIII.—*Summ. instrum. S. Sebastiani* fol. 203.

2.—*Iohannes et Sergius, genitor et filius, consules et duces d. Gregorio filio d. Nicetae omnem eius hereditatem confirmant.* Anno 1050.

Chartula concessionis membranis scripta que fuit . . . die nona mensis martii de indictione tertia. . . . regnante d. constantino magno imperatore anno hoctabo quam fecerunt d. iohannes et d. sergius in dei nomine etminentissimi consulibus et ducibus atque magister militum genitore et filio at memorato d. gregorio abio tuo dilecto illorum parenti filio quondam d. niceta illorum parenti. et at memorato domino iohannes genitori meo illorum parenti filio memorati quondam d. sergii qui fuit abio meo thio et nepotem, de integra homnem illorum hereditatem seum sub de intus et foris hoc est domos et casalibus seu terris sationabilibus quamque ortuas vel movilibus rebus movilium et immovilium seseque moventibus hominibusque

(1) Aliud huiusmodi privilegium jam etiam fecerat pater eius Iohannes dux in anno 999. V. supra.

(2) Locus extra urbem, quem monasterium Ss. Severini et Sossii usque ad recentiora tempora possedit. De eo mentionem faciunt inter alios CAPACCIO, *Hist. Neap.* t. II p. 58, et canonicus CELANO, *Notizie* etc.: *Gior. VI* p. 80. Nunc ibi ex parte regio, quae vulgo *dell'Avvocata* dicitur.

eis pertinentibus: una cum integrum omnem illorum ospitatu fundatus et exfundatus cum omnibus atiacentibus et pertinentibus eis et cum omnibus defisis illorum intus et foris cum illorum pertinentiis pertinentes at eis insimul per memorato quondam d. niceta genitori et abio illorum vel per quondam d. anna honesta femina coniuge sua genitrice et abia illorum : vel per alium quodlibet modum. — *Ex summario in instrum. anni 1128 inserto.* R. N. A. M. t. VI, p. 211.

3. — *Congregatio S. Restitutae de intus episcopio, annuente Petro archiepiscopo neapolitano et Sergio consule et duce, commutat cum abbatissa monasterii S. Archangeli ad Bajanum terram in loco Fullotani.* Anno 1100 (1).

In nomine Dei Salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domino nostro Alexio magno Imperatore . . . . nono decimo. sed et Iohanne porphyrogenito magno Imperatore eius filio anno . . . . *octavo* die vicesimaquinta mensis iunii indictione octaba Neapoli. Certum est nos cunctas congregationes sacerdotum et clericorum salutifera. . . . . (2) congregationis ecclesie sancte Restitute de intus episcopio sancte neapolitane ecclesie a presenti die . . . . vel commutavimus et tradimus vobis domna Gemma venerabilis abbatissa monasterii beatissimi Michaeli Archangeli quod nominatur ad Bajane . . . . ancillarum Dei . . . . Furcellense. Vos autem una cum cuncta vestra congregatione monacharum sancti ac venerabili vestri monasterii vobis autem cum consensu et voluntate domni Iohannis qui dicitur Falconario, et de domno Landolfo uterinis germanis filiis quondam domni Gregorii Falconarii et de domno Sergio qui nominatur Buccatorio filio quondam domni Iohannis Buccatorii etc. idest integra petia de terra nostra iuris pertinentes ipsius nostre congregationis . . . . ipsius ecclesie sancte Restitute, que nominatur Atrentula, ad illum cerrum posita in loco qui nominatur Fullotani cum arboribus etc. de quibus nichil nobis, nec a suprascripta sancta nostra congregatione exinde aliquod remanxit aut serbavimus nec in aliena cuiuscumque persona quod absit commisimus aut iam commictimus potestatem etc. Et hec charta commutatiouis ut supra legitur sit firma scripta per manum Iohannis curialis per suprascripta Indictione.

† Petrus archiepiscopus subscripsi (3).

† Sergius consul et dux et protosebasto subscripsi.

(1) Cf. *Regest. Neap.* n. 578, ubi ipsum documentum summavi, quod heic, loco magis opportuno, plenius repetendum esse duxi.

(2) In exemplo Muratoriano heic, uti iam animadverti, legitur: *praetorio beatorum venerabilium*,... quod certe per errorem illius, qui membranam. originalem transcripsit, evenisse puto. Ibi potius vocem : *chartula* supplendam esse mihi videtur. Ita enim in aliis documentis dicitur, ubi de similibus *congregationibus* sermo est. Cf. *Regest. Neap.* nn. 318, et 556.

(3) Subscriptiones Aligerni primicerii, alterius Iohannis diaconi, atque subdiaconorum Stephani et Marini desunt in eodem exemplo. Ego eas ex Chioccarellio suppleo.

† Aligernus indignus sacerdos, et primicerius sancte Sedis Neapolitane ecclesie subscripsi.

† Sergius archipresbyter et cardinalis sancte Sedis Neapolitane ecclesie sub.

† Petrus archidiaconus sancte Neapolitane ecclesie subscripsi.

† Iohannes diaconus sancte Neapolitane ecclesie subscripsi.

† Iohannes diaconus sancte Neapolitane ecclesie subscripsi.

† Sergius subdiaconus sancte Neapolitanae ecclesie subscripsi.

† Stephanus subdiaconus sancte Neapolitane ecclesie subscripsi.

† Marinus subdiaconus sancte Neapolitane ecclesie subscripsi.

† Ego Iohannes filius domni Sergii testis subscripsi (1).

† Ego Iohannes Curialis complevi et absolvi per suprascripta Indictione — Ex Muratorii, *Antiq. Ital. med. aevi* t. V, p. 161 (2).

4. — *Sergius consul et dux plurimas res domino Iohanni ven. abbati monasterii Ss. Severini et Sossii concedit sive confirmat.* Anno 1130.

Instrumentum unum privilegium curialiscum factum continens quomodo: Nos Sergius in Dei nomine etminentissimus consul et dux atque Domini gratia magister militum concedimus et damus seu tradimus et firmamus vobis domino Iohanni venerabili abbati monasterii sanctorum Severini et Sossii ubi eorum venerabilia quiescunt corpora et cuncta congregatione monachorum supradicti sancti et venerabili vestri monasterii idest integro casale de terra positum vero in loco qui vocatur limpianum (2) foris porta nostra que dicitur de dopna ursitata iuxta lavinarium quod descendit de illu territoriu da super seu et via publica que descendit a meridie parte occidentis sicuti aqua et terminis exfinat et iuxta terram de illi Michini et terra ecclesie sancti Viti et ecclesia sancti Archangeli (3) et a parte meridie est terra de illi Marmarii et a parte septentrionis est terra de illi Barusi seu concedimus *vobis et* per nos? et in ipso sancto vestro monasterio idest integra petia de terra posita vero in loco qui vocatur baccillano cum pischina palmento et sussiptorio iuxta terram a parte orientis de illi armagaudi et a parte *occidentis* via publica et a una

(1) Alios testes verisimiliter librarius omisit.

(2) Documentum iam antea ex parte adnotaverat Chioccarelli *O. c.* p. 106.

(3) Harum ecclesiarum notitia per haec etiam tempora habetur in *Catasto di S. Pietro a Castello* in instrumenti summario n. 364 quod est hujusmodi « Landulfus subdiaconus tenet a domino Iohanne abbate dicti monasterii duas ecclesias pertinentes ipsius monasterii, una vero vocabulo beatissimi Michaelis Arcangeli et alia vocabulo beatissimi Viti, positas in loco Corillanae foris dictae Civitatis Neapolis. Reddit ammatim paria duo oblatarum videlicet in festo nativitatis domini et in festo sancti petri similiter par unum. Quod istrumentum factum est in tempore Imperatoris Constantini et est signatum hoc signo CCCLXIIII. — Utraeque ecclesiae iure patronatus ad monasterium S. Salvatoris in insula maris primum, et deinceps ad monasterium Ss. Petri et Sebastiani pertinebant. Anno 1585 cum aliis ecclesiis a priorissa et monialibus eiusdem collatae sunt d. Johanni Baptistae Lamberto clerico neapolitano. *Notam. instrum. S. Sebastiani* n. 22.

parte septentrionis est via publica que vadit ad cliu liboranum et de alia parte meridie est monasterium ecclesie sancte Marie ad Agnone (1). Iterum concedimus vobis et per vos et in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra que dicitur fundo a baccilianum (2) et cum medietate de integra pissina iuxta via publica ubi est illu Arcu de alio capite via carraria et de uno latere terra ecclesie sancte Euprassie (3) et iuxta terram   Concedimus vobis idest integra petia de terra posita vero in suprascripto loco baccilianum et a barbatello dicitur, cum palmento et sussitoriu suo iuxta terram a parte occidentis sanctorum Apostolorum et terram etc. (*sic*) et de alio latere terra Iohannis Mischini iuxta via carraria parte septentrionis iuxta terram parte meridie de illi Caczuctuli et de illi aldemarischi. Nec non concedimus vobis idest integra petia de terra ibi ipsum in suprascripto loco baczillanum iuxta terram ecclesie sancte Marie ad liburne (4) iuxta terram (*de*) dopno urso Maurone et terram de illi guindacii et terram ecclesie sancti Ianuarii que dicitur de illi castaldi et de sancto Iohanne cactolice mayore; de alio capite est suprascripta ecclesia sancte Marie ad liburne et via publica: quamque concedimus vobis integra petia de terra sita ibi ipso iuxta terram de illu petalarum, de alio latere terra de petro cacapice et Bernardo de uno latere est ecclesie sancte Andree de regionenido, et alio latere terra de illu Buccapixtulo. Concedimus vobis integra petia

(1) I. e. terra monasterii S. Mariae de Agnone.

(2) Cf. *Regest. Neap.* nn. 22, 164, 247, et 648 in not.

(3) Ecclesia in regione Furcillense. Cf. *Regest. Neap.* n. 192.—Ex quodam instr. die 25 m. iunii ann. 1281 ind. IX celebrato eruimus venditionem cuiusdam terre factam a Petro subdiacono S. Sedis Neap. Ecclesie, qui nominabatur Sabiniano, custode ecclesie S. Eupraxie, que erat intus civ. Neapolis iuxta vicum qui nominatur Mirti regione Furcillense cum consensu d. Petri ven. archiepiscopi S. Sedis Neap. Ecclesie et d. Johannis cognomento Cacciottolo, filii d. Gandolfi dominorum dicte ecclesie. *Notam. instrum. S. Gregorii* n. 530.

(4) Alibi *ad Liburnam* vel *Livornam*. Locus ab ipsa ecclesia nomen accepit. Haec vero ad rem habeo: In instrumento tempore Basilii m. i. facto « Cesarius presbiter filius q. Stephani habitator liburne tenet a dicti monasterio integras duas petias iure proprias ipsius monasterii integre ecclesie vocabulo beate et gloriose dei genetricis semperque virginis Marie et Sanctorum Martini et Brancatii, qui nominatur allaborna, simul cum integris duabus partibus iuris proprie ipsius monasterii de omnibus domibus cellis et piscinis et de omnibus rebus et substantiis seu possessionibus ipsius ecclesie pertinentibus. Reddit annuatim oblatarum paria novem, hoc est per festivitatem suprascripte ecclesie sancte Marie de augusto oblatarum paria tria, per nativitatem domini similiter paria tria, per sanctum Pascha similiter paria tria. Quod instrumentum est signatum hoc signo: CCCLXXXXV ». In alio islrumento sine die et consule sed, ut ex abate ibi memorato argui potest, imperante Frederico II certe confecto: « Oddo abbas dicti monasterii concessit ad livellaticum Petro Tubine petiam unam terre cum scapula sua ante se, cum integro funditiolo de terra in qua est costitutum palmentum et usitorium suum fabritur positam vero in Capo de clivo, ubi dicitur ad sanctam Mariam livornem, iuris pertinentie ipsius monasterii, una cum arboribus et fructibus suis et omnibus sibi pertinentibus. Sed ipsa terra est iuxta ab una parte carrariam comunalem unde habet introitum, a secunda parte est terra congregationis S. Restitute et Petri Malacis, a tertia parte est terra Athanasii Coppa, a quarta parte est terra. . . . . et ipso fundo est iuxta ab una parte castri veteris, a secunda parte est terra Alexandri Pappadie, a tertia parte est terra Athenasii Coppe. Reddit censum in festo sancti Salvatoris de mense augusti libram unam cere apportatam intus in dicto monasterio. Quod instrumentum est signatum hoc signo: CCCLXXXXIIII ».

de terra posita ibi ipsum in capite de cliu, et coherent sibi a parte orientis est corrigia de terra supradicti vestri monasterii et a parte occidentis est terra Iohannis pantaleonis et a parte meridie de suprascripta via et a parte septentrionis est terra . . Iterum concedimus vobis idest integra corrigia de terra sita ibi ipsum in capud de cliu coherente sibi ab una parte occidentis est terra de illis de cimina et de alio latere terra de illu birmelia? et terra de illu petalarum et iuxta terra dicti monasterii et de uno capite parte meridie via et de alio capite parte septentrionis terra que fuit de dompno landulfo caraczulo. Quamque concedimus vobis idest integra petia de terra sita ibi ipsum in capud de cliu coherente sibi a parte orientis est terra de illi pantaleo et terra de illi de Cimina et a parte occidentis est suprascripta via publica et a parte meridie terra de illi romani et a parte septentrionis terra de ipso pantaleo. Iterum concedimus vobis idest inclitum casalem positu vero in loco qui nominatur Montegangulo ad (*cum*) intersicas suas et ad (*cum*) integra pissina palmento et sussitorio suo intus se et ad (*cum*) arboribus et fructoras suas, qui coherent sibi a parte occidentis est terra de Iohanne Cacapice de arbustulo et terra de illi Gaytani et terra de Aldemari et de Galiarda et de aliis qui affines sunt et a parte occidentis est via comunali et a parte septentrionis est eadem via comunalis et iuxta terra de illi Mottula et de Stefano Iannaro et a parte meridiei est terra de illi carazoli virdi. Similiter concedimus vobis idest integra starcia posita vero in loco, qui nominatur a sancta Nastasa parte foris fluvium, et dicitur Aderectiane: una cum pissina palmento et ussitoriu et coheret sibi a parte orientis est via publica et a parte occidentis est medium lavenarium et a parte meridie . . . . et a parte septentrionis qualiter vadit ad illa fine de pumillanu. Nec non concedimus vobis et in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra posita ad illu Archu in suprascripto loco sancta Anastasa et coheret sibi a parte meridiei et occidentis vie publice et a parte orientis terra de stefano de palumba et a parte septentrionis est terra . Concedimus vobis idest integru fundo de terra posito vero in suprascripto loco sancta Nastasa, et coheret sibi a parte orientis est via publica et a parte occidentis terra de illu Caturani et a parte septentrionis terra et a parte meridie vie publice. Eciam concedimus vobis idest integra petia de terra posita vero in suprascripto loco sancta Nastasa cum pissina palmento et usitorium intus se et coheret sibi a parte orientis et meridie terra monasterii sancti Dimitrii de Albini, et a parte occidentis via publica, et a parte septentrionis terra sancti Mennati et terra et terra Iohannis Cacapice. Nec non concedimus vobis et per vos in ipso vestro monasterio idest integro fundo posito vero ibi ipsum in suprascripto loco sancte Anastasie et coheret a parte orientis est terra de illi ganga et a parte occidentis est terra ecclesie sancte Marie que nominatur de illi Caperrusi (1) unde dominus est suprascripto monasterio, et

(1) Parva ecclesia, quae olim extabat *supra porticale quod dicebatur de le Portelle alli ferri vecchi* ut legitur in *Actis visit:* anni 1542, n. 6. Dein fuit prophanata et translata ad altare majus ecclesiae Cathedralis. *Acta visit. Cath.* anni 1574. Ejus meminit SUMMONTE *Hist.* ecc. t. I, p. 48.

a parte meridie est terra de illi qui vocantur caloceri et a parte septentrionis est via publica de illa via. Concedimus vobis idest integra petia de terra posita vero ibi ipsum in suprascripto loco sancta Anastasa, et coherent sibi a parte septentrionis terra de illi picocia et terra de ipsi caloceri et a parte occidentis est via publica et a parte orientis est terra de illi caturani et de illi papacculi et a parte meridie terra de Iohanne presbitero et terra de petro bayo. Quamque concedimus vobis idest integra petia de terra posita vero in loco qui nominatur Caczino parte foris fluvium, et coheret sibi a parte septentrionis via publica, et a parte meridie terra Iohannis marenarii et a parte orientis et a parte occidentis . Iterum concedimus in ipso sancto vestro monasterio idest integro casale de terra in plagia sancti Laurentii (1) et cum integra alias scapulas parte septentrionis. Et

(1) De plagia S. Laurentii haec habeo in *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 466: « Stephanus qui nominatur Gennaro quamque et Sergius filius quondam Theodori de Clabosse? Provincia nostra et de ceteris parentibus et consortibus nostris seu et pro vice ecclesie vocabulo S. Nicolai de intus Castellone novo promittimus vobis domino Petro dicti monasteri (scil. *S. Salvatoris*) abbati de integra petia de terra que nominatur ad illum gangastellum posita vero in plagia S. Laurentii, una cum introitu suo et omnibus sibi pertinentibus et hos habet fines, a parte orientis terra Bonilli Cozzuli, et a parte occidentis de illa Parabucci de ipso loco plagia et a parte meridiei terra mea predicti Sergii, sicuti egrypus inter se exfinat, et a parte septentrionis est mons qui dicitur passagemula, non molestare per nos nec per alios nostro nomine, sed renuntiamus dicto monasterio predictam terram imperpetuum. Quod instrumentum factum est in tempore Imperatoris Basilii, et est signatum hoc signo CCCCLXVI ».— Alterum extat etiam instrumentum factum anno 1273, regnante rege Carulo an. IX die 6 m. septembris indictione secunda Neapoli, ubi terra in plagia S. Laurentii posita memoratur, cujus summarium est huiusmodi « Dominus Guillelmus abbas monasterii sanctorum Sergii et Bacchi, ac Theodori et Sebastiani de Neapoli livellario nomine usque ad XXVIIII annos completos locavit et concessit Nicolao et Matteo uterinis germanis filiis Ioannis de Constantio, et Gaitalgrime h. f. iugalium personarum et Angelo et Nicolao uterinis germanis filiis Romani de Constantio, qui fuit filius Philippi de Constantio, atque d. Ioanne h. f. iugalium personarum, et Antonio filio Orici de Constantio, qui fuit filius suprascripti d. Philippi de Constantio et d. Sibilie iugalium personarum, et Iacobo d. Petri de Constantio, qui fuit filius suprascripti Philippi de Constantio, atque d. Pobia h. f. iugalium personarum. hoc est insimul ex adelpho, cianis et nepotibus, atque ex adelpho germanis. hoc est integram petiam de terra planam cum intersico de terra iuxta ex parte suprascriptam petiam de terra insimul sunt per mensuram . . . . cum integro de terra, in qua est constructum palmentum cum ussitorio suo fabritum constructum intus se, et cum integra alia petia de terra pendula, in qua cerquetum cum integro monte . . . . qui est desertum et boscum et distructum iuxta ipsam petiam de terra pendula coniunctum simul, posita vero in loco qui nominatur plagia sancti Laurentii cum arboribus fructiferis et infructiferis, et eorum introitu, et omnibus sibi pertinentibus. Cohaerent praefate petie terre plane ab uno latere parte meridiei est terra suprascriptorum nominatorum de Constantio, sicuti sepis exfinat, et terra d. Albitio Benuta que fui. . . . . et terra praephati monasterii et a foris ipsa semita comune est ipse fundus de terra ipsorum de Constantio sicuti . . . . exfinat, ab alio latere parte occidentis est alium ex parte de ipsa terra, que fuit de ipso d. Roperto Spadaro que modo est de suprascripto d. Albitio Benuta sicuti sepis exfinat, de uno capite parte meridiei ex parte de ipsa petia terre plana, de alio capite parte septentrionis qualiter ad piccia usque ad labenarium quod descendit de monte ad ipsum fundum de terra in quo est ipsum palmentum et susceptorium et ad ipsa petia de terra, in quo est ipsum cerquitum et ad ipsum montem de terra que est diserta et boscum et diclictum? coheret sibi de uno latere parte orientis est alia terra monte ipsorum de Costantio sicuti inter se . . . . exfinat, de uno capite parte septentrionis qualiter vadit ipse monte

coheret sibi a parte orientis est riu olim supradicti vestri monasterii et in ipsa parte orientis est terra de Iohanne qui nominatur lormagno. Et a parte occidentis et septentrionis est via et a foris ipsa via est terra heredum quondam Iohannis Spadaro et a parte meridie via. Concedimus vobis idest integro campu de terra posita vero in suprascripto loco plagia sancti Laurentii. Et coherent sibi a parte orientis est suprascriptu riu sicuti aqua exfinat et a parte occidentis terra plana de ipso Muschino: et a parte septentrionis suprascripta via publica et a parte meridie suprascripta plagia maris et a foris ipsa plagia maris suprascripti monasterii qualiter vadit intus mare

usque ad clivium de ipso monte, de alio latere parte occidentis in ex parte est terra suprascriptorum de Constantio, sicut gripus exfinat, de alio capite parte meridiei qualiter vadit revolvendo est ipsa terra suprascriptorum de Constantio seu et in ipso capite in ipsa parte meridiei est ipsa semita comunalis et a foris ipsa semita comunalis in ex parte est ipsa terra ipsorum de Constantio seu et in ipso capite in ipsa parte meridiei est ipsa terra plana sicuti. . . . . . exfinat. Quam quidem petiam terre planam cum suprascripto integro intersico et suprascriptum fundum et terram pendulam, in qua est cerquitum cum predicto monte et restum et boscum et de griptum? cum suis omnibus pertinentibus promiserunt bene et diligenter . . . . . et cultivare et ad meliorem cultum reducere etc. pro qua locatione solverunt suprascripto abbati Guillelmo uncias auri sex et dare et respondere debent omni anno pro redditu seu censu ipsorum bonorum ipsi monasterio in festo S. Marie de mense augusti mediam unciam auri boni et iusti ponderis et est signatum tali signo CLII. *Summarium instr. S. Sebastiani* fol. 108 ».

In ipsa plagia exstabant tum ecclesia S. Laurentii, unde fortasse eidem nomen inditum, tum ecclesiae S. Ianuarii et S. Petri. De prima in *Catasto di S. Pietro a Castello* invenio n. 402 summarium instrumenti facti tempore imp. Alexii, in quo legitur: « quomodo orta fuit questio inter Albericum Gavicellam et abbatem Ursonem dicti monasterii de quadam ecclesia S. Laurentii iuris propria ipsius monasterii sitam in Neapoli ubi dicitur ad Calcaria et ad istam concordiam devenerunt quod dictus d. abbas dedit dicto Alberico tarenos octo de Amalfia, et dictus Albericus remisit dicto abbati dictam ecclesiam ». — Invenio etiam n. 403 aliud summarium instr. facti tempore imp. Romani, quod continet: « quomodo Petrus subdiaconus filius q. d. Sergii qui nominabatur Siricari tenet a dicto monasterio duas partes de integris sex unciis de integra ecclesia vocabulo S. Laurentii Christi martyris sitam vero in regione Calcarie una cum omnibus etc. per dispositum q. d. Gregorii et a publica potestate et per q. d. Gregorium de Piscinola quomodo ipsa ecclesia habet fundum in loco Piscinule de integra terra de loco Marzavallo et de integra terra et domo posita in regione Irculense, quos reliquit suprascriptus d. Gregorio presbiter bitricus meus q. d. Petro abbati dicti monasterii ». — De altera etiam summatur instrumentum sine die et consule quod est huiusmodi « Sergius filius q. . . cum voluntate Marie coniugis sue offeruit et tradidit d. Petro abbati dicti monasterii et congregationi dicti monasterii integram portionem suam de integra ecclesia vocabulo sancti Januarii sita in plagia sancti Laurentii ad illo Arenario una cum rebus et substantiis seu possessionibus suis omnibusque introitibus et exitibus suis et sibi pertinentibus; insuper offero et trado tibi et in ipso vestro monasterio integram portionem meam de integra terra, quantum et quomodo mihi obvenit et obvenire debet de intus insula Procidana una cum uxoribus? et introitus seu et de omnibus pertinentibus et integra medietate de suprascripto sancto vestro monasterio offertum et traditum in vestra posterisque et in suprascripto sancto vestro monasterio faciendo quo volueritis. Quod istrumentum est signatum CCLXXXVIIII ». Alibi vocatur ecclesia S. Ianuarii *ad memoria*. *Catasto* cit. n. 413. — De tertia denique haec adnotantur in *Indice delle pergamene dei Ss. Severino e Sossio* n. 1536: « Imperante Constantino magno imperatore in die 10 m. aug. ind. XV, Stephanus presbiter tenebat a d. Milone? umili abbate monasterii sanctorum Severini et Sossii ecclesiam unam ipsius monasterii sub vocabulo S. Petri Christi Apostoli quae sita esse videtur in plagia S. Laurentii ». In alio instrumento anni 1268 die 3 m. septembris ind. IX ecclesia haec dicitur posita in loco playa sine aliqua additione.

passus centu. Et omnia quod superius vobis datum traditum in tua tuisque posteris autem (*et in*) ipso monasterio sit potestate ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum et alienandum etc. *cum subscriptione et sigillo nostro* in die septima mensis aprilis *de* indictione octava Imperante domino Iohanne porfirogenito magno imperatore anno trigesimoctavo etc. prout in dicto privilegio exinde facto continetur, quod privilegium est signatum in presenti inventario sub hoc sign. VCCXXXVI. — Ex *Indice delle pergamene del monastero dei Ss. Severino e Sossio* f. 146.

5.—*Sergius consul et dux commutat cum domino Matthaeo abbati S. Salvatoris in insula maris terram et fundum in loco Emple in viciniis Neapolis et recipit corrigias terrae ibidem positas.* Anno 1131.

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo *Sergius* (1) in dei nomine eminentissimus consul et dux atque Domini gratia magister militum filius quondam domini Iohannis in dei nomine eminentissimi consulis et ducis atque domini gratia magistri militum et imperiali prothosebasto: et domna Eva iugalium personarum permutavit et tradidit domino Mattheo venerabili abbati dicti monasterii (2) integram petiam terre et fundum nostrum de terra in predicto loco Emple (3) una cum arboribus et fructuras suas et cum scapulis suis et cum palmento et uscitoribus suis, et cum piscina et fabricis intus se et introitu et exitu suo et omnibus sibi pertinentibus, et est iuxta ipsa petia terre, ut supra legitur, a parte orientis sunt scapule de terra exinde pertinentes, seu et in ipsa orientali parte est terra Marie filie quondam Bernardi Capicii, seu et terra de Altrude, et Laurentius qui nominantur Morfisa, uterini germani, et de aliis qui ibidem adfines sunt, sicuti inter se sepis et ebricu exfinat, et a parte occidentis est via comunalis, sicuti inter se sepis exfinat, et a foris ipsa via comunali in ipsa occidentali parte est alio campo vestro pertinente suprascripti vestri monasterii, seu et terra (4) que ibidem atfines sunt, sicuti inter se terminis exfinat, et a parte septentrionis est terra Iohannis Petalarii et Petri uterini germani et de suprascripta Maria. Secunda petia terre est iuxta a parte occidentis vias publicas sicuti inter se sepis et ebricu exfinat, a parte orientis est terra dicti monasterii et terra sancti Arcangeli de illi Morfisa (5) seu et terra quondam Gregorii Alope, sicut ebricu seu terminis exfinat, a parte septentrionis qualiter descendit a scapulis suis usque ad suprascripta cava et a parte meridie est terra dicti monasterii, et ipso fundo de terra est iuxta a parte

(1) In *Catasto*, unde etiam CLARITIUS, minus recte heic legitur: *Marinus*, at mihi dubium non est quin reponendus sit: *Sergius*, is scil. qui Neapolitanorum ducum postremus fuit: eum enim notae, quae sequuntur, aperte indicant.

(2) Scil. *S. Salvatoris in insula maris.*

(3) Cf. *Regest. Neap.* n. 523, not. (2).

(4) Verisimiliter heic aliquid deest.

(5) *Regest. Neap.* nn. 163, 164. Monasterium, quandoque etiam hospitale, olim extabat in plathea S. Dominici. Cf. CHIOCCARELLI, *O. c.* p. 127 et 156.

orientis et septentrionis sunt vie publice sicuti inter se . . . . . ? et ebricu exfinat, et a parte occidentis est terra . . . . sicuti sepis exfinat. Item alia petia terre ibidem est iuxta a parte orientis terra dicti monasterii, a parte meridiei est terra suprascripti Ligorii qui nominatur Gidio, sicuti inter se sepis et ebricu exfinat, a parte septentrionis est terra heredum quondam Stephani scriniarii, sicuti inter se parietina et ebricu exfinat, et a parte occidentali est terra heredum dicti Gregorii et alios confines. Receperunt a bice ab eodem monasterio corrigias duas de terra in ipso loco Empli, et est iuxta de uno latere parte orientis est alia terra vestra, de alio latere occidentis est terra monasterii predicti, sicuti inter se ebricu exfinat, de alio capite est via , de alio capite est alia terra : et alia petia ibidem est iuxta a parte orientis terra ecclesie sancti Iohannis, sicuti inter se ripis et ebricu exfinat, a parte occidentis est alia terra vestra, que superius a vobis accepimus, a parte orientis est terra dicti monasterii, sicuti inter se sepis exfinat, a parte septentrionis est rio de terra dicti monasterio, sicuti inter se embrico exfinat et sepis exfinat, seu et in ipsa septentrionali parte in aliquantum est terra sancti Angeli de illi Morfisa: et alia petia de terra est iuxta a parte orientis et meridiei terras dicti monasterii et a parte occidentis est iterum terra seu intersicum de terra dicti monasterii et a foris ipso intersico est terra illorum pizzuli, a parte septentrionis est scapula qualiter vadit revolvendo ad viam publicam et ipso fundo ibidem a parte orientis, meridiei et occidentis sunt terre et rio dicti monasterii : et a parte septentrionis est terra de quidam Pandulpho qui nominatur Rucco et de heredum quondam Adenulfi Rucco sicuti inter se sepis exfinat et alios confines. Quod instrumentum factum est in tempore domini Iohannis Porfidi (*Porphirogeniti*) magni imperatoris (*an. quadragesimo* etc.) in die XXIII mensis novembris indictione X neapoli. Et est signatum hoc signo CCXVI. — Ex *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 216, et CHIARITO, *O. c.* p. 222.

B. Documenta aetatis incertae.

6. — *Iohannes consul et dux concedit sive confirmat monasterio Casinensi ecclesiam S. Caeciliae in Neapoli et cellam S. Severi in Surrento, nec non et cellam de casa Gentiana,* 934-939 (1).

Adalbertus Abbas XXIIII. Huic Abbati iohannes consul et dux neapolitanorum suo precepto confirmavit atque concessit aecclesiam sanctae Ceciliae (*sic*) intra neapolim (2) sitam in platea que cognominatur palmarum antiquitus huic monasterio pertinentem cum universis omnino pertinentiis eius. Nec non et caellam (*sic*) sancti severi

(1) Adalbertus abbas ab a. 934 ad an. 949 monasterium Casinense rexit, cum Iohannes Neapoli consul et dux fuit ab an. 928 usque ad an. 968.

(2) In eodem *Regesto Petri Diaconi* fol. 155 habetur *Oblatio Equitii senatoris patris S. Mauri*, quae omissis aliis, est huiusmodi: « In nomine d. n. i. c. dei aeterni. Anno incarnationis eius quingentesimo vicesimonono . . . . julii XXIIII. Legitur in

in surrento (1) cum omni pariter pertinentia ipsius. Sed et cellam nominatam de casa gentiana (2); cum gualdo et terris et silvis et omnibus omnino nobis in eodem territorio pertinentibus. Et ut in tota civitate neapoli nullum plateaticum sive portaticum nihil monachi aliquando darent. — Ex *Regesto* Petri Diaconi f. 90 in bibliotheca Casinensi (3).

7. — *Ioannes consul et dux concedit Stephano presbytero ecclesiam S. Marie de Ierusalem foris portam Furcillae in urbe Neapolis.* Anno 928-960.

Instrumentum unum curialiscum scriptum cdntinens quomodo *nos* Iohannes in dei nomine eminentissimus Consul et dux pro vice nostra, et pro vice Marini Ducis filii nostri qui infra etate esse videtur concessimus et tradimus tibi Stephano venerabili presbytero integram ecclesiam vocabulo beatae et gloriose dei genetricis semperque virginis Marie domine nostre que vocatur ad Ierusalem (4) sita foris porta

dictis Sanctorum . . . . . . In primis offero deo et venerabili patri benedicto. una cum Mauro filio meo ecclesiam sancte Cecilie intra nobis a deo servandam civitatem Neapolitanam locatam. Una cum omnibus appendiciis suis. cum servis et ancillis omnia et in omnibus que mihi jure hereditario pertinent que sunt. territorium gensiane cum universis pertinentiis suis. Cellam sancti Severi in Surrento cum omnibus pertinentiis suis, ... » At diploma, uti et aliud Tertulli, quod Tosti, *Storia di Montecas.* t. I, p. affert, et saeculo XII tribuit, ex domestica Casinatium traditione posterioribus temporibus effictum fuisse facile patet. Verumtamen dubitari non potest quin monasterium Casinense ecclesias et res, quae supra memorantur, olim iure possederit. Gisulfus enim dux, ut ex Leonis Ostiensis *Chronica* L. I., c. 6 discimus, de territorio Gentianae concessionem eidem monasterio satis liberaliter fecit, et deinde princeps Arichis partes maiores concessit in territorio Gentianae super id vid. quae Gisulfus dux dudum Pertinaci abbati concesserat (c. 14). Iterumque Grimoaldus filius eius concessit omnia dominicalia suas cum servis et ancillis in eodem loco et cellam S. Agapithi et multa alia (c. 48). Circa idem tempus denique: « Athanasius neapolitanus episcopus, ut in eodem *Regesto* Petri Diaconi f. 89 et in *Chron.* Leonis legitur, manifestavit se monasterio huic de obedientia . . . . in casa gentiana ut nullam ibi potestatem neque ipse neque successores sui ulterius habeant vel licentiam in ea aliquid ordinandi vel condicionem ponendi, sed sicut antiquitus monasterio pertinuit ita deinceps in eius ex integro potestatem et ordinationem rediret ».

De monasterio S. Caeciliae plures imperatorum et pontificum confirmationes exstant, quarum aliquas heic memorare liceat. Praeter diploma Caroli magni a Gattula (*Hist. Cassin.* p. 115) allatum, in eodem *Regesto* supra citato f. 63^{b} adnotatur: *Preceptum Heinrici imperatoris. . . . Richerio abbati*, in quo inter alia confirmat *cellam. . . . sancte Ceciliae in Neapoli. . . . . Dat. III mensis febr. Anno dominice incarnationis 1047.* — Item in *Regesto S. Angeli in formis* f. 10: *Urbanus episcopus servus servorum Dei* etc. *Preter generale* etc. . . . . confirmat concessiones. . . *S. Cecilie et S. Demetrii in Neapoli. . . . . . VI kal. aprilis* 1097; et item fol. 12: *Paschalis eps* etc. *nonis febr.* an. 1113. — Denique in *Regesto* II Bernardi abb., f. 139: Privilegium Lotharii imp. apud Aquinum *X kal. octobris* 1137, et f. 142: Privilegium Innocentii III apud S. Germanum *VIII kal. aug.* 1208 quae eadem confirmant, habentur. Cetera omitto.

(1) Quae fuerit haec cella incertum; Surrenti enim nulla alia Cassinensium *obedientia* memoratur nisi ecclesia S. Renati: An ille huius ecclesiae titulus antiquior?

(2) Casa Gentiana in Liburia erat posita.

(3) Haec *Regesti* verba, quae Leo Ostiensis in *Chron. monast. Casin.* L. II, c. 56, fere ad litteram repetit, ego paucis ab hinc annis a b. m. viro d. Caesare Quandel Casinensi ex cod. originali transcripta accepi.

(4) Cf. *Regest. Neap.* nn. 445 et 490.

de Forcilla (1), que ipsa ecclesia tua noviter edificasti. Id est omnem licere et pertinentia per quovis modo in terra que est iuxta ipsam ecclesiam tuam hoc *est* a fine parieti, qui est intre hortum tuum inde Stephani presbiteri et arcum de illi septimini parte orientis et abinde quomodo vadit directum ipse parieti in cantu de silice publica parte septentrionis quomodo vadit ipso canto ed ipsa silice seu et usque a fundamento parietis qui est a parte occidentis et abinde quomodo advolvit in parte meridiei et vadit directum usque ad transendam sancti Iosue. Quod istrumentum factum est in tempore Constantini magni imperatoris (2) et est signatum hoc signo CLXXXXIIII. — Ex *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 194; et Tutinio, *Notationes desumptae ex archivis aliquorum monasteriorum* t. II, f. 23, in bibl. Brancacciana.

8. — *Sergius consul et dux pro vice sua et pro vice filii sui concedit d. Petro abbati monasterii SS. Salvatoris in insula maris omnia bona in loco S. Nicandri juxta Acerram positam.* Anno 977 vel 992.

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Sergius in dei nomine Consul et Dux pro vice sua et pro vice filii sui qui infra etate esse videtur concessionem dedit et firmavit domino Petro abbati dicti monasterii omnes domos, curtes, ayeras, terras, vel hominibus et vassallis fundatis et exfundatis vivorum et mortuorum cum ipsorum fundis cespitibus consuetudinibus et omnibus eorum conquaesitum illorum quae nunc habent, vel habere potuerint per quovis modo de intus et foris in vobis et suprascripta vestra congregatione imperpetuum simul, positis vero in loco Sancti Negranti non longe a civitate Acerrarum et in eius pertinentiis, sed semper maneatis liberi vos et ipso vestro monasterio imperpetuum de omni da-

(1) In *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 82 exstat summatum « instrumentum unum ordinationis curialiscum scriptum continens quomodo medietas ecclesie S. Marie de Ierusalem, que est foris urbis dicte civitatis foris illa porta de Forcilla est predicti nostri monasterii et ille abbas qui nunc est, et qui pro tempore fuerit tenetur reddere annuatim in perpetuum dicto nostro monasterio iure patronatus anni cuiuslibet de oleo tarerum medium adductum seu mandatum usque intus in dicto monasterio *etc.* Quod instrum. factum est in tempore imp. Coustantini in die 3 m. augusti VI ind. et est signatum hoc signo LXXXII ». Unde eruitur anno 1053, cum imperante Constantino Monomacho ind. VI decurrebat, medietatem huius ecclesiae in iure patronatus monasterii Ss. Salvatoris in insula maris perventam fuisse. Deinceps etiam alia medietas eidem monasterio sive illi, qui in eiusdem iure successit, data fuit; a priorissa enim Ss. Petri et Sebastiani, anno 1496, rector in ea nominabatur. *Notam instr. S. Sebast.* n. 128. Tunc temporis erat *totaliter diruta et plena immunditiis*, ut in instr. die 3 m. junii anno 1499 celebrato asseritur (*Notam.* cit. n. 1049).

(2) Cum Iohannes et Marinus ejus filius inter an. 928 et 968 Neapoli Consules et duces fuerint, et Constantinus cum Romano II usque ad an. 960, Cpoli imperitaverit, huius diplomatis epocham inter a. 928, quo Iohannes ducatum suscepit, et a. 960, quo Constantinus obiit, coarctandam esse censeo. Romani II Constantino in imperio conlegae nomen breviator in *Catasto* omisit. Fuisse autem duos alios eiusdem etiam nominis duces inter an. 915 et 928, Constantino quoque imperante, non inficior; at Iohanni III et Marino II, magis quam Iohanni II et Marino I documentum hoc convenisse mihi videtur; nam tantum de Marino II certe scimus patri, cum infra aetatem esset, in ducatu conlegam fuisse.

tione et cessione, quam nos de ipso demanio vestro habere potuerimus et nunc et imperpetuum temporis in omnia et ex omnibus cumque vobis vel antecessoribus vestris et de ipso sancto vestro monasterio offertum et datum vel quomodo iniunctum vel traditum fuerit ut supra diximus a tempore preterito usque nunc et nunc similiter quos et quale in eodem sancto et vestro monasterio per qualecumque modum in eodem ordine obvenit obvenire et reddere debuissetis. Quod istrumentum factum est in tempore Basilii magni imperatoris in die XX Iunii indictionis V (1) Neapoli et est signatum hoc signo CCI. — Ex *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 201.

9. — *Sergius et Iohannes consules et duces campum de terra in loco Casoriae Siconi abbati monasterii SS. Salvatoris in insula maris concedunt.* Anno 993-998. (2)

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Sergius et Iohannes in Dei nomine consules et duces pro onnipotentis amore, et redemptione anime nostre concedimus et tradimus seu firmamus vobis domino Sico (3) abbati dicti monasterii cunctaeque congregationi monachorum presentibus et futuris integram medietatem et integrum campum de terra et intersicum suum ibidem coniunctum, qui fuit Marie h. f. filie Iohannis et Eufemie iugalium personarum, relicte tamen Petri Appiani, qui nominatur Apponazza quod est foris silve de loco qui nominatur Casorie una cum arboribus et fructoras suas, vel cum omnibus intus se habentibps et cum introito suo et omnibus sibi pertinentibus et est iuxta ipsum campum de terra, et rive unde ipsa medietate vobis exinde concedimus et firmamus in uno latere parte orientis est via publica, de alio latere parte occidentis est terra heredum Stephani de Noveta sicuti intus se fossato proprio ipsius campi exfinat: simul et integrum intersicum unde vobis superius ipsa medietate concessimus et confirmamus est in latere et in capite de ipso intersico iuxta terram predictorum heredum Stephani de Noveta, de uno capite parte meridiana est ipsa sylva sancte neapolitanę ecclesie, simul in aliquantum est ipsa via publica, de alio capite parte orientis est clusuria de terra ecclesie Sancti Thome

(1) In huius operis t. I, p. 129 instrumentum hoc ad an. 977 omnino adscribendum esse censui; nunc vero, re melius perpensa, dubius sum an illud ad an. 977 vel ad an 992, cum etiam indictio quinta, Basilio imperante, recurrebat, adtribuendum sit. Documentum enim, ex quo Maionem abatem SS. Salvatoris in anno 992 posui, notas chronologicas ita erratas habet, ut judicari nequeat quae ex ipsis, (indictio scil. an imperii annus), uti rectior, magis amplectenda sit. Quapropter annum huius diplomatis in ancipiti relinquo.

(2) In *Catasto* nulla alia nota chronologica huic instrumento adscribitur nisi: *imperante Basilio*, qua temporis satis longi (963-1024) circumscriptio denotatur. At cum Sergius (III), et cum eo Ioannes filius, ducatum Neapolitanum ab a. 977 ad a. 998 certe obtinuerit, necesse est, ut infra hos terminos diploma eorum coarctetur. Quin immo, si Petrus senior abbas SS. Salvatoris, uti supra dixi, usque ad an. 992 vivere potuit, Siconis abbatis, qui in hoc instrumento memoratur, aetas inter a. 993 et 998 praefiniri debet, cum Basilius et Constantinus impp. apud Byzantium, atque Sergius et Ioannes duces apud Neapolim imperitarent.

(3) Nescio an heic recte viderit breviator instrumentorum monasterii SS. Salvatoris. Dubium enim mihi facit nomen langobardicum abbatis, qui nullibi in eiusdem monasterii documentis occurrit.

ad Capuanam, iuxta terram heredum Sergii *qui* nominatur Baraval, simul de predicto intersico unde medietas vobis concedimus et confirmamus ut supra legitur in latere ex ipso intersico terra supradicti heredis predicti Sergii *qui* nominatur Berardi et in capite ex ipso intersico est terra ecclesie Sancti Arcangeli de illi Morfisa et alios confines. Quod instrumentum factum est in tempore domini imperatoris Basilii, et est signatum hoc signo CCCXIII, et CCCXXIII — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 313, et 223.

10. — *Sergius consul et dux Petro Gaietano domum in pede de Monterone in urbe Neapolis concedit.* Anno 967-1024.

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo nos Sergius in dei nomine eminentissimus consul et dux concedimus et tradimus, seu confirmamus tibi Petro Gaietano, cui nomen a Ricco filio . . . . dispensator bonorum pro bono et fideli servitio que *(sic)* mihi fecisti, id est integram domum, que fuit de quidam dominico de Benedicto positam a junctura (1) civitatis Neapolis in pede de Monterone (2) una cum inferioribus et superioribus suis vel omnibus membris et cum gradis fabritis parte meridiei, aieribus et aspectibus suis, et cum omnibus sibi pertinentibus, et est iuxta a parte orientis dominum Leonis de Cesarij sicuti parieti exfinat, et a parte occidentis est domus heredum Gregorii qui nominatur de Paulo sicuti intus sed parieti exfinat et a septentrionis parte est domus Petri de Benedicto et Stephani uterini germani et a parte meridiana sunt gradis fabritis, et via publica, et alios confines. Quod instrumentum factum est tempore imperatoris Basilii, et est signatum hoc signo CCLXXXVII — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 287.

(1) Iam hoc tempore novae ad urbem versus mare accessiones, generali vocabulo, *iunctura* vel *iunctum* appellabantur; et ita etiam deinceps usque ad saeculum XIV. Cfr. librum meum cui titulus: *Sulla circoscrizione e sulla popolazione di Napoli fino al 1806* p. 10 in not.

(2) Summarium cuiusdam documenti in eodem *Catasto*, ubi de loco Monteronis agitur, heic referre iuvat. Est autem hujusmodi : « Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Cesarius Cimina filius quondam Ioannis Cimini, et quondam dominae Luciae iugalium tenet a domino Ioanne venerabili abbate dicti monasterii et conventus ipsius monasterii integris domibus apothecis, balneum porticum et curte simul vestris positis vero intus hanc civitatem Neapolis ad Monterone que simul sunt posite in una detinentia cum aieribus et aspectibus suis et cum locora sua negociandi et omnibus sibi pertinentibus: et sunt coniunctis totis integris ipsis domibus apothecis balneum porticum et curte. ut supra legitur, a parte orientis sunt domibus de illis Macedoniis sicuti parieti exfinat, et a parte occidentis sunt domibus heredum de illo Baraballo sicuti parieti exfinat, a parte septentrionis sunt domibus de domno Marino de Ginaro sicuti parieti exfinat, et a parte meridiei sunt illa locora negociandi, et in ipsa parte meridie est platea publica. Reddit annuatim in calendis septembris mense tarenos quinquaginta in carlenis? argenti. Quod instrumentum factum est in anno domini MCCLVI in tempore Regis (*Pape*) Alexandri et est signatum hoc signo CCLXXVIII. — Ex *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 278. Nunc est locus, ubi regia studiorum Universitas eminet.

11. — *Ioannes et Sergius consules et dúces privilegia monasterii SS. Salvatoris in insula maris confirmant.* Anno 1002.

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Iohannes et Sergius eminentissimi Consules et duces pro honore *(amore?)* dei onnipotentis et salvatione nostra concesserunt donaverunt et dederunt, ac assignaverunt domino Petro iuniori venerabili abbati monasterii sancti Salvatoris et cuncto conventui idest omnes concessiones, et preceptoras, seu preceptum concessionis seu verboras quantas, et quales ad antecessoribus vestris suprascriptoque vestro monasterio facere et confirmare visi fuerunt omnes vestri et antecessores, idest consulibus et ducibus *(sic)* aut vos ipsi, vel presules vestre Neapolitane Ecclesie, aut primatibus, vel castaldeis partibus Langobardorum prenominatas omnes cessiones et preceptoras seu preceptum concessionis et verboras in omni, et in omnibus qualiter continet sit vobis vestrisque posteris et suprascripto vestro monasterio firmum et stabile in perpetuis temporibus: iterum concedimus et largimur atque constituimus vobis suprascriptoque sancto vestro monasterio, ut si quovis tempore, vel in posteris fuerit hoc est sive de sacerdotalibus aut clericorum vel monacorum aut secularium vel de quocumque ordine sive viris aut faeminis qui haeredes habuerunt vel habent, et qui heredes non habuerunt vel non habent, vobis vel antecessoribus vestris aut in suprascripto vestro sancto monasterio sic offertum et datum sive rebus et substantiis sive domibus et casalibus vestris vel ortuis aut ospitiis vel commenditis, fundatis vel exfundatis ipsorum, vivorum et mortuorum cum cespitibus et consuetudinibus cum omni apparatu et conquesito illorum qui habuerunt, vel habent, vel habuerint, et omnibus adiacentibus et pertinentibus etiam mobilium et immobilium et de viis suis intus hanc civitatem neapolis sive de foris. Quod instrumentum factum est in tempore Basilii magni imperatoris in die XV mensis decembris indictione prima (1) et est signatum hoc signo CCLXII — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 262.

12. — *Sergius consul et dux concedit et firmat donationem Marino monaco monasterii S. Sepulchri factam eidem monasterio.* Anno 1050 vel 1065.

Instrumentum unum longobardum scriptum continens quomodo Sergius dei gratia Magister militum concedimus largimur et firmamus vobis domino Marino gratia dei sempiterni monacho monasterii vocabulo sancto sepulcro (2) quas tu a

(1) Cum Petrus quidam abbas SS. Salvatoris in insula maris, impp. Basilio et Constantino, scil. sub finem saec. X advixerit, uti alias notavi, Petrum juniorem ejusdem monasterii abbatem etiam imperante Basilio initio saeculi sequentis vixisse dicendum est. Tunc vero ind. I mense decembri bis occurrit, scil. an. 1002, et 1017. At hoc anno Ioannes abbas habetur (Cf. *Regesta Neap.* n. 259) et Sergius IV solus consul et dux. Petrus igitur ad an. 1002 amandandus est, quando Iohannes et Sergius in ducatu Neapolitano imperium obtinebant. (V. t. I, p. 129).

(2) Ex *Catasto* elicimus monasterium hoc, cuius fundationem in isto documento invenimus, deinde a

nova fundatione costruxisti et fecisti, videlicet omni integra vestra hereditate seu substantias de intus et foris, hoc est domos et casalibus seu terris sationabilibus quamque ortuas vel mobilibus rebus immobilibus seseque moventibus, omnibusque eius pertinentibus; quamque concedimus et firmamus vobis et in suprascripto sancto vestro monasterio et omnem vestrum paratum conquesitum et accactatum sive que modo habetis vel que a modo et in antea parare, et conquirere seu accactare potueritis. Quod istrumentum factum est in tempore imperatoris Constantini in die V[a] mensis septembris indictionis vero IIII.[a] Et est signatum tali signo. CCLXXIII. — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 273.

13. — *Sergius consul et dux Ioanni abbati monasterii SS. Salvatoris in insula maris quaedam loca versus mare in urbe Neapolis concedit.* Anno 1044 (1).

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Sergius Consul et dux atque magister militum postularis *ut* (2) vobis videlicet domino Iohanni abbati dicti monasterii concederemus (3) positis foris istius urbis hoc est a fine ecclesie beatissimi Archangeli, qui est subtus murus predicte nostre civitatis; dein qualiter descendit ad illa via publica in parte meridie, usque ad illum fossarium, qui est in caput de ipsa via et vadit per aquarium, qui est in illo arenario per quem decurrebat aquam ex ipso fusario usque ad litus maris, et abinde qualiter vadit usque ad illum Moricinum, qui dicitur pizzulum iuris ipsius vestri monasterii ab antecessoribus nostris concessum et in eodem vestro monasterio et ab ipso Moricino pizzulo vestro qualiter vadit ab ipsa occidentali parte usque ad illam turrem

monachis ad ascetrias transiisse. Ibi enim breviata habentur « instrumenta duo, videlicet unum notariscum et alterum curialiscum ordinationum continentia, quomodo monasterium S. Sepulchri est nostri monasterii S. Petri ad Castellum, quod ipsum monasterium Sancti Sepulchri habet ipsas servitus: quod non possunt eligere abbatissam absque conscientia dicti nostri monasterii; adhuc tenentur dare dicto nostro monasterio S. Petri in perpetuum redditum iure servitutis anni cuiuslibet, id est oblatae paria duo videlicet in festo nativitatis domini nostri Iesu Christi oblatae parium unum et in festo pascalis resurrectionis dominicae oblatae parium unum, adducte usque intus in nostro monasterio absque dilatione et deminutione quacumque. Quod instrumentum factum est in tempore Alexii magni imperatoris in die nona mensis septembris XII indictionis neapoli. Et predictum instrumentum notariscum factum est in anno domini MCCXXXII in die XVIIII augusti V indictionis et sunt siguata hoc signo LXXVIII ». — Monasterium olim exstabat in platea Media de contrata Portus, iuxta hortum ecclesiae S. Iohannis maioris, hortum d. Petri Franci et ecclesiam S. Iohannis praedicti et iuxta curtem et ecclesiam S. Bartholomaei de Neapoli, ut ex instr. anni 1329 in *Notam. instr. S. Sebast.* n. 676. Alibi dicitur situm *in strictula S. Bartholomaei* in viculo, quod ab eodem monasterio nomen accipiebat. Ibid. n. 677. Vicus etiam nunc *Strettola* vocatur. De monasterio autem S. Sepulchri post an. 1458 notitiam amplius non invenio.

(1) Huius diplomatis summarium edidit iam olim Tutinius (*Seggi di Nap.* p. 8) adnotans annum quartum Constantini et ind. XII; quae notae, si recte sunt appositae, annum ae. v. 1044 denotare possunt. In *Catasto* praeter nomen Constantini nil aliud adscriptum est.

(2) In cod. Ms. heic male legitur: *postulavi vobis,* omissa particula *ut.*

(3) Breviator omisit forsitan vocem: *loca* vel aliquid simile.

quae dicitur de Angula, deinde qualiter revolvit in parte septentrionis per pedem de illo muro in ipsa orientali parte usque ad illam obedientiam ipsius vestri monasterii, et a fine de ipsa vestra obedientia ipsius vestri monasterii quomodo vadit in ipsa septentrionali parte usque priorem finis, in qua est ipsa ecclesia beatissimi Archangeli, ut intus ipsa finis nullatenus presumat quavis persona parva vel magna quolibet edificium facere vel habere, sive apothecam ibidem faciendi et habendi at pro qualecumque negocium ibidem peragendi per nullum modum. Quod instrumentum factum est in tempore imperatoris Constantini: et est signatum hoc signo CCCCLXII.— *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 462.

14. — *Iohannes consul et dux concedit Ioanni abbati monasterii SS. Salvatoris in insula maris tritici modia 100 annuatim persolvenda et facultatem aedificandi in loco Calcariae in urbe Neapolis.* Anno 1098 vel 1113.

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Iohannes in dei nomine eminentissimus consul et dux atque magister militum imperialis Prothosebaston permutavit cum domino Iohanne viro laudabili ac venerabili medico et abbate dicti monasterii et a cuncto conventu dicti monasterii illa centum modia de tritico bono sicco parato tracto mensurato ad modium iustum de comedere, quae vos et antecessores vestri et suprascripto vestro monasterio nobis et prescripto genitori nostro et a quidam domino Sergio consule et duce, atque magistro militum prothio nostro pro omni anno in censu soliti estis ad nostram potestatem faciendi quae volueritis et insuper et nos promittimus et refirmamus vobis ut nullatenus praesumimus nos vel heredes nostri vel aliqua quavis personas neque habeamus licentiam aliquando tempore vos et posteri vestri nec ipso sancto monasterio vestro ex ipsa centum modia de tritico, que nos vobis pro ipsa convenientia relaxamus querere nec molestare per nullum modum in perpetuum. Iterum nos de nostro proprio dedimus in presenti aureos solidos centum de tarenis aureis quatuor per solidum novum de Amalfia computatos et apud vos habetis ad vestram potestatem pro aptandum, et conciandum domibus pertinentes ipsius vestri monasterii, quae inchoata habetis ad edificandam positam vero intus hanc civitatem neapolis non longe ab ecclesia sancti Severini iuris ipsius vestri monasterii quae est in regione Calcariae (1). Receperunt a bice a dicto monasterio fundicum unum, qui est ex parte edi-

(1) Ut huius regionis situs et aspectus magis declaretur ex eodem *Catasto* hoc documentum breviatum referre lubet: « Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Petrus cognomento Magistri Maioni et Isa eius uxor offeruit dicto monasterio integram superiorem domum nostram, que sunt due superiore, una super aliam costructa, qualiter saliunt usque ad solarium et aierum suum desuper se, et ipse due superiore sunt constitutae super porticum publicum, ubi est tectum *(toccum)* de calcaria eadem regione calcariae et alium ex parte de ipsis superioribus sunt constitutae super ipsum porticum qui est iuxta ipsum tectum *(toccum)* parte meridie. Iterum offerimus dicto monasterio integre due inferiore apothece una iuxta aliam unam ad lamiam, et alia ad tra-

ficatum et ex parte inchoatum ad fabricandum et ex parte distructum, positum vero foris urbis istius civitatis neapolis in Moricino et est iuxta maris. Salvo et reservato ipso monasterio integram ecclesiam vocabulo sancte et individue Trinitatis (1) quae est intus ipsum fundicum cum codicibus et ornamentis et cum suprascripta fundora et terras ipsae ecclesie pertinente et cum introitu de suprascripta ecclesia que de vestra, et de ipso vestro monasterio reservastis potestatem. Quod istrumentum factum est in tempore imperatoris Alexii in die IIII mensis septembris indictione VII. Neapoli. Et est signatum hoc signo CCLVIIII. — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 259.

15. — *Ioannes abbas monasterii SS. Salvatoris concedit d. Ioanni consuli et duci et magistro militum ac imperiali Protosebasto fundum in loco Moricini in urbe Neapolis.* Anno 1100.

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo Iohannes humilis abbas et praeclarissimus medicus et abbas dicti monasterii dedit et concessit Iohanni in dei nomine consuli et duci et magistro militum imperialis Prothosebaston integrum fundum pertinentem dicto monasterio positum vero intus murum civitatis neapolis in loco Moricino cum integro putheo aquevive intus, et cum integra terra vacua quae dicitur Curtae et cum integra portione que ingredit et cum alia terra vacua et cum introitu, quod ibidem ingredit, que est iuxta a parte orientis cum domo Iohannis Comite et de illo Beneventano et orreum de illo azzapazza vel de alii qui ibidem sunt sicut inter se sepis et terminis exfinat, et a parte occidentis qualiter revolvit in septentrionis sunt terrae et murus ipsius civitatis neapolis et a

bem, simul vestre sicuti inter una et alia parieti exfinat, ubi sunt due petie de regia, quae ingredit ad ipsa curte ipsius apothece, simul posite vero intus hanc civitatem neapolis, iuxta et supra porticum ubi est ipse tectus *(toccus)* de Calcaria eadem regione Calcariae una cum aieribus et aspectibus suis, et ipse due apothece et cum aieribus et aspectibus suis et cum locora sua negotiandi et omnibus sibi pertinentibus, que prima domus hos habet fines, a parte orientis sunt aierae super ipsa curte et a parte occidentis est domus quae fuit de illa Cocola, modo sunt de Canonica Amalfiae, et a parte occidentis est superiora ad lamiam sicut inter se parieti exfinat, et a parte meridie sunt asseres super platea publica in capite ipsius tecti, *(tocci)* seu est illa porta, quae exit ad mare et ipse inferiore apothece hos habet fines a parte orientis sunt apothece et curtis ubi est putheus quam tenet Palmerius sicuti inter se parieti exfinat, et a parte occidentis est porticus ipse de inferius ubi est ipse tectus *(toccus)* calcariae sicuti parieti exfinat et a parte septentrionis sunt ipsa locora negotiandi, et in ipsa parte septentrionis est plathea publica et a parte meridiei est murus antiquus ubi est ipsa porta calcariae quae exit ad mare et alium murum antiquum dicti monasterii, et a foris ipso muro antiquo est plagia maris, et a parte occidentis est ipsa domus de ipso Cocculo, quae modo est de ipsa Canonica de Amalfi quae nulla aperturia inter unam et aliam esse debet in ipsa domo. Quod instrumentum factum est in anno domini MCCLVIIII in tempore Regis Caroli et est signatum hoc signo CCCCLXIII — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 463.

(1) Haec ecclesia olim exstabat in vico Scalensium in Moricino. Tutini ap. Mazzocchi, *De Ss. Neap. eccl. episcoporum cultu* p. 327. Anno 1596 ab eodem monasterio Ss. Petri et Sebastiani in emphytheusim concessa fuit, ut ex *Plata* eiusdem in v. aelicio.

parte meridiei est iterum illa terra et murus vestrae civitatis et a parte meridiei est suprascripta pars de regiae, quae simul superius vobis dedimus sicut inter se terminis exfinat et alios confines imperpetuum ad habendum tenendum et possidendum, salvo tamen quod dictus Iohannes consul et dux et sui haeredes tenentur reddere in festivitate sancti Petri de iunio mense sextaria duo de oleo adducta usque in dicto monasterio. Quod instrumentum factum est in tempore imperatoris Oddonis (1) et est signatum hoc signo. CCXXXXVIIII. — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 249.

16. — *Sergius consul et dux d. Maginolfo abbati monasterii SS. Salvatoris praedia quaedam concedit.* Anno 1118-1137.

Instrumentum unum curialiscum scriptum continens quomodo nos Sergius in dei nomine eminentissimus Consul et dux atque magister militum filius quondam Iohannis gloriosissimi Consulis et ducis, atque magistri militum et imperialis Prothosebaston et quondam Eva bona? femina gloriosissima ducissa, quae fuit filia quondam domini Alphederii Belli ducis civitatis Gaiete iugalium personarum propter quod vos dominus Maginolfus venerabilis abbas monasterii Ss. Salvatoris de insula maris per convenientiam in presenti nobis dedistis et tradidistis idest integrum campum de terra pertinentem dicto monasterio positum in loco qui nominatur Fastegnano (2) quod est foris gripta cum arboribus et fructoras suas et cum palmento et usitorio et fabricis intus se costitutis et est iuxta ab una parte orientis via publica et a parte septentrionis est . . . . et a parte meridiei est . . . . dedimus a vobis suprascripto domino Maginulfo abbati dicti monasterii et conventui idest integrum balneum, quod nos noviter edificare fecimus intus terra vacua, que de antea domus edificata fuit pertinente predicto vestro monasterio positum vero intus hanc civitatem Neapolis intus portum et porticum ipsius monasterii. Iterum et per eandem convenientiam et per hanc chartulam dedimus et tradimus vobis suprascripto domino Maginulfo abbati dicti monasterii et cuncto conventui idest integrum fundum vestrum, quod fuit quondam domini Petri qui nominatur de Griffo (3), positum vero foris juris vestre urbis non longe illo moricino pizzolo parte occidentis. Iterum per ipsam convenientiam et per hanc chartulam dedimus et tradimus vobis et dicto monasterio idest integras omnes domos fundoras et terras que vobis obveniunt et pertinent et obvenire et pertinere debent aut pertinentes fuerint per quovismodo ad quidam Pandulfo qui nominatur Spadaro filius quondam Ursi Spadari, qui ipse Landulfus donatum habet per chartulam donationis; quamque

(1) Breviator, ut et Tutinius, qui l. c. diploma hoc cum ind. XII (1209) indicat, notas chronologicas, quae in exemplo, imperante Othone in urbe Neapoli, facto invenit, in summario descripsit; antiquiores vero in autographo exstantes omisit.

(2) Alibi: *Fastinianum* vel *Festignanum* ut in instrum. a. 1252, et 1642 in *Notam. instr. S. Sebast.* n. 845 et 839.

(3) Heic in cod. Ms. nescio quo paeto, interpoletur: *illud operavimus.*

damus et tradimus vobis et ipso vestro monasterio per hanc chartulam in presentis idest integra superiora domus vestre, que fuit de Cesario Gualazelo servienti vestro, que ipse Cesarius Gualazeus datam habet per chartulam , que est costituta super inferiora de hereditate quondam Cesarii Gualazzuli qui fuit cio tuo; hoc est qualiter salit usque ad tectum positum vero intus hanc civitatem neapolis intus transenda regione termense seu et integra petia de terra, que iterum vobis datum habet per ipsam chartulam suprascripto Cesario posita vero in sancto Petro ad Paternum cum arboribus et fructoras suas; et ipsum balneum una cum ipso spoliatorio et tepidarium et fornace et cum putheo aque vive quod ibidem facere fecimus cum introitu et anditu et omnibus rebus earum et omnibus sibi pertinentibus. Iterum apud vos remissimus ipsa chartula que tibi fecit predictus Landulfus Spadarus et cum ipsa chartula nova que vobis fecit predictus Cesarius Gualazzino et ipse fundus quod superius vobis reddidimus ut supra legitur a parte septentrionis sunt apothecae et superiora ipsius monasterii , a parte occidentis est ipse moricino pizzolo et a parte meridiei est plagia maris et est ipsum balneum quod superius vobis reddimus ut supra legitur a parte orientis inferius et superius est domus quondam Stephani qui nominatur pediontio sicuti inter se parieti exfinat et a parte meridiei est domus ipsius monasterii sicuti inter se parieti exfinat ubi sunt aperturie et suprascripta portio de suprascripto casale a parte occidentis est domus quondam Iohannis Barbarasi sicuti parieti exfinat, a parte orientis est domus heredum quondam Anna cia sua sicuti parieti exfinat, et a parte occidentis sunt aheres et sunt gradis de ipsa domo, et a parte septentrionis est domus Petri qui nominatur de Sergio famulo vestro et a parte meridiei sunt aheres comunales et ipsa petia de terra, quae superius vobis dedimus et tradimus ab una parte est terra ecclesie sancti Andreae sicuti in se terminis exfinat, a parte secunda est terra sancte Marie de Anglono et terra sancti Petri et terra Landulfi Carazzuli et via publica et alios confines. Quod istrumentum factum est in tempore imperatoris Iohannis et est signatum hoc signo CCLXXXXV. — *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 295.

17. — *Sergius consul et dux concedit plures res et servos d. Ioanni abati monasterii Ss. Severini et Sossii.* Anno 1130.

Instrumentum unum de littera longobardorum continens quomodo nos Sergius in dei nomine offerui et tradidi seu confirmamus vobis dopno Iohanne ven. abbati monasteri sanctorum Severini et Soxii ubi eorum venerabilia quiescunt corpora idest integrum casale vestrum de terra iuris propria dicti monasterii positum vero in loco montis ganguli quod est in caput de cliu, una cum arboribus et fructuras suas et cum intersicas suas que ibidem sunt coniuncta et cum integra piscina frabita et cum integrum palmentu frabitu et susceptorium suum intus se et cum etc. Coherente sibi a parte orientis introytas seu anditas suas seu viis earum et cum omnibus que

eius generaliter et in integro pertinentibus et cum omnibus intus se habentibus et possidentibus et terra de Iohanne Cacapice qui nominatur de Arbustulu et terra de illi Gaytani et terra de Adelmari de Galiardo et de aliis hominibus qui ibidem affine sunt ut inter se sepis exfinat, et a parte occidentis est via sicuti inter se sepis et egripus exfinat, et a parte septentrionis est iterum via compegnaria sicuti inter se sepis exfinat et a foris ipsa via est terra de illo moccula et de Stephano Ianaro et a parte meridie est terra de illi Carazzuli berdesca, quomodo inter se sepis exfinat; seu concedimus et damus seu tradidimus et firmamus vobis et in ipso sancto vestro monasterio idest integra petia de terra iuris propria dicti monasterii posita vero in loco baczillanum una cum arboribus et fructuras suas et cum porcione de piscina frabita et de palmentu et susceptorium ibi in ipsis: coherente sibi de uno latere parte orientis est terra de illi Armagaudium ut inter se sepis exfinat et de alio latere parte occidentis est via publica sicuti inter se suprascripta sepis exfinat et de uno capite parte septentrionis iterum via publica que vadit a chiuliburanum et de alio capite parte meridiei est terra monasterii sancte Marie que nominatur ad Anglonum. Iterum concedimus et damus in ipso vestro monasterio idest integra petia de terra que dicitur fundu positus vero in suprascripto loco qui nominatur bachillanum cum integra medietate de integra piscina que fuit de illu protanotaro situm in suprascripto loco coherente sibi de uno capite via publica ubi est illu arcu et de alio capite est via carraria et de uno latere est terra ecclesie sancte Euplassie (*sic*) et de alio est latere terra Similiter concedimus et damus vobis et in ipso sancto vestro monasterio idest integra petia de terra suprascripti vestri monasteri posita in suprascripto loco Bacchillanum et dicitur ad barbatellum una cum arboribus et fructoras suas et cum integro palmento et subsceptorium suum intus se, coherente sibi de uno latere parte orientis cum terra ecclesia sanctorum omnium Apostolorum et de aliis qui ibidem affines sunt, et de alio latere cum terra d. Iohannis Mischini, de uno capite cum via carraria et de alio capite est terra de illi Caccucculi et de illi Aldemarisci; nec non concedimus vobis et in ipso sancto vestro monasterio positum in suprascripto loco Bachillanun coherente sibi de uno latere cum terra ecclesia sancte Marie ad Liburno et de alio latere terra de illi et terra de illi Guindaci et terra de ecclesia sancti Ianuarii qui nominatur de illi Castaldi et terra sancti Iohannis Catholice maioris et de uno capite iterum terra de suprascripta ecclesia sancte Marie ad liburno, de alio capite via publica. Quamque concedimus vobis et in ipso sancto vestro monasterio integra petia de terra posita vero ibi ipsum et nominatur at casale de caput de cliu, qui coheret sibi de uno capite terra de illu pectalu et de alio capite terra de petro Cacapice de Bernardo et de uno capite terra ecclesie sancti Andreae de regione nido et de alio latere terra de illi buccapiccola. Similiter concedimus vobis et in ipso sancto vestro monasterio integra petia de terra vestra propria de ipso vestro monasterio posita vero in suprascripto loco caput de cliu, coherente sibi a parte orientis est corrigia de terra suprascripti vestri sancti monasterii et a parte occidentis est terra de Iohanne Pantaleone et a parte meridiei est via

publica et a parte septentrionis est terra Nec non concedimus vobis et in sancto vestro monasterio idest suprascripta corrigia de suprascripta terra de suprascripto sancto vestro monasterio sita ibi ipsum in suprascripto loco caput de chiu, coherente sibi de uno latere a parte orientis est terra de illi de Cimina et a parte occidentis est de alio latere terra de illi birnugla et terra de ipso pectalaro seu et suprascripta pecia de terra suprascripti vestri monasterii et de uno capite parte meridiei via, de alio capite parte septentrionis terra de Landolfo Caraczulo. Iterum concedimus vobis integram petiam de terra suprascripti vestri monasterii sita ibi ipsum caput de chiu, coherente sibi a parte orientis terra de illi pantaleone et terra de illi de Cimina et a parte occidentis via publica et a parte meridiei est terra de illi Romani et a parte septentrionis est terra de ipsi Pantaleoni. In simul suprascripti nominatibis omnis fundoras et terras quas superius vobis concessimus cum omnibus eis pertinentibus et cum omne censoras et regulis seu responsatichas atque angarias seu serbicias cum omne seu collectas quas exinde exierint per quovis modum sive pro parte de foras aut de ipsa nostra civitate, et cum integrum aliud omnia que inde soliti fuerunt tollere vel abere per quolibet modum illi normanni. Iterum et cum alias omne publicum alias et dacciones seu collecta vel qualiscumque causa exinde in nostro iure publici pertinuit aut pertinet que insimul siat a nobis vobis vestrisque posteris et in ipso vestro monasterio concessum et datum seu firmatum ad avendum et possidendum illud in ipso sancto vestro monasterio idest usque in sempiternum absque omni contrarietate nostras vel de posteris nostris et de ordinatis et de aliis quavis personas. Iterum concedimus et damus seu tradimus et firmamus vobis et in ipso sancto vestro monasterio idest inclita casa de Iohanne Surrentino homine suprascripti vestri monasterii filio q . . . et inclita casa de Iohanne qui nominatur cicalgluso homine supradicti vestri monasterii et inclita persona de Iohanne de Sillicca homine suprascripti vestri monasterii filio q et inclita casa de Iohanne qui nominatur buccino homine supradicti vestri monasterii filio q quos simul in ipso vestro monasterio illos offeruit dopno petro monaco de supradicto vestro monasterio qui nominatur Caraczulo per firmissimam chartulam offertionis quam apud vos habetis, et inclita casa de Anitto? defiso de supradicto vestro monasterio filio q et inclita casa de Iohanne sartore qui nominatur longo qui super nomen Conte filii quondam Iohanni qui nominabatur longo defiso supradicti vestri monasterii. Et inclita persona de Stefano paulino homine de ipso vestro monasterio et inclita casa de Iohanne qui nominatur Rocci uterino germano de dopno Ranculo defisi de ipso monasterio et inclita casa de benedicto qui nominatur paolino homine supradicti vestri monasterii filio quondam et inclita casa de Iohanne sartore qui nominatur Caputo defiso supradicti vestri monasterii et inclita casa de Iohanne qui nominatur malglulo et de mauro malglulo uterinis germanis de uno genitore et de singulas genitrices hominibus de suprascripto vestro monasterio, filiis quondam dopno Iohannes Malglula homine de suprascripto vestro monasterio filio quondam

abitatoribus de suprascripto loco qui nominatur galdellu in fundore monasterii supradicti et inclita casa de stephano malglulo et de Iohanne uterinis germanis hominibus de suprascripto vestro monasterio filiis suliani qui nominatur malglula de suprascripto vestro monasterio et inclita persona de cesareo malglula homine de ipso vestro monasterio filio quondam abitatoribus de suprascripto loco galdellu. Et inclita casa de Iohanne negociante qui nominatur cinnarello qui nominatur Cacace hospiti suprascripti vestri monasterii filio de dopno Iohanne cinnarello qui iterum Cacace vocabat. Et inclita casa de Martino fruczo homine suprascripti vestri monasterii abitatore de loco qui nominatur Calbeczanum. Et inclita casa de Iohanne qui nominatur Campanino defiso suprascripti vestri monasterii filio quondam . Et inclita casa de Iohanne Marinario qui nominatur defiso suprascripti vestri monasterii filio quondam et inclita persona de Iohanne Santise homine dicti monasterii. Et inclita persona de Guillelmu de Tristano homine suprascripti vestri monasterii abitatore in loco qui nominatur Coliana. Et inclita casa de petro nucerino homine dicti monasterii abitatore ad illa obediencia vestra de ipso loco terziu. Et inclita casa de Iohanne de Bassi homine de ipso vestro monasterio filio quondam Bassi abitatoribus in loco qui nominatur marillianum et inclita casa de cesario de Bassi homine de ipso monasterio. Et integra casa de Iohanne Curtise de Riccardo et guilielmo et petro clerico qui nominatur Curtise defisis suprascripti vestri monasterii uterinis germanis filiis de guilielmo Curtise defiso suprascripti vestri monasterii. Et inclita casa de Iohanne qui nominatur de Heufimia et de Scanile genitore et filio hominibus de ipso vestro monasterio filio et nepote quondam petri de Heufimia homine ipsius monasterii. Et inclita casa de Iohanne qui nominatur Cacace et de paulo et gregorio Cacace genitori et filiis hospitibus suprascripti vestri monasterii filio et nepotes quondam dominici qui nominatur Cacace hospite de suprascripto vestro monasterio abitatoribus de loco qui nominatur Calbeczanum. Et inclita casa de Iohanne presbitero hospite suprascripti vestri monasterii filio supradicti dominici cacaci hospitis dicti monasterii. Et inclita casa de Donato Cacace et de Bernardo et Scambello seu Iohanne hospite de ipso monasterio filii et nepotis quondam hospitis de ipso vestro monasterio et inclita casa de Sassa Cacace et Iacobo genitore et filio hospitibus de ipso vestro monasterio, et inclita casa de Scanile Cacace hospitis supradicti vestri monasterii, filio quondam hospitis dicti monasterii. Et inclita casa de Calbeczanum Cacace hospite dicti monasterii et inclita casa de Iohanne qui nominatur de illa marta hospite suprascripti vestri monasterii, filio quondam Et inclita casa de milillo cacace hospite dicti monasterii. Et inclita casa de scanile Cacace de martino Cacace et de Petro uterinis germanis hospitibus supradicti vestri monasterii insimul habitatoribus de loco qui nominatur Calbeczanum. Insimul et inclite case Iohannis qui nominatur scarola et dominico uterinis germanis hospitibus de suprascripto vestro monasterio filiis quondam Petri Scarola hospitis suprascripti vestri monasterii et

inclita casa de Petro et Stefano uterinis germanis hominibus de suprascripto vestro monasterio habitatoribus de loco qui nominatur ottaianum. Et inclite case filiis quondam dominici tessitore homine supradicti vestri monasterii. Insimul cum omnibus hominibus et hospitibus seu defisis. de suprascripto vestro monasterio una cum uxoribus et filiis filiabus atque nepotibus illorum eorumque heredum et cum omnem illorum hereditates seu substantias de intus et foris hoc est domos et hortuas seu fundoras et terris quamque movile rebus mobilium et immobilium seseque moventibus omnibusque adpertinentibus vel pertinentes fuerint per quolibet modum et cum omnibus aiacentibus et pertinentibus eius, et cum omne illorum censoras et regulis seu responsaticas et salutes atque angariis et serbicias et caballicationibus et daciones seu collectas quas ipsis dare et facere debent per quemlibet modum. Que insimul sit a nobis vobis vestrisque posteris concessum et datum seu firmatum et locatum ad vendendum et possidendum usque in sempiternum et plura alia et est signatum hoc signo. — *Indice delle pergamene del monasterio di S. Severino* p. CLXX, n. 1491 (1).

C. Documenta interpolata et supposititia.

1. — *Marinus dux concedit sive confirmat monasterio S. Vincentii ad Vulturnum ecclesiam S. Vincentii in regione furcillense civ. Neapolis et cellam S. Sossii in Liburia* (2).

(Ex *Chronici Vulturn.* cod. Barberiniano f. 201-202b)

Preceptum de sancto vincencio in neapolim et de sancto sossio.

In nomine domini dei salvatoris ihesu christi. Imperante domino constantino magno imperatore anno XXX° nono sed et romano magno imperatore anno XX°V die prima mensis februarii indictione VI neapoli. Nos marinus in dei nomine eminentissimus consul et dux. quia desideramus et cupimus multis modis deo omnipotenti placere. Iccirco concessimus et largimus vobis paulo venerabili abbati monasterii sancti vincentii. situs in samnie partibus super fontem vulturni fluminis.

(1) In diplomatis initio ad libri marginem exteriorem scriptum fuit manu coaeva: Revisum, et pluribus in locis textus eiusdem lituris ac emendationibus correctus, nec non verborum ac periodorum supplementis ad marginem etiam auctus.

(2) Diploma hoc, quod olim neque falsitatis insimulare neque in suspicionem vocare ausus sum et inter alia documenta huius aevi in *Regestis Neapolitanis*, uti omnino genuinum, adnotavi, nunc iterum, rem accuratius perpendendo, interpolatum iudico. Notae enim chronologicae impp. Byzantinorum diplomati appositae atque Marini ducis Neapolis et Pauli abbatis Vulturnensis in eo intercessio satis superque inter se pugnant, nec aliquo modo conciliari possunt. Et quidem anno 948 aerae vulgaris, cui notae ipsae respondent, neque Romanus Lecapenus in vivis agebat, cum die 19 m. decembris an. 944 iam obierit; neque Marinus Neapolis dux erat, cum Ioannes pater eius usque ad an. 969 ducatum rexerit, neque demum Paulus abbas re-

pro compunctione et amore dei et patrocinio ipsius monasterii ut nobis posterisque nostris nostreque civitatis et subiectis omnibus salus et virtus perficiatur. Idest inprimis vobis concedimus et ad firma stabilitate permanendum confirmamus vobis paulo reverentissimo abbati. cellam sancti vincencii que est propria suprascripti vestri monasterii sita in hac parthenope et a deo protecta civitate nostra in platea que vocatur furcillense. vico qui vocatur placidu. cum domos et orta et cum omni eius pertinencia. ut a nullis exactoribus nostris. idest. loci servatoribus. tribunis. vicariis. vel quipiam ex creditoribus de cuiuscumque condicionibus fuerit. sive de sacerdotalibus aut seculari ordine vel a quibuscumque agentibus in eadem cella eiusque pertinenciis per quacumque causa (a) vel re pignera (b) facere presumat. vel aliquam causam exinde tollere aut contrare licenciam habeant. per qualicumque modum vel tenorem eciam domum (c) sive clericum. aut sacerdotem vel monachum quem vos aut posteris vestris ibidem in ipsa cella ordinaveritis a nullis de nostris subiectis et pertinenciis de quibuscumque ordinibus non habeat licenciam per qualemcumque modum aut hominem vel peculium eius in qualecumque racione in angaria minare (d) aut occupare. Concessimus et largimus vobis et in suprascripto sancto vestro monasterio. integra cella sancti sossii sita in liburias loco pantano cum integro ipso gualdo in quo ipsa ecclesia edificata est sicut per coherencias et fines eam segregamus. et in una parte mensuram ponimus. Ab una denique parte via que dicitur vicana. habente exinde passos numero mille quadringentos XV. de secunda namque terra que dicitur campu de cupuli. et sicut perexit in via que venit da ignanu per ipsum gualdum. et vadit ad ipsam piscinam et revolvit super ipsam piscinam et vadit per ipsum pantanum vestri monasterii. ad ipsum frigidum (e) maiorem et decernit via ipsa inter hec terra que dicitur gualdu et terra de tortora que commune est inter pars nostre milicie et pars vestri monasterii. de tercia vero parte ipsum pantanum. de quarta autem parte via que dicitur ducenta sicut incipit de ipsum pantanum et vadit addirectum per terram unde aliquando via perexit. circa terram quam deti-

(a) *In exemplo Muratoriano deest:* per quacumque causa.

(b) *Male in cod. Barb. et in editis:* vel repignerare.

(c) *Ita in cod. et in editis; at legendum est, si recte video,* dominum, *scil. abbatem.* Cf. DUCANGE, *Glossarium* in v.

(d) *Male in edit. Muratoriana:* molestare.

(e) *Fortasse:* Frignanum majorem, *ut in aliis documentis.*

gimen monasterii S. Vincentii ad Vulturnum habebat, cum non ante an. 958 Leoni abbati successerit.

At contra nihil est in diplomatis reliquo, quod falsitatem sapiat. Omnia enim, quae ibi leguntur, aut eadem sunt, quae in alio diplomate anni 944 iisdem pene verbis expressa continentur, aut, si diversa sunt, nihil a moribus vel ab indole illorum temporum alienum exhibent, unde suspicio ex hac parte oriri possit.

Mihi igitur satis verisimile videtur Ioannem monachum qui, saeculo XII exeunte, *Chronicon Vulturnense* composuit, privilegium hoc ex aliquo antiquiore monasterii *chartulario*, in quo ipsum absque notis chronologicis transcriptum fuerat, hausisse, et in eo notas, quae sibi videbantur eidem congruere, ex ingenio apposuisse. Forsitan diploma a Marino II duce inter an. 969 et 977 Paulo, qui tunc revera monasterii Vulturnensis abbas erat, datum fuit, ac propterea vel interpolatum, vel saltem aetatis incertae habendum est.

nent homines de bacopuli (a) et coniungit cum predicta via vicana. ubi ipsam misuram posuimus. Ita ut integrum eundem gualdum cum iamdicta cella vestra sancti sossii et omnibus pertinenciis earum a nobis vobis posterisque vestris sit concessum et traditum faciendum quod volueritis absque omni cuiuslibet de nostris pertinentibus et potestatibus contrarietatem vel requisicionem. Insuper concessimus et largimus et statuentes firmamus ut nullus neapolitanus vel qualiscumque homo sub iure ducatus nostri qui sunt vel fuerint in suprascripta cella vestra sancti sossii aut in iamdictu gualdu vel in omni eius pertinencia ad pignerandum introire licenciam habeant per quacumque causacionem habuerit. cum qualicumque homine. a partibus longobardorum per nullum tenorem. aut ingenium. preter si causacionem habuerit cum ipso sancto vestro monasterio. et voluerit pars vestri monasterii cum illo fines facere post duas aut tercias compellaciones. Iterum concedimus vobis et per vos in supra scripto sancto vestro monasterio confirmamus omni bicem et pertinenciam quam iure parti vestre habuit vel habiturus fuerit per partibus milicie sue. per fundora fundata et exfundata vivorum et mortuorum. aut pro alia qualiscumque racione vel tenore in ipsa cella vestra et iamdictum valdum et in homnem eis pertinenciam. Iterum concedimus et confirmamus vobis ut nullus vice dominus aut exactoribus nostris laborantes proprios de ipso valdo aut de ipsa silva et pantano tollere presumat aut in angarias aut in quolibet alio servicio minare. aut facere amodo et in perpetuis temporibus a servis et ancillis vestri monasterii pertinentes. vel a collecticiis qui ibidem habitaverint. nullas angarias aut subiectiones in iure puplico ducatu nostro faciant per nullum modum. Concessimus et largimus vobis posterisque vestris et licere tribuimus. ut omni tempore liceat monachis vestri monasterii servos et ancillas aldiones aut quoslibet pertinentes fuga lapsi suprascripti monasterii in nostra civitate neapoli aut in quolibet cappellis (*castellis*) nobis subiectis invenerit per se aut per missos suos comprehendere. et in suo servicio reducere eos absque nostra posterisque nostris et de cunctis nostris subiectis contrarietatem vel anteposicionem. Iterum concedimus et confirmamus vobis ut nullus homo a partibus nostris presumat in suprascripto pantano et silva iamdicti vestri monasterii introire aut et lignum exinde in cide (*sic*) (*incidere*) vel frascas vel perticas. aut animalia ibidem pascere absque absolucionem et voluntatem prepositi ipsius celle. et vice domini eius. quod si contra hanc concessionis nostre institutione quoquomodo agere vel venire temptaverit nostrumque decretum ex hoc violare presumpserit componere facimus et obligamus ad prepositum ipsius celle et ad pars vestri monasterii pene nomine auri libras centum. et hec nostrà concessio largitatis ut superius legitur sit firma in perpetuum. Et sic statuimus et firmamus ut ulterius nullus audeat de his que a nobis collata sunt vobis posterisque vestris vel suprascripti sancti vestri monasterii et celle quacumque requisicionem aut amaricacionem facere. Et nec nos nec posteris nostri qui post nos in nostro honore locoque duces accesserint per nullum modum. Sed sicut superius

(a) *Sic in cod. et in editis, at legendum est:* de loco puli.

legitur et nos pro amore et patrocinio sancti vestri monasterii beati vincencii ordinavimus et constituimus sic perhennis ac perpetuis temporibus firmum et probum permaneat ubicumque inventum ac relectum fuerit apud omnibus iudicibus seu potestatibus. Quam concessionem sicut superius legitur a nobis factam Andreas primarius et scriniarius scribere precepimus in qua et nos subter pro eis (*sic*) firmitate manus nostras proprias subscripsimus die et indictione suprascripta feliciter.

2. — *Sergius consul et dux pro vice sua et pro vice Ioannis filii sui concedit Basilio de Ianaro, rectori ecclesiae s. Ianuarii, quae dicitur Spoliamorti petiam de terra in loco ad Crispanum pro decenti servitio eiusdem ecclesiae.* (1)

(Ex Falcone, *Vita di S. Gennaro*, p. 491).

In nomine domini Salvatoris nostri Iesu Christi: Imperante domino nostro Alexio Magno imperatore a. 4, die 5 mensis madii. Indict. VIII. Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine Eminentissimus Consul et Dux atque domini gratia Magister militum et Imperialis Protosevasto: nos autem pro vice nostra; et pro vice Iohannis ducis

(1) Hoc diploma, de quo etiam minime olim dubitaveram, nunc omnino suppositicium iudico. Nam etsi notae chronologicae eidem appositae recte sese habeant et cum Sergii V ducis aetate non inepte concordari possint, tamen plura in eo sunt, quae, diligentius ad trutinam revocata, falsitatem produnt. Et primo codicis Ms. notitia, ex quo Nicolaus Carminius Falcone documentum se exscripsisse asserit, aut errata est aut falsa. Codices enim in bibliotheca Brancatiana adservati numeris romanis, litteris, et numeris arabicis signati sunt tum in veteri tum in novo Manuscriptorum catalogo. Falconius vero duos tantum numeros arabicos (4 et 16) indicat, littera omissa. Ex solo igitur n. 4, qui forte romanus esse debuerat, ego neque codicem Miscellaneum Tutinii, neque diploma Sergii ducis anni 1085 (quod ceteroquin Tutinius ipse in sua *Vita di S. Gennaro*, cum de ecclesia S. Ianuarii *Spoliamorti* agit, ignorare videtur), nullibi invenire potui.

Verum esto; diplomate, vel, uti Falconius recitat, accepto, nihil est quod illud, uti sincerum, accipias. Nam praeter formulas, quae in eo adhibentur, ab aliis *ordinationis* chartulis diversas et praeter locutiones ac sententias ab illius aevi indole et usu prorsus alienas, de quibus infra in notis lectorem moneo, omnino certum est saeculo XI neque Sergium ducem aut quemquam ex eius familia huius ecclesiae patronatum habuisse, neque Basilium de Ianaro eiusdem ecclesiae *custodem* vel aedituumum fuisse. Id ex quibusdam certae auctoritatis documentis clare eruitur. In instrumento enim anni 1043 (*Regest. Neap.* n. 578) Stephanus Franco presbyter *chartulam* promissionis facit d. Laurentio *igumeno* monasterii Ss. Sergii et Bacchi seu Ss. Theodori et Sebastiani, ex eo quod ipsum in medietate ecclesiae S. Ianuarii, quae dicebatur Spoliamorta, custodem ordinaverat. In alio instrumento anni 1094 (*Regest.* cit. n. 360) Petrus Sapacci custos eiusdem ecclesiae, eo quod cuncta congregatio monachorum memorati monasterii dederat ei ad detinendum integram portionem ipsius ecclesiae pertinentem monasterio, promittit officium sacerdotale ibidem facere *per ratiocineas*. Quod vero ad aliam medietatem attinet, ea in anno 1002 (*Regest. Neap.* n. 316) ad d. Gregorium filium q. Iohannis de domino Asprando, et ad d. Gregorium cognatum eiusdem pertinebat, qui cum Philippo igumeno monasterii Ss. Sergii et Bacchi *etc.* Petrum Paparo custodem in eadem ecclesia ordinaverat. Deinceps verisimiliter ius patronatus eiusdem inter dictum annum et an. 1024 ad monasterium Ss. Severini et Sossii transiit, ut ex summario cuiusdam instrumenti sub Basilio imp. (967-1024) celebrati discimus. In eo enim continetur quomodo: Cicanus presbyter filius q. d. Io-

filii nostri (1), concessimus et tradidimus tibi Basilio diacono, cognomento de Ianaro parenti nostro, seu et Presbyteris successoribus rectores (2) ecclesiae sancti Ianuarii, quae dicitur spoliamorti, regione portae euntibus foris urbem ad sanctum Ianuarium (3), filio quondam domini Ioannis, qui iterum nominabatur de Ianaro, et quondam Sicelgaita, iugalium; integram petiam de terra, positam in loco, qui dicitur ad Crispanum, a modo in antea pro decenti servitio eiusdem nostrae ecclesiae (4), quam Sergius vir pro omnia strenuus (5), atabius noster, construxit sub maiori Basilio magno imperatore, per indictionem XIII (6) ad honorem Dei, et Beati Ianuarii Christi Martyris, de cuius prosapia, ille et nos trahimus originem; (7) sicuti enarratur in legenda beate recordationis Tiberii sanctissimi nostri episcopi (8), et non solum pro alimoniis tuis, et successoribus in dicta ecclesia, sed et pro preclara solemnitate eius festivitatis debeas tu, et alii rectores, offerre nobis, et successoribus de familia nostra annuatim duo paria de oblatis, scilicet unum in Nativitate Domini, et alium parium in festo paschatis, vel quibus nos, seu successores nostri delegabimus. Et quotiescumque venerit unus de nos ad dictam Ecclesiam etc.

hannis tenebat ab abbate monasterii Ss. Severini et Sossii « ecclesiam S. Ianuarii Spoliamorta, que est inter duo vicora unum dicitur Iudeorum et alium qui nominatur triafata regionis porte S. Ianuarii et rendit annuatim paria duo de oblatis » *etc.* *Indice delle scritture dei Ss. Severino e Sossio* n. 788; D'ENGENIO, *Nap. sacr.* p. 178. — Antehac, scil. saec. X ineunte (an. 927), integra ecclesia ad d. Scauracium venerabilem medicum, filium q. d. Gregorii et ad Drosum seu Marum filias q. Basilii pertinebat, ut ex instrum. in *Regest. Neap.* n. 14.

Ex his igitur clare patet omnino falsum esse quod in diplomate Falconii enunciatur. Alias praeterea rationes, quae id etiam demonstrant, in notis sequentibus breviter exponam.

(1) Deest quod in aliis diplomatibus usque adjicitur: *qui infra etatem esse videtur.*

(2) In aliis instrumentis dicuntur: *custodes.*

(3) Haec ecclesia nusquam alibi sic describitur; sed *inter duo vicora, unum qui Iudeorum, et alium qui Treafata* nominatur, posita dicitur. V. *Regest. Neap.* nn. 478, 560. Vicus *Iudaeorum* etiam *duodecim putea* vocabatur. Cf. t. II. p. 26. Neque melius pro *regione portae S. Ianuarii* subjungitur: *regione portae euntibus foris urbem ad S. Ianuarium.*

(4) In *ordinationis chartulis* hic dicendi modus omnino insolens est, uti ex plurimis hujusmodi documentis in *Regest. Neap.* colligi potest.

(5) Hanc de Sergio I sententiam diplomatis compositor e *Vita S. Athanasii* (Cf. t. I, p. 84) traxit.

(6) De Basilio Macedone (*major* enim dicitur) heic intelligendum est. Eo autem imperante ind. XIII in annum ae. v. 880 incidit. Di Meo minus recte documentum Basilio II assignavit.

(7) Nemo unquam huius narrationis notitiam habuit.

(8) Ex hoc recte, nî fallor, causa, cur diploma confictum fuit, cognosci potest; nempe ut familiae de Ianuario antiquitas et nobilitas (ceteroquin absque dubio antiquae et nobilissimae) magis magisque amplificaretur et glorificaretur. Illud autem omnino confictum fuisse ex eo etiam arguo quod in *Istoria della famiglia di Gennaro* a cl. viro Petro Vincenti conscripta et initio saecul. XVII typis vulgata, nec non in tractatu, quem de eadem familia Carolus de Lellis an. 1654 composuit, et in libro *Discorsi delle famiglie nobili* t. I, p. 215, edidit, neque documentum hoc, neque aliquid simile invenitur aut saltem memoratur. Et quidem ad familiae decus non erat omittendum, et viros omnium Neapolitanorum archivorum scrutatores acerrimos minime elapsurum.

DE CURIALIUM NEAPOLITANORUM SUB DUCIBUS ORDINE, OFFICIO ET RITIBUS, AC DE VARIA ACTORUM AB EIS PERSCRIPTORUM SPECIE, NOMENÇLATURA, ET FORMA

DISSERTATIO.

Neapolitani ducatus historia, ut plurimum, a documentis repetenda est. Praeter enim chronica ducum et episcoporum nostrae urbis, quae in primo huius operis volumine inserui, et pauca alia minora scripta ibi etiam chronicis adiecta, ex quibus seriem ducum et res gestas a saeculo septimo ad decimum discimus, nullus alius fons superest, unde praesertim qualis ipsius ducatus status, quis situs, quae hominum conditiones moresque, immo etiam quae ipsorum ducum post saeculum X nomina et successiones fuerint, apte hauriri possit. In generali quippe historicorum, ob illius temporis barbariem et sequioris aevi oscitantiam, vel inopia vel iactura, non infrequenter documenta haec scriptorum defectum supplent, et quod alibi vel omissum vel minime notatum fuit, memoriae produnt. Opus est igitur, ut de ipsorum documentorum natura, forma, charactere et varia nomenclatura edisseram, et fidem in *Regestorum Neapolitanorum* praefatione datam absolvam.

Priusquam vero destinata componam, heic exponenda videntur ea, quae de Curialium ordine, officio et ritibus habemus. Nam etsi de iis iam saeculo superiore Antonius Chiarito ex professo, nec indiligenter, primus (res enim antehac vel neglecta vel ignota) egerit (1); tamen haud quidem inutile erit materiam satis adhuc incertam et obscuram heic iterum retractare In eo enim libro pleraque praetermissa, pleraque parum recta vel a proposito aliena, pleraque etiam omnino falsa aut errata deprehendi possunt; quod sive studiorum illius temporis rationi, sive immaturo auctoris fato, ex quo opus imperfectum remansit, facile tribuendum est. Neque a recentioribus, qui argumentum attigerunt, scriptoribus meliora habuimus; nam aut materiam silentio praetéreunt, aut Claritium secuti nil novi in medium afferunt.

Ut igitur argumenti tractatio mâgis apte ac ordinate procedat praestat ex ipsis monumentis de Curialibus Neapolitanis heic singillatim disserere. Conditiones vero et vices eorum, ex quo ducatus Neapolitanus Northmannorum dominio cessit et Siciliae regno se adiunxit usque ad saeculi XV initium, quando Curialium ordo omnino defecit, ego non moror; id enim ad rem meam non attinet.

Qui medio aevo in urbe Neapolis et in quibusdam Neapolitani ducatus locis praecipue acta publica vel privata ex lege conficiebant, et apud alios, tum Italiae tum exterarum gentium, populos sive notarii sive tabelliones sive scribae vocabantur, hi apud nostrates per plura saecula Curiales fuerunt appellati (2). De speciali ordinis et nominis origine non satis constat. Verisimiliter utrumque a Curia deductum, scilicet ab illo decurionum ordine, qui in urbe nostra, ut et in caeteris Romani imperii municipiis vel coloniis, rem publicam gerebat. Fortasse, cum ex Leonis *philosophi* imp. decreto (3) Curiae ipsae saec. IX abolerentur, quaedam apud nos eiusdem ordinis species superfuit, cui nomen et aliqua curiarum antiquarum munera, speciatim ad voluntariam iurisdictionem pertinentia, relicta fuerunt. Utcumque sit, certe saeculo X ineunte prima apud nos in documentis huius recentioris Curiae mentio, et prima etiam Curialium acta reperiuntur.

(1) Chiarito, *Comento Storico-critico-diplomatico sulla costit.* De instrumentis conficiendis *dell' imp. Federico II.* Napoli 1772.

(2) Notarios enim Neapolitanae Ecclesiae et notarios in Surrentina regione nec non in comitatu Nolano et in Suessulano seu Acerrano habemus, de quibus infra dicetur.

(3) Leonis *imp. Novellae const.*, c. 46 et 47.

Ex huiusmodi membranis enim in Neapolitano archivo nunc adservatis ea, quae omnium antiquior est, annum 912 praesefert, et instrumenta praecedentium saeculorum, quae aliunde petita adhuc supersunt, omnia a notariis, non a Curialibus, confecta videmus (1). Quod vero ad Curiam attinet, etsi de eius statu et fortuna nihil ferme per haec tempora affirmari possit, tamen, praeterquam quod in doc. anni 907 Anastasius primarius Curiae et in aliis annorum 924 et 922 Leo ac quondam Iohannes, qui verisimiliter Leonem in officio praecesserat, memorantur (2), certe quoddam vetustarum Curiarum munus, apud nos continuatum, in doc. anni 999 deprehendimus (3).

Eadem praeterea Neapolitani archivi monumenta nos opportune docent Curiales tunc temporis in ordinem, sive corpus, constitutos fuisse, eosque tabellionum sive notariorum officio functos non modo privatorum pacta conventa, quaecumque fuerint, instrumento stipulari, sed etiam acta publica conficere et iudicum sententias in scriptis referre consuevisse. At qua ratione modoque et a quibus creabantur nulla ab ipsis documentis cognitio accipi potest; verum si ex posterioris aevi actis argumenta desumere licet, Curiales sive *notarios curialis ritus* civitatis Neapolis ex more a suprema reipublicae potestate, post eorum examinationem a Curia effectam, ac post eiusdem Curiae de eis laudabile testimonium, approbatos atque creatos fuisse dicendum est. In quodam enim regis Caroli II diplomate dicitur quod « circa creandos Curiales eosdem ad publici notariatus officium more suo certus modus per quosdam usquequaque servatos gradus et ordines fuerit a prima fere institutione dicti officii huc usque servatus, itaquod vel nullus aliter ad ipsum assumi potuit aut praesumpsit officium vel per obreptionem assumptus obtinere potuit licite illo fungi » (4). Praeterea ad eorum electionem requirebatur tunc temporis, ut ex eodem diplomate discimus, Neapolitanorum etiam archiepiscoporum *authoritatis assensus*. In alio quoque diplomate anni 1304, idem rex Pacem Magnotiam « de cuius fide legalitate et sufficientia ad publici Curialatus officium per testimoniale publicum scriptum Universitatis Neapolis...... laudabile testimonium....... receperat, examinatum utique ad ipsum officium et sufficientem inventum hominibus civitatis Neapolis in publicum Curialem concedit. » (5) Haud igitur inverisimile videtur hunc etiam vel alium fere similem ritum in Curialium creatione et in eiusdem ordinis gradibus suscipiendis apud nos saeculo X, XI et XII servatum fuisse.

Ex ordine autem erant *primarius*, *tabularius*, *curiales*, *scriniarii* et *scriptores*. Primarius, qui, si ex subsequenti usu argui licet, et ipse populari suffragio creabatur, in curia principem locum obtinebat, unde *primarius curiae* appellabatur. Praeter alia officii munia, quae, ut quisque Curialium, explebat, proprium et suum erat *praecepta* vel privilegia, quae consules et duces Neapolis, uti reipublicae moderatores, dabant, redigere, de quo supra dixi. Ipse insuper exempla instrumentorum ex originalibus aliorum Curialium a tabulario, ut plurimum, transcripta rite cum eodem tabulario complebat et legitima atque authentica reddebat (6). Ex vetustissima denique Neapolitanorum consuetudine ab eo instrumenta, quae Curiales, morte praeventi, sive dumtaxat adnotata, sive etiam descripta *sternere* vel complere nequiverant, partibus petentibus et

(1) Charta oblationis ab Eufimia, Vitaliano et Stephano facta abbati monasterii Ss. Severini et Sossii *per manus* Iohannis curialis et scriniarii, quam ad saec. VIII. Muratorius (*Antiqu. Ital.* V, 594) minus recte retulit, ac Hegel (*Storia della costit. dei munic. Ital.* p.198 edit. ital.) ex eadem falsa annorum supputatione ad Curiae Neapolitanae statum firmandum attulit, minime quod heic supra dico adversatur; nam ipsa, quae nunc in regio archivo exstat, ad an. 930, non ad an. 765, pertinet. Cf. *Regest. Neap.* n.16.

(2) V. supra p. 4 et *Regest. Neap.* nn. 10 et 11; ac n. 687.

(3) *Regest. Neap.* n. 312.

(4) *Registri Angioini* n. 122 (1302, C), f. 266 ap. CHIARITO, *O. c.*, p. 9.

(5) *Registri Angioini* n. 65 (olim 1294, H; inde C) f. 113 in Neapolitano archivo. Cf. CHIARITO, *O. c.* p. 9.

(6) *Regest. Neap.* nn. 2, 3, 5, 16, 22, 27, 37, 38, 49, 50, 63, 318, 373, 402, 523, 625.

volentibus, rite, ut infra fusius dicam, absolvebantur (1); qui mos usque ad sequiora saecula duravit (2).

De Primariis verum duo haec singularia invenio: unum, quod in instrumentis circa initium saeculi XI confectis, quidam Mastalus adiuncta *ductoris* appellatione cohonestatur, ita ut aliquando *ductoris primarius* et aliquando *ductor primarius* denominetur (3), cum eodem ipso tempore alius primarius, Petrus scil. qui instrumentum anno 1006 conficit (4), inveniatur; alterum, quod in instrumento anni 944 *Andreas primarius et scriniarius* ac in alio anni 1003 Mastalus idem, cuius paulo ante memini, *primarius scriniarius* aliquando vocentur (5). Utraque quomodo explicem plane nescio.

Denique in instrumento anni 1113 quidam Gregorius Curialis et Prothonotarius habetur (6), quo titulo Primarium et fortasse tunc insignitum fuisse ex utrorumque nominum fere simili notione quis suspicari posset. At ego huic opinioni minime assentior; nullus enim Gregorius per ea tempora inter primarios occurrit (7), et hi, ut et Tabularii, nunquam in nostris monumentis Curialium etiam appellatione notantur. Ad Scriniarios igitur, qui duorum officiorum titulis saepissime utuntur, protonotarium potius revoco.

Pauca de Tabulario scimus. Verisimiliter publico archivo praeerat, et chartas atque ratiocinia rei tributariae tractabat. Certe alia Curialium munia ipse etiam obibat et specialiter cum Primario exempla ex originalibus descripta sua quoque subscriptione complebat.

Curialium numerum haud exiguum sub ducibus fuisse ex nostris documentis facile argui potest. In ipsis enim saepe plures ex eis uno eodemque tempore occurrunt, qui vel tantum nominantur (8), vel testimonium praebent, vel acta complent. Ex eisdem praeterea documentis et ex insequentium temporum usu, Curiales officium ipsum, quoad vixissent, exercuisse satis liquet. Eorum aliquos Scriniariorum etiam munere auctos reperimus, unde *Curiales* et *Scriniarii* dicuntur (9). Sic etiam in urbe et in Ecclesia Ravennati, nec non in Romana Curia atque Amalphiae, tabelliones et scriniarios, notarios et scriniarios, vel scribas et scriniarios fuisse scimus (10). Semel vero apud nos quemdam ex eis Curialem et Prothonotarium in instrum. anni 1113, uti supra innui, denominatum invenio; quod cuidam peculiari caussae, mihi prorsus incognitae, tribuendum esse existimo (11).

Scriniarii vero, ut ex ipsa nominis significatione argui potest, scriniorum sive archarum, in quibus acta publica atque scripturae privatorum reponebantur, curam agebant. Eos primum non diversos a Curialibus continuata serie usque ad an. 1077 invenio (12), at alios etiam qui solo scriniariorum munere fungerentur, eodem tempore extitisse facile credi potest. Verum cavendum est ne tales existimentur omnes ii, qui sub hoc nomine in quibusdam documentis apud. *R. Neap.*

(1) *Regest. Neap.* nn. 319 et 411. Item n. 4.

(2) *Consuet. Neap.* rubr. XII, *De instrum. confectis per Curial.* consuet. 4.

(3) *Regest. Neap.* nn. 338, 342, 351, 354, 355.

(4) *Regest. Neap.* n. 331. V. etiam supra p. 23.

(5) *Regest. Neap.* nn. 27 et 320.

(6) *Regest. Neap.* n. 608.

(7) Eodem anno 1113 et sequenti 1114 occurrit Iohannes primarius. Cf. *Regest. Neap.* nn. 606, 607 et supra p. 70. Ante eum habemus Bernardum in annis 1097, 1103, 1104, 1107, itemque postea ipsum vel alium eiusdem nominis in annis 1119, 1127 et 1128 (*Regest. Neap.* nn. 584, 587, 590 et supra p. 63, 65; nec non *Regest.* cit. nn. 618, 623, 641 et supra p. 78).

(8) In *Regest. Neap.* n. 234, ut aliquod exemplum proferam, memoratur Sillictus quidam curialis, cuius in membranis, quae supersunt, nullum instrumentum exstat.

(9) *Regest. Neap.* nn. 1, 10, 28, 67, 234, 279, 393, 426, 490 etc.

(10) MARINI, *Papiri diplom.* p. 219; MABILLON, *De re diplom.* L. II, c. 13, n. 5. — In instrum. Amalphitano an. 1018 quidam *Guttus Scriniarius Scriba testis est.* R. N. A. M. t. IV, p. 124.

(11) Tunc temporis Gregorius Curialis in instrum. pluries habetur. Cf. *Regest. Neap.* nn. 601, 602, 613, etc.

(12) V. *Regest. Neap.* nn. 1, 10, 28, 67, 234, 279, 393, 426, 490 etc.

Archivi Monumenta et aliquando etiam in *Regestis Neapolitanis* inveniuntur. Hi revera non Scriniarii, sed, ut plurimum, Scriptores sunt. Eorumdem enim monumentorum editores, nota *(script.)* qua Curiales Scriptorem designabant, male intellecta, eam Scriniarium significasse crediderunt et, ita explicaverunt (1). Nec aliter ego, quoties edita cum originalibus conferre neglexi. At ex membranarum ipsarum accurata observatione et ex locorum controversorum collatione, satis patet utrorumque nominum diversitas, et alteros fere semper breviatos, alteros totis literis ac absque ullo scripturae compendio a Curialibus semper designatos fuisse protinus evincitur.

Caeterum Scriniariis, Curialium munere non auctis, olim publica instrumenta rite conficere licitum non erat; quamobrem in diplomatibus ducum vetustioribus inter officiales, quibus id muneris demandatum, eorum nomen non occurrit (2). Tempore dein procedente, et inter illos eadem diplomata scriniarios memorant (3), et in membranis archivi Neapolitani non modo Scriniarii, uti testes, interveniunt (4) sed etiam aliquando acta conficiunt (5). Quod, si ibi Curialis gradus, breviandi studio aut scriptoris oscitantia, omissus non fuit, ipsis Curialium munia etiam tunc temporis concessa fuisse, satis luculenter ostendit.

Postremum ordinis locum Scriptores obtinebant; qui aut filii (6) aut discipuli alicuius Curialis vel Scriniarii vel etiam Primarii et Tabularii (7) erant, et saepe conventionem in scriptis redigebant, quam postea Curiales complebant et absolvebant (8). Aliquando Curialis id *per preceptionem* suam factum esse declarat (9).

E Scriptoribus autem non modo Curiales, sed etiam Scriniarios, fieri dubium non est; ipsi enim officium assecuti se se *dudum scriptores* appellant (10). Eos praeterea, in defectu Curialium

(1) En aliquot exempla istius falsae lectionis; quam ego ex membranis corrigo: vid. Anno 1006. *Scripta per Stefanum scriniarium* (l. *scriptorem*). (R. N. A. M. t. IV, p. 33 = *Regesta* n. 331) — Anno 1013. *Sergius scriniarius* (item) testis. (*Ibidem* p. 66 = *Ib.* n. 351) — Anno 1016 et 1018 *Stephanus et Gregorius scriniarii* (item) testes (*Ibid.* p. 80, 85, 88, 90, 91, 108, 116 = *Ib.* nn. 357, 362, 363, 367, 370, 373, 377) — Anno 1028 *Sergius scriniarius* (item) testis. (*Ibid.* p. 211 = *Ib.* n. 418) — Anno 1033 *Scripta per manus Iohannis scriniarii* (item) filii d. Leonis Curialis (*Ibid.* p. 238 = *Ib.* n. 441) — Anno 1035 et 1036 *Scripta per manus Sergii Scriniarii* (item) filii d. Leonis (*Ibid.* p. 262, 266, 268 = *Ibid.* nn. 453, 456, 457) — Anno 1036. *Scripta ... Sergii scriniarii* (item) filii d. Iohannis Curialis. (*Ibid.* p. 273; *Reg. Neap.* n. 458. Ibi vero hanc instrumenti particulam ex errore omisi) — Anno 1073. *Stephanus Scriniarius* (l. *script.*) filius d. Iohannis scriniarii (*Ibid.* t. V, p. 57 = *Ibid.* n. 515) — Anno 1119. *Milex scriniarius* (item) testis. (*Ibid.* t. VI, p. 48 = *Ibid.* n. 621) — Anno 1126. *Iohannes scriniarius* (item) testis. (*Ibid.* p. 91, 95, 103 = *Ibid.* nn. 631, 634) — Anno 1127 et 1128. *Marinus* (item) testis. (*Ibid.* p. 103 = *Ibid.* nn. 634, 636) — Anno 1130. *Petrus* (item) testis. (*Ibid.* p. 128 = *Ibid.* n. 645).

(2) V. supra p. 22, 28, 42.

(3) V. supra p. 49, 60, 63 et 76.

(4) *Regest. Neap.* nn. 551, 616, 631.

(5) *Regest. Neap.* nn. 626 et 636. Item in doc. anni 1076 n. 523: *Stefanus dudum scriptor nunc scriniarius* complet actum.

(6) *Regest. Neap.* nn. 1, 15, 124, 138, 504 *etc.* — In doc. anni 934 habetur *Iohannes scriptor* gener Iohannis tabularii. *Reg.* n. 26.

(7) *Regest. Neap.* nn. 16, 67, 92, 94, 315, 449 *etc.* Aliquando Curialis unus duos habebat discipulos aliquando etiam plures. Ita an. 949-960 Gregorii curialis et Scriniarii erant discipuli Sergius (*Regest. Neap.* nn. 67, 68), Iohannes (*Ibid.* n. 73) et Petrus (*Ibid.* n. 116). Alia exempla praetereo.

(8) Charta de more erat *Scripta per manus* filii vel discipuli Curialis, illius qui eam complebat; at diversum exemplum non deest. Instrumentum 24 octobris 1074 scriptum fuit per *Petrum scriptorem discipulum d. Iohannis primarii* et completum per Iohannem Curialem et Scriniarium. *Regest. Neap.* n. 519.

(9) In duobus instrum. an. 1034 et 1036 scriptis per manus Sergii script. filii d. Leonis Curialis in fine legitur: « Ego Leo Curialis qui memoratas post subscriptionem testium et memorati Sergii scriptoris filii mei qui hanc chartulam benditionis per mea preceptione scripsit: Ideo manus mea propria complevi et absolvi per indictione memorata quarta ». *Regest. Neap.* nn. 456, 457.

(10) *Regest. Neap.* nn. 137, 179, 239, 244, 413 *(dudum script. nunc Curialis)*, 523 *(dudum script. nunc scriniarius)* etc.

quorum erant discipuli, instrumenta conficere potuisse ex Consuetudinibus Neapolitanis et ex docc. discimus (1).

Ceterum Curiales (et sub nomine Curialium omnes, qui ad ordinem pertinebant, intelligo) nulla alia, nisi officii, quo fungebantur, nota se se vel alios eiusdem ordinis designare solebant, tum cum de eis sermonem in actis facere, tum cum, uti testes vel uti publici officiales, instrumenta subscribere debuissent. Mos insuper erat eisdem, nedum sub ducibus sed etiam deinceps, neque sigillis, neque signis quibuscumque calamo ductis uti, quomodo tabelliones, saeculis praesertim insequentibus, consueverunt. Praeterea Curiales quamdam peculiarem scripturam et quasdam proprias consuetudines ac certos aliquos ritus in tabulis conficiendis habebant, de quibus nunc speciatim dicendum est; et primum de scriptura. Eam versus finem saeculi X et initium XI Neapoli excogitatam et introductam fuisse Alexius Aurelius Pelliccia asseruit (2); sed male omnino, cum instrumenta illis characteribus descripta iam ineunte ipso saeculo X habeantur et characteres huiusmodi antehac etiam exstitisse haud temere credi potest. Neque contra admittendum est quod Carolus Pecchia, vir alioquin eruditissimus, de ea re opinatus fuit, scilicet scripturam curialium quamdam dolosam atque obscuram scribendi rationem fuisse ab ipsis inventam (3), ut eorum munus notis, quas nemo, nisi qui in eodem officio initiatus fuisset, intelligere poterat, quasi mysterium redderet; quod omnino absurdum esse quisque videt.

Scripturam hanc, quam olim *litteram curialiscam* in ipsis instrumentis illius aevi (4) dictam invenio, nostrates recentioris aevi, ut d'Engenio, Tutini, Chioccarelli et alii, langobardicam vocaverunt; nec sine certa quadam ratione, nam ipsam a cursiva langobarda derivatam et corruptam fuisse facile animadverti potest. Verumtamen utrarumque collatione alteram ab altera satis inter se differre patet. Si enim litteras quasdam ut *t*, *r*, *m*, etc. eadem forma in alterutra descriptas videmus, in aliis vero litteris, ut *a*, *p*, etc., formam omnino diversam in ea deprehendimus. Est et alia in syllabarum divisione et in compendiis verborum varietas; est et in earumdem litterarum, quae langobardis similes sunt, ductu et ornatu. Caetera, ne longus sim, praetereo; plura enim huius scripturae specimina in tabulis ad tomum I, et ad tomi I partem priorem appositis dedi, quae *oculis subiecta fidelibus* rem clarius quam verba quaelibet aperire possunt. Ad ipsorum igitur Curialium ritus et consuetudines, ut erat propositum, potius pergamus.

Horum autem rituum alii ad Curialium personas pertinent, et de his supra egimus, alii vero ad eorum acta, scilicet ad peculiarem, qua in instrumentis conficiendis utebantur, rationem, et de his nunc agere oportet.

Et primo hic specialis erat Curialium ritus, quod in quocumque actu publico, ne testamento quidem excepto, tres tantummodo testes requirebantur, qui intervenire et subscribere debebant. Alius item erat, quod instrumentum, sive a Curiali, sive ab eius discipulo, sive ab alio scriptore exaratum, in fine Curialis ipse subscriptione sua complebat et absolvebat; idque etiam Surrenti, Amalphiae et Cajetae notarii, scribae vel tabelliones in eorum actis, ut plurimum, servabant (5). Contra res aliter quidem se habuit in regione langobarda, quae principatus Beneventi, Salerni et Capuae complectebatur. Ibi et numerus testium, qui in actis subscriberent, praefinitus non

(1) *Consuetud. Neapol. — De instrumentis confectis per Curiales Neapolitanos,* tit. XII, consuet. 1 et 2. Cf. *Regest. Neap.* n. 605.

(2) PELLICCIA A., *Istituzioni dell'arte critica diplomatica.* Nap. 1822, p. 94.

(3) PECCHIA C., *Storia civile e politica del regno di Napoli*, t. III, p. 283.

(4) In instrum. anni 1286 memoratur *manus curialisca* et *manus francisca*. V. *Notam. instr. S. Marcellini* p. 154. In aliis duobus instrum. anni 1315 et 1320 memoratur *littera curialisca. Notam. instr. S. Sebast.* nn. 996 et 1163, Charta *langobardisca scripta* habetur in *Reg. Neap.* n. 332.

(5) De his cf. *Regest. Neap.* n. 40 — R. N. A. M. t. I, p. 106; *Ibidem* p. 117; t. III, p. 197; t. IV, p. 124, 160. — Quoad vero testes attinet, Amalphitani tres fere semper, Cajetani aliquando plus quam tres in actis adhibent.

erat (1), et tabelliones instrumenta ab eis confecta, contra quam in aliis Italiae partibus (2), subscribere non consueverunt (3).

At horum rituum, qui Curialibus proprii erant, regula quasdam aliquando exceptiones habebàt, quas heic adnotare haud inutile erit. In Neapolitani enim archivi membranis, praeter illa, in quibus aliquando testes ex more absunt, aut paucissima, quae exemplaria imperfecta esse videntur, plura instrumenta occurrunt, quae vel testibus subscriptis, Curialis complemento et absolutione omnino carent (4) vel duorum dumtaxat testium subscriptiones habent (5). Exstant insuper quaedam perpauca nec ullius testis nec alicuius Curialis subscriptione firmata (6). Id vero, sive ex Curialium oscitantia sive ex ipsarum partium negligentia (7), sive ex aliquo superveniente casu, ut testium aut ipsius Curialis obitu, factum fuerit, ego ex consuetudinum Neapolitanarum praesertim auctoritate factum puto. Nam Curialibus ab eisdem procul dubio permissum, ut instrumenta, quamcumque ob causam imperfecta, post certum temporis intervallum, ex contrahentium voluntate perfici possent. Ita quidem videre est in docc. annorum 965, 970, 983, 985, 1027, 1070 (8), in quibus conventio pacta et in scriptis a discipulo Curialis redacta ac etiam partium et testium subscriptionibus firmata ad complementum perducta non fuit, nisi post aliquot annos, cum ipse discipulus scriptor jam ad Curialatus officium assumptus fuerat. Praeterea instrumenta hujusmodi imperfecta omnem fidem atque auctoritatem tunc temporis habuisse, perinde ac si rite perfecta forent, ex ipsis membranis, non sine ratione, argui potest. Nam, praeter quam quod ea, utpote legitima, a contrahentibus servata videmus, vis et auctoritas eorumdem expresse probatur ex charta anni 1033, qua alicuius terrae venditor instrumentum iudicatus de terra ipsa anni 1017, Curialis quidem absolutione carens, emptori ad eiusdem cautelam tradit (9).

Quasdam alias singulares praerogativas, ceteris tabellionibus et notariis, vel pene incognitas vel jure interdictas, Curiales ex Neapolitanis consuetudinibus habebant. Et primo instrumentum uno vel duobus testibus, qui in eo intervenerant, mortuis, Curialis, rei mentione facta, pro eis subscribere et contractum absolvere rite poterat. Ita in chartis annorum 955 et 964; in quarum altera Iohannes Curialis *post subscriptionem testium et defunctionem q. d. Leoni qui... minime scribere concurrit, complevit et absolvit;* in altera Gregorius Curialis *post subscriptionem unum testium et post defunctionem Sergii filii Petri, et Stephani filii Marini* (aliorum duorum testium) *complevit et absolvit* (10). Hoc idem eis ex consuetudine permissum, si partes ipsae aut aliqua ex eis post initam conventionem in fata cessissent, uti videre est in instrumento permutationis, pactae anno 955 a germanis Leone et Gregorio. In eo siquidem Petrus Curialis apponit signum manus

(1) In instrumentis ad has regiones pertinentibus aliquando duo vel tres, aliquando quatuor vel quinque, aliquando etiam plures his testes subscribunt; quod in GATTULA, *Hist. Casin.*, DI BLASI, *Series princ. Langob. qui Salerni imperarunt*, et aliis, qui plurimam documentorum vim in suis operibus retulerunt, nec non in R. N. A. M. in *Cod. dipl. Cavensi* aliisque huius generis libris, passim videre est.

(2) Id quemadmodum de testibus dixi, lector notare poterit in illis supra citatis operibus et in aliis pluribus, quae, ne longus essem, praetermisi.

(3) Chartulae, quae *notitiae* vocantur, saepe legitime testibus carent.

(4) *Regest. Neap.* nn. 127, 156, 168, 201, 204, 227, 234, 315, 331, 339, 340, 374.

(5) *Regest. Neap.* nn. 174, 188, 202.

(6) *Regest. Neap.* nn. 198, 231, 346, 594.

(7) *Regest. Neap.* n. 168 — Iohannes igumenus Ss. Theodori et Sebastiani die 9 m. maii an. 981 in scriptis redigere facit commutationem, quam iam a praeteritis quinque annis fecerat cum Stephano et Iohanne germanis de quibusdam petiis terrae quem de die in diem « secundum humanam neglegentiam minime inter partes exinde facere curaverat ». *Regest. Neap.* n. 231 — Cf. nn. 168 et 236.

(8) *Regest. Neap.* nn. 141, 179, 239, 244, 413, 523.

(9) Cf. *Regest. Neap.* nn. 446 et 374.

(10) *Regest. Neap.* nn. 89, 137.

Leoni, qui *in .... chartula pro occupatione mortis minime manibus suis subscribere concurrit* (1). Ita etiam in instrumentis oblationis ann. 943, 965 et 970, in quibus Iohannes, Sergius et alius Iohannes Curiales apponunt signum manus Iohannis filii q. d. Petri magnifici, Macharii monachi et Leonis presbyteri, qui quaedam bona monasterio Ss. Theodori et Sebastiani obtulerant, et *pro morte*, vel *pro divina occupatione mortis* minime manibus suis in ipsis actibus scribere potuerant *sed omnia nominata consenserant et testes ut subscriberent rogaverant* (2). Nec alia quidem erat in testamentis ratio. Curiali, quem aliquis suum *dispositum* condere rogaverat et, priusquam actum fuerit, obiisset, ius erat tabulas pro ipso testatore subscribere et *dispositum* rite complere. Ita videre est in charta anni 932 in Neapolitano archivo. Sergius, filius Constantini, ibi disponit de omnibus rebus suis, at, cum priusquam instrumentum subscriberet, obiisset, Andreas Curialis apponit in eo signum manus eiusdem Sergii, qui *pro occupatione mortis minime scribere concurrit set omnia memorata scribere rogavit* (3).

Haec tanta de Curialibus apud nos fides et auctoritas non modo ex eiusdem ordinis antiquitate et praestantia, sed etiam e *schedae* sive *protocolli*, quo usi sunt, utilitate mihi non sine ratione manasse videtur. Ita enim conventionibus quibuscumque in scriptura redactis et a Curialibus in prima tabula servatis contrahentium iura et consilia ab omni periculo vel detrimento sarta tecta perpetuo manere poterant. Claritius primam *schedarum* vel *protocolli* notitiam Neapoli sub Andegavensibus regibus invenisse testatus est (4), at earum usum apud Curiales nostros multo prius extitisse ac saeculo XIII antiquiorem fuisse ego ex monumentis eruo.

In illis quidem, ad saec. X, XI et XII pertinentibus, de quibus heic agimus, et *schedularum* et *notarum* sive *annotationum* ibi descriptarum non semel est mentio, uti videre est in instrum. an. 956, et 964 (5). Quod utique, etiam his deficientibus, conjiciendum fuisset, nam si Curiales, primo instrumento originali deperdito, aliquando, cum opus esset, aliud simile ex intervallo facere consuevissent, quomodo id, si scheda non extaret, facere potuissent? Duo praeterea Neapolitani archivi documenta rem apertius explicant, et ipsarum *notarum* etiam exemplum nobis praebent. In utrisque enim Mastalus et Petrus Primarii Curiae civitatis Neapolis notas *de chartulis offertionis*, quas Iohannes et Leo Curiales olim scripserant et morte praeventi minime *sternere et adimplere* potuerant, secundum antiquam consuetudinem in membranis transcribunt et firmant, ut ipsae conventiones *de omnia et in omnibus que* continebant firmae et stabiles permanerent (6). Horum instrumentorum alterum

(1) *Regest. Neap.* n. 86.

(2) *Regest. Neap.* nn. 46, 149, 177, 178.

(3) *Regest. Neap.* n. 22.

(4) *Regest. Neap.* n. 571.

(5) Chiarito, *O. c.* p. 102. — *Schedarum* etiam usum apud notarios Principatus Beneventani invenio circa initium saeculi XIII. De eis enim Carolus de Tocco, in *Apparatu* seu *Glossa*, sic loquitur: « Si *scheda* quae *Abbreviatura* dicitur scripta est, potest notarius instrumentum scribere et erit idem cum primo » scil. cum originali deperdito. Glossa v. *chartas* ad l. 3. *Lomb.* II, 37. Alibi quoque adnotat: « Contractus (morgincap), qui in scriptis debet celebrari, nisi totum mundium sit completum et partibus absolutum non parit actionem, adeo ut si in scheda conscriptus sit, quae vulgo *Breviatura* dicitur, inutiliter omnia procedunt ». Glossa v. *per scriptum* ad l. *si quis* in *Lomb.* II, 4. — Quaedam super his decrevit Statutum Beneventanum anni 1230. Cf. Borgia, *Mem. stor. di Benev.* t. II, p. 417.

(6) *Regest. Neap.* nn. 89, 137, ubi *chedula* vel *schedula* dicitur.

(7) « Antiqua consuetudo, in his instrumentis dicitur, huius civitatis est ud qualecumque chartula aud dispositum vel testamentum annotaberint qualecumque curialis aut notarius vel tabularius sibe primarius qui huius civitatis prefuerid illa vel illut sternere et atimplere ud pro hoccasionem neminem periret. Nunc autem benerunt mihi Mastalo primario note testatem de chartula offertionis quem scripsit Iohannes Curialis qui cognominabatur Billusi set pro divina vocationem minime illud sternere concurrid proinde et ego memoratus Mastalus primarius secundum consuetudinem in hanc pagina scribo et atfirmo illa ud de omnia et in omnibus que continet firma et stavilis permanendo quibus ipse note continent ita ».

ad an. 1003 pertinet et *nota* in eo translata appellatur *testata;* eo quod a testibus subscripta fuerat (1); alterum vero ad an. 1027, et *nota,* quia testium, qui in ea rogati fuerant, subscriptionibus carens, *alva* seu alba appellatur (2).

Harum vero *schedularum* annus incertus est; notae enim chronologicae imperatorum Byzantinorum in eis desunt, die, mense et indictione tantum adnotatis. Forsitan annus ipse in prima *protocolli* pagina inscriptus fuit. Utcumque sit, certe eas longe ante, quam a Primario complerentur, scriptas fuisse ex pluribus argumentis affirmari licet. Et primo, de nota, quam Mastalus primarius an. 1003 complevit, observandum est oblationem, quae ibi continetur, a Iohanne filio q. Karemanni Sergio igumeno monasterii Ss. Theodori et Sebastiani factam fuisse. Cum autem Sergius iste, inter annos 952 et 968 (3), res ipsius monasterii administraverit, atque nullus alius eiusdem nominis monachus, qui tale munus obierit, in documentis ab inde an. 912 usque ad an. 1003 occurrat, recte evincitur dictam oblationem non post annum 967-968, quo Iohannes igumenus Sergio successit, et proprie anno 953 aut 967, in quibus indictio XI recurrebat, in *schedula* decriptam fuisse. Praeterea et Iohannes Curialis, qui eam confecit, et Iohannes filius d. Andreae ac Sergius filius d. Aligerni, qui testes in ea subscripserunt, eodem ipso tempore etiam inveniuntur (4). Quoad vero alteram *notam* anno 1027 a Primario completam attinet, ipsam ad an. 1007 adsignandam esse pro certo habeo. Nam tunc et Philippus, cui oblatio facta fuit, igumenus monasterii memorati erat (5), et indictio V, quae in schedula legebatur, recurrebat.

Ceterum cum originalis *schedula,* in primo instrumento anni 1003 inclusa, et a regii Neapolitani archivi monumentorum editoribus aut non visa aut neglecta, forte fortuna usque adhuc inter membranas eiusdem archivi supersit, eam ut *schedarum* ipsarum forma lectoribus amplius innotescat, heic paucis describere expedit.

Brevis igitur membrana, in quo dicta *schedula* exstat, olim majori membranae, quae instrumentum anni 1003 continet, filo assuta fuit, atque in prima pagina notam, de qua agimus, habet; textus vero eiusdem, praeter minimam in uno vel altero loco diversitatem, idem est ac ille quem Mastalus primarius transcripsit, nisi quod in ultimo hic post verba *in perpetuum* addidit formulam: *quia ita mihi placuit si autem ego.... componimus.... auri solidos viginti bithianteos et ec chartula ud super legitur sit firma in perpetuum,* nec non signum manus apposuit dicti Iohannis oblatoris in nota omissum. Nomen denique Iohannis Curialis, utpote in prima *protocolli* pagina verisimiliter inscriptum, etiam in *schedula* desideratur. An vero *notas* ipsas in schedis omnino a discipulis Curialium descriptas fuisse, uti posterioribus temporibus certe factum esse Claritius demonstrat (6), ego plane affirmare non audeo.

In altera membranae pagina item alia *nota* legitur, qua Gregorius quidam die 18 mensis maji ind. XII cum eodem Sergio igumeno de quadam lite convenit. *Notam* ipsam igitur, quae *alba* est, utpote sine testium subscriptione, infra subjungo, quod lectoribus gratum futurum esse judico (7).

(1) *Regest. Neap.* n. 319.

(2) *Regest. Neap.* n. 411.

(3) Cf. *Regest. Neap.* nn. 77-161. Iohannes successor eiusdem intervenit in instrum. die 25 aprilis ind. XI an. 968 celebrato. *Ibid.* n. 165.

(4) Cf. *Regest. Neap.* nn. 97, 98, 120, 135 etc. Ibi sunt acta a Iohanne Curiali confecta; et n. 100 (a. 957), 189 (an. 971), ubi Iohannes filius d. Andreae testis, et n. 196 (an. 973) ubi Sergius filius d. Aligerni.

(5) Cf. *Regest. Neap.* nn. 320, 321, 338, 342.

(6) Chiarito, *O. c.* p. 103.

(7) *Nota* sic se habet: « Die XVIII mensis magii ind. XII Neapoli. Definivi ego Gregorius.... ...... Theodosii tecum denique domino Sergio venerabili igumeno monasterii sanctorum Sergii et Bacchi qui nunc congregatus est in monasterio sanctorum Theodori et Sebastiani quod appellatur casapicta situm in viridario, de judicio quod inter nobis habuimus propter finaita qui est in territorio meo qui vocatur Muricino posita quod emptam habeo a quidem Theodosio Capititio et in terri-

Postremo animadvertendum est Curiales non ubique per totum Neapolitanum ducatum jurisdictionem exercuisse, sed in urbe potissimum et in agro Neapolis; instrumenta enim, quae supersunt, praeter unum *in insula maiori* (1), et pauca Puteoli (2) confecta, omnia Neapoli celebrata videmus. In aliis vero ipsius ducatus oppidis, quibus aliquando Langobardi dominati sunt (3), notarii, qui semper ad clerum pertinent, secundum leges Langobardorum, formulis apud tabelliones eiusdem gentis consuetis, acta conficiebant. Quapropter in actis ipsis neque trium testium, neque notarii in fine subscriptiones, uti Neapoli moris erat, inveniuntur. Horum instrumentorum exempla lector in *Regestis Neapolitanis ll. cc.* videre potest.

His de Curialium ordine, officio, et ritibus singillatim expositis, nunc de eorum actis ac de diversis documentorum ad Neapolitanum ducatum pertinentium nominibus et generibus dicendum est.

Et primo adnotandum omnes quascumque scripturas, quae sive conventionem aliquam, sive obligationem aut pollicitationem, sive etiam magistratuum sententiam continebant, et ab aliquo ad Curialium ordinem pertinente confectae erant, apud nostrates, uti etiam apud Langobardos, *chartularum* generaliter appellatione designatas fuisse. Nec alio quidem nomine diplomata ipsa ac principum concessiones, de quibus supra in praef. egi, plerumque dicebantur. Haec in documentis passim ab omnibus animadverti possunt.

Chartulae autem ipsae vel in membranis, vel in *chartis de tumbo* aut *de tummo*, scriptae erant (4). De membranis, utpote notissimis, lectorem non moror; at in *charta de tumbo* mihi haeret aqua. Quid enim *tumbus* vel *tummus?* Fortasse, ut in prima hujus voluminis parte suspicatus sum (5), ita tunc temporis charta papyracea denotata fuit, quae vulgariter *de tumbo* vel potius *de tubo* a nostratibus dici potuit, utpote ex arbuscula aegyptiaca tubi vel calami figuram praeseferente confecta. Atque id ex eo etiam firmari possem quod nulla amplius post saec. XI eiusdem chartae *de tumbo* in nostris documentis mentio occurrat, tum proprie cum charta papyracea exolescere capit, et charta byssina *(cuttunea)* vel lintea invaluit (6). Ceterum de hac mea conjectura doctis viris judicium relinquo.

Chartulae insuper ex varia stipulatione in eis conscripta varias ab ipsis documentis (7) designatas appellationes accipiebant. Itaque in membranis Neapolitani archivi habemus *chartulas venditionis*

torio similiter Muricino insimul positum foris cripta de qua dicebat pars mea quia liticassi ipsa fine et ipsa terra et introissi in memorata mea: pars autem vostra asserebat ut ita non esset sicuti nunc deposuissi finiendo duos testium sic dicentium fuit in ipsa fine in territorio.... memorata mea pertinentia habeo a memorato Theodosio Capitiio in hoc judicatum est exinde inter nobis exinde a parte vestra sacramentum et definivimus exinde vobiscum in omnibus ut amodo et semper sic directum fiat ipsa fine inter memorata mea et inter memorata vestra sicuti inter nobis terminat nunc ibi deposuistis finiendo et neque insuper omni tempore ego et heredes meis vobis posterisque vestris memoratoque sancto vestro monasterio exinde et suprascriptis heredibus illas qui per memorata mea nos exinde quesieris absque omni vestra contrarietate quia ita inter nobis indicatum pretium auri solidos duodecim bitianteos ». — Nullum de hac *nota* instrumentum in publicam formam redactum inter membranas archivi Neapolitani nunc exstat. Certe ipsa ad eumdem Curialem pertinuit, et anno insequenti in scheda post aliam supra notatam inscripta fuit.

(1) *Regest. Neap.* n. 438.

(2) *Regest. Neap.* nn. 225, 260, 262, 300, 632.

(3) Ita Nolae. *Regest. Neap.* nn. 318, 465, 539, 540, 682; et Suessulae. *Ibid.* n. 415.

(4) *Chartula membrana scripta.* V. *Regest. Neap.* nn. 59, 76, 89, 109 etc. — *Chartula in tumbo*, vel *de tumbo scripta.* V. *Ibid.* n. 68, 142, 199, 222, 318 *etc.*— in *membrana et de tumbo.* V. *Ibid.* n. 199, 336, 482 *etc.*

(5) *Regest. Neap.* in t. II, P. I, p. 98 not. (1).

(6) Mabillon, *O. c.* L. I, c. 8, n. 10 et 14; Montfaucon, *Palaeogr. graeca*, L. I, p. 16; Maffei, *Istor. critic. dipl.* p. 59-77.

(7) Plurium chartarum variae naturae indicem videsis in *Regest. Neap.* nn. 482, 622, 668.

aut *comparationis* (1), *chartulas permutationis* vel *commutationis* (2), *chartulas offertionis* sive oblationis (3), *donationis* (4), *locationis* (5), *cessionis* (6) atque *infiduciationis* (7). Vox apposita id, de quo documentum agit, satis patefacit. In eisdem membranis memorantur etiam vel habentur *chartulae liberationis* aut *manumissionis* (8) quae ad personarum statum pertinent, *ordinationis*, qua *custos* in ecclesia instituebatur (9) et *abberationis*, qua alia chartula erat comprobata (10). *Laborationis* vel *pastinationis* chartulae, aut *promissionis responsaticum* vel *terraticalis* vel in *colligio* (11) quamdam variam terrarum locationis et conductionis speciem continent. Cum autem duo vel plures inter se se de aliqua re vel controversia consentiebant vel iudicum sententias, quae non aliter nisi hoc modo expressae habentur, executioni mandabant, instrumentum inde confectum *chartula convenientiae securitatis, definitionis* vel *promissionis* (12) appellabatur. *Dispositum* denique dicebatur chartula supremam eius, qui ad mortem veniens de rebus suis disponebat, sententiam continens (13), et *mediatorium* contractus quicumque per mediatores sive amicabiles compositores conventus (14).

Si conventionem vel obligationem aliquam abrogare vel irritam facere oportebat, vetere, ut plurimum, *caubsata* vel *caupsata*, chartula *abscissionis* aliquando conficiebatur (15).

Praeter haec, quaedam Curialium acta speciales appellationes habebant. Hujusmodi erant instrumenta, quae dicebantur *merissis* aut *notitia*, *esfalia* et *gesta* (16).

Merissis (17), quae apud Caietanos (18) et Amalphitanos (19) *Merissi* etiam vel *Mersis* ac Surrenti *Morsis* (20) dicebatur, erat instrumentum divisionis bonorum inter cohaeredes vel consortes, unde plerumque *merissis divisionis* ex pleonasmo dictum. Nomen ex graeco μερὶς (*pars*) derivatum. De hujusmodi chartis frequens mentio, et haud rara in Neapolitani archivi membranis (21) exempla. Earum quaedam subscriptione testium et absolutione Curialis firmatae sunt (22), quaedam vero testium dumtaxat (23), quaedam denique neque testium neque Curialis subscriptionem (24) praeseferunt. Praeterea tot ipsius *Merissis* exempla fiebant quot erant ii, quorum de eadem re intererat (25).

(1) Cf. *Regest. Neap.* nn. 1, 9, 10, etc. — Chartulam integram habes n. 251, 449, 469, 542, 628; item venditionis factae ab homine servilis conditionis n. 579.

(2) Cf. *Regest. Neap.* nn. 5, 34, 41 etc. — Chartulam integram habes n. 451.

(3) Cf. *Regest. Neap.* nn. 2, 4, 6, 57 etc. — Chartulam integram habes ibidem n. 82, 520, 620.

(4) Cf. *Regest. Neap.* nn. 17, 355.

(5) Cf. *Regesta Neap.* nn. 8.

(6) Cf. *Regest. Neap.* nn. 70, 80, etc.

(7) Cf. *Regest. Neap.* nn. 305, 326, 530.

(8) Cf. *Regest. Neap.* nn. 15 — Chartulam integram habes ibidem n. 329.

(9) Cf. *Regest. Neap.* nn. 14, 138.

(10) Cf. *Regest. Neap.* n. 355 — Quomodo autem chartulae in Liburia *abberare* deberentur ex *Pacto* Arechis Principis vide infra.

(11) Cf. *Regest. Neap.* nn. 81, 110, 302, 377, 593.

(12) Cf. *Regest. Neap.* nn. 13, 15, 21, 63, 150 — Integram etiam chartulam promissionis per *convenientiam securitatis* post iudicium habes ibidem nn. 528, et 254, 301, 378, 506, 524.

(13) Cf. *Regest. Neap.* nn. 22, 137, 196, 402, 404 etc. — Integras testamenti chartulas habes ibidem nn. 514, 640.

(14) Cf. *Regest. Neap.* nn. 343, 551.

(15) *Regest. Neap.* n. 27. Cum autem charactere curialisco litterae *r* et *s* ob earum similitudinem facile confundantur, pro *caupsata* vel *caubsata* aliquando *caubrata*, ut in *Regest. Neap.* n. 81 et alibi, lectum fuit. Ibi ego de quodam vocis etymo hariolatus sum. At si ibidem et in aliis similibus locis *caubsata* i. e. cassata legatur, omnia plana erunt.

(16) De instrumento, quod dicebatur *Introductum* et inter acta Curialibus propria Claritius recenset, heic non ago; ad posteriora enim tempora pertinet, cum nulla eiusdem instrumenti in membranis nostris mentio, nullum exemplum occurrat.

(17) Cf. *Regest. Neap.* nn. 482, 507.

(18) Cf. doc. anni 941 ap. FEDERICI, *Degl' ipati di Gaeta*, p. 188.

(19) Cf. doc. anni 939 in R. N. A. M. t. I, p. 117; et CAMERA, *Mem. stor. di Amalfi*, t. I, p. 169.

(20) Cf. *Consuet. Surrent.* § 12 et ap. CHIARITO *l. c.*

(21) Cf. *Regest. Neap.* nn. 219, 223 in duobus exemplaribus, 234, 240, 250, 274, 283, 310, 377.

(22) Ita in docc. supra cit. nn. 240, 250, 283, 310, 377.

(23) Ita in docc. supra nn. 223, 234, 274.

(24) Cf. *Regest. Neap.* nn. 219.

(25) Cf. *Regest. Neap.* n. 223.

Hujusmodi instrumentum aliquando vocatur etiam *chartula notitiae*, vel *notitia*, vel etiam *notitia divisionis* (1). Cum autem ipsa chartula a testibus subscripta erat, vocabatur *notitia testata* (2).

Esfalia seu *chartula esfalie*, cui aliquando additur etiam vox *idiosceri*, tunc temporis erat instrumentum, *placitum* etiam aliquando dictum, quo dos vel donatio propter nuptias conficiebatur. Ejus mentio exstat in instrum. anni 959 (3), et exemplum praebet membrana anni 952 (4), qua Iohannes filius q. d. Lauri et Maru, conjuges, cum Annam filiam eorum Iohanni filio Petri Calciolarii *statuto placito* despondissent, donant eidem sponsae petiam terrae in Piscinula, et portionem hereditariam eidem spectantem neque donatione neque testamento in aliquid minuere promittunt. Si autem aliter fecerint, componere spondent poenam librae unius byzantiae, ipsa *chartula donationis exfalia ydiosceri* firma et stabili permanente.

Exfalia idiosceri, ut R. N. A. M. editores recte adnotant, sunt vocabula ex graeco ἰδιόχειρον ἀσφαλείας derivata et corrupta, quae *chartulam securitatis propria manu* scriptam denotant (5). Posterioribus temporibus vox *esfalia* primo in *ipsaliam*, deinde in *psalliam*, ut in Consuetudinibus Neapolitanis, mutata; unde Napodanus in suo ad easdem commentario vocabulum a laetitia derivatum putavit; « nam in nuptiis, ut ipse inquit, consuevit gaudium et cantus intervenire et propterea istud dicitur instrumentum psalliae, quia intervenit in contractu laetifero » (6). Claritius et Pecchia etymologiam hanc recte irrident, at nullam aliam meliorem exhibent (7).

Gesta denique vocabatur instrumentum supremam alicujus defuncti voluntatem continens, ex *dictis et testificationibus* illorum, coram quibus testator de rebus suis disposuerat, expressam, et a Curiali sub eorum fide in scriptis redactam (8). De hac *dispositi* vel testamenti speciali forma notitiam habemus in doc. anni 952. Quidam Iohannes, ut ibi legitur, filius d. Petri, germanus Theotisti, olim disposuerat *per gestam* ut Anna socera eiusdem Theotisti *domna et domina vite sue esset* cujusdam fundi in Mariliano *et post eius transitum rediret ad Marinum virum ejusdem Theotisti* (9). Idem ex documenti summario aetatis incertae, sed verisimiliter saeculi XI, quod hujusmodi instrumenti naturam explicat, eruitur: « Maria, ibi dicitur, filia q. Pandulfi Caracculi condidit *gestum* in defectu testamenti et inter alia legata legavit monasterio Ss. Severini et Sossii sive offeruit idest de portio fundum cum . . . et integra terra ipsius Marie que nominatur Flattajacone positis vero in loco Panicocoli etc. (10) » Pretiosiorem notitiam ad rem praebet doc. anni 999 majoris certe momenti et ponderis. In eo memoratur *exemplaria gesta dispositionis* cuiusdam Annae filiae Stephani de Pipera, cuius *authentica recondita fuerat in archivo Curie* (11). Unde et archivum Curiae Neapoli, et ritus a jure civili deductus et usque ad haec tempora apud nos servatus eruitur, quo quaedam acta in publico archivo reponenda esse statutum erat, ut perpetuam haberent firmitatem (12). Ex his verisimiliter huiusmodi testamentis nomen *gesta* inditum.

(1) Cf. *Regest. Neap.* nn. 68, 98, 302, 351, 450, 482, 591.

(2) Cf. *Regest. Neap.* nn. 524, 636.

(3) Cf. *Regest. Neap.* n. 105.

(4) V. doc. ibidem n. 79.

(5) In R. N. A. M. t. II, not. VI — In docc. Amalphitanis huius aevi, olim in tabulario monasterii S. Laurentii adservatis, quae saeculo superiore, transcripta fuerunt in cod. Perris, habetur *Idiochirum* anni 1007, n. 55, et memoratur *charta idioscerum* in instr. an. 1112, n. 99. Erat vero instrumentum dotale. Cf. *Consuet. Amalph.* tit. V, ac Chiarito, *O. c.* p. 8 et Camera, *O. c.* p. 90.

(6) V. *Consuet. Neap.* rubr. XII *De instrum. conf. per Curiales*, cons. 6 et Napodani glossam in ipsam t. II, p. 181, edit. 1770, et Chiarito *l. c.*

(7) Cf. Chiarito *l. c.* et Pecchia, *O. c.* t. III, p. 291.

(8) *Consuetud. Neap.*, rubr. XII. *De instrum. confectis per Curiales*, cons. 5 — De hoc instrumento agunt etiam *Consuetud. Surrenti*, rubr. 53 *Cum quot testibus valeant gesta*. Cf. Chiarito, *O. c.* p. 4, et Volpicella L. *Le Consuet. di Sorr.* p. 64.

(9) Cf. *Regest. Neap.* n. 76.

(10) *Indice delle Pergam. del Monist. dei Ss. Severino e Sossio* n. 790 in regio Archivo. Cf. Chiarito *l. c.*

(11) Cf. *Regest. Neap.* n. 312.

(12) L. 27, C. *De donationibus* (VIII, 27) et Cod. Theod. L. VIII, tit. 12, l. 5, *eodem*.

In omnibus his actis quaedam certae et constantes formulae habebantur. Quodcumque enim istrumentum a Curiali confectum ab invocatione Domini initium sumebat. In pluribus praeterea quaedam alia invocatio in superiore membranae ora etiam adscribitur, quae est semper huiusmodi: *Christe fave;* semel tantum mutata sic: *Christe fave opitale domine noster.*

Post invocationem Domini sequebantur notae chronologicae imperatorum byzantinorum ac diei mensis et indictionis, totis litteris descriptae, quibus accedebat mentio loci, ubi instrumentum conficiebatur, qui fere semper erat Neapolis. Notae autem imperatorum, uti in vol. I adnotavi, epocham imperii a calendis septembris, postquam qui Byzantii imperabat coronam sumpserat, praeseferebant, quod Di Meo minime animadvertens quasdam chartas male falsas vel in numero annorum erratas fuisse suspicatus est. Annus aerae vulgaris nunquam apponitur.

Notas chronologicas excipiebant nomina contrahentium ac contractus ratio et conditiones. In chartis venditionis, permutationis, oblationis, donationis et similium, formula, qua Curiales utebantur, ordinaria haec erat: *Certum est me* vel *nos a presenti die promptissima voluntate vendidimus, commutavimus, offerimus* etc. (1)

Rerum autem, de quibus in eis agebatur, fines erant, saepe etiam per mensuram, designati a *capite* et a *latere* ac ad quatuor coeli plagas. Si contractus dominii vel possessionis translationem inferebat, ipse cedens declarabat nihil inde sibi reservavisse, ita ut ab eo die et deinceps res vendita vel commutata aut oblata et donata in potestate esset illius cui data erat, qui neque a se neque a suis haeredibus haberet *aliquam quamcumque requisitionem.* Praeterea venditor rem ipsam promittebat *defensare ab omni homine omnique persona* pro eo quod acceperat pretium eiusdem. In aliis contractibus sive locationis et emphyteusis sive ordinationis conductor et emphyteuta fundum vel terram locatam vel concessam colere et meliorare atque *custos* ecclesiam sibi traditam custodire promittebat *in eo tenore* scilicet: iis conditionibus, quibus conventiones ipsae fieri consueverunt.

Quaedam vero in aliquibus actis, in quibus conventio ex antecedentibus causis vel factis procedebat, varietas in consueta locutione inerat; instrumenta enim in illis casibus hac formula incipiebant: *Visus itaque fuit* N. vel *Visi itaque fuerunt* N. N. facere, vendere, disponere etc. ita ut, quae anteacta erant et conventioni occasionem dabant, exponerentur. Nec aliter res sese habebat in chartis iudicatus. *Orta intentione inter* N. et N. de aliqua re, hi in iudicium ibant ante iudices publicos, qui, rationibus ex utraque parte exceptis, atque earum documentis et testibus relectis ac excussis, sententiam ferebant, sacramento, ut plurimum, ad causam definiendam recepto. Hae chartulae, in quibus res anteactas Curialis recitabat vel exponebat, pro ipsius contractus natura *recetativae* promissionis, venditionis, redditionis etc. dicebantur (2).

In testamentis denique adhibetur formula: *Dispositum factum a me* etc. ac in instrumentis divisionum: *Merissis divisionis facta a me* etc. vel *Combenit denique* etc. De utrisque his actis supra dixi. In omnibus denique contractibus poena sive mulcta in eos erat statuta, qui pacta conventa violare praesumpsissent; et praeterea cum bonorum oblationem pro Dei amore et redemptione animae piis locis factam continebant, eos, qui contra ipsam venire ausi fuissent, imprecationibus et dirarum comminationibus execrabantur (3).

In cuiuscumque contractus conclusione ii qui sese obligaverant, et litteras sciebant, nomina sua, qui vero nesciebant, signum crucis, quod eorum esse Curialis testabatur, in membrana apponebant. Si quid vero in eo ex oblivione omissum fuerat, aut serius, ad aliquod conventionis pactum declarandum vel firmandum, obvenerat, illud sive ante sive post contrahentium subscri-

(1) Ex omnibus Curialium instrumentis, quae usque adhuc evolvere potui, unum tantummodo inveni, ubi formula: *Ideoque ego Petrus* etc., in langobardicorum instrumentorum initio frequentissima adhibeatur. Cf. *Regest. Neap.* n. 374.

(2) *Regest. Neap.* nn. 556, 587, 612, 622. Exemplum chartulae huius generis habes n. 524.

(3) *Regest. Neap.* nn. 40, 49 etc.

ptiones adiiciebatur, hac formula: *et hoc recordando ... hoc memorando firmamus*, vel: *et hoc memorati sumus sub manibus nostris* etc.

Testes deinceps, si ad Curialium ordinem non pertinebant, scriptura langobardica vel latina (1) et aliquando litteris graecis maiusculis (2), nomine patris et titulo expressis, se subscribebant; si vero ex ordine erant littera curialisca, et absque patris nomine. Cum autem de venditione agebatur, praetium solutum fuisse ipsi insuper testificabantur.

Instrumentum denique, ut ante dixi, sive a Curiali scriptum, sive ab eius discipulo vel ab alio scriptore (quod in fine ante partium et testium subscriptiones notabatur), Curialis ipse complebat et absolvebat.

Aliquando, cum partes in re aliqua se se ad invicem una eademque stipulatione obligabant, duo similia instrumenta conficiebantur, quae pari tenore, ab eodem Curiali et fere semper iisdem testibus intervenientibus erant conscripta, sed alterum eorum ab una parte, alterum ab alia subscribebatur (3). Pluries in nostris membranis istorum instrumentorum, quae *chartae consimiles* dicuntur, fit mentio. In membrana siquidem anni 1074 Leo Bispulicco promittit Petro germano suo, ut si alteruter eorum absque proprio herede decesserit, portio ipsius, salvo legato pro anima, portioni alterius accresceretur, *sicuti et quomodo continet in omnibus illut alia et tale simile chartula* quam Petrus ipse Leoni *exinde* fecerat (4). In alia membrana anni 1094 Petrus Sapacci, presbyter, a Congregatione monachorum monasterii Ss. Theodori et Sebastiani ordinatus *custos* in ecclesia S. Ianuarii Spoliamorta, obligat se ad omne officium sacerdotale ibi faciendum *sicuti et quomodo continet alia simile chartula* quam ipsa Congregatio eidem fecerat (5). Ita et alibi (6). Neque aliter in *libellis* ann. 1110, 1113, et 1115, in quibus emphytheuta *libello* a se scripto petit a domino concedente, ut *unus ex duobus libellis uno tenore conscriptis et manu propria* ab eodem *subscripturis* ipsi *concedere iubeat* (7). Exempla vero harum duarum chartarum consimilium, quae apud notarios *pariclae* et *appares* vocabantur (8), atque duorum libellorum habemus in membranis archivi Neapolitani, uti videre est supra p. 8-11, in R. N. A. M. et in *Regestis Neapolitanis* (9). Aliquando una ex duabus chartulis, quae consimilium denominationem habebant, breviter erat transumpta, et ob hanc causam *recapitulata* etiam vocabatur. Huiusmodi chartularum mentio exstat in istrum. anni 1094, ubi conductores pro certis pactis a locatore statutis *ad alia simile chartam recapitulata* se remittunt (10).

Quod autem ad istorum actorum, quae a Curialibus conficiebantur, stylum et linguam attinet, satis est adnotare in illis non secus ac in aliis tabellionum eiusdem aevi actis summam, uti infelix aetas requirebat, occurrere barbariem. Ibi enim nulla sermonis proprietas, nulla grammatices ratio, nulla aut fere nulla orthographicarum regularum in vocibus scribendis norma, ita ut saepe alicujus vocis syllaba finalis verbo sequenti copulata sit, vel littera initialis, quamvis consonans, in versu antecedenti relinquatur, aliis vocis litteris ad sequentem translatis. De Curialibus igitur idem, quod de notariis illius temporis summus Muratorius, numquam sine honore commemorandus, asseruit, dicendum est; tantum scilicet in scripturis eorum tum verborum, tum

(1) Nihilominus exstat aliquod exemplum testis non Curialis, qui se littera curialisca subscribit. Ita in instrum. anni 988 *Stefanus filius d. Sparani;* in instr. an. 1027 *Stefanus filius d. Petri* et instr. an. 1032 *Iohannes filius d. Stefani.*

(2) Post annum 1058 subscriptiones litteris graecis majusculis non amplius invenio.

(3) In instr. an. 1160 legitur: *ad majorem cautelam ambarum partium fuit conventum quod de predictis omnibus debeant fieri duo consimiles securitatis chartae — Notam. instr. S. Sebast.* n. 109. V. Chiarito, *O. c.* p. 105.

(4) *Regest. Neap.* n. 519.

(5) *Regest. Neap.* n. 560.

(6) *Regest. Neap.* n. 376.

(7) *Regest. Neap.* n. 597, 608, 613.

(8) Cf. Mabillon, *De re dipl.* L. I, c. 2.

(9) *Regest. Neap.* n. 138 (R. N. A. M. t. II, p. 119-122), n. 165 (t. II, p. 162-164), n. 270 (*Ibid.* t. III, p. 109-111), n. 277 (t. III, p. 124-126), n. 414 (*Ibid.* t. IV, p. 196-198), n. 568 (*Ibid.* t. V, p. 213-215), n. 631 (*Ibid.* t. VI, p. 86-91).

(10) *Regest. Neap.* n. 571.

sententiarum confusionem inesse, ut saepe quis scripturae sensus, quae sit contrahentium intentio, etiamsi serio mediteris, vix assequaris » (1).

Nihilominus ex hac domestica barbarie, quae Curialium acta infuscat, aliquid utilitatis nunc percipi potest. Primordia enim italicae linguae in illis documentis saepe deprehendes, et multa Neapolitanae dialectus, quae adhuc sunt in honore, vocabula accipies: reliquias, nî fallor, illius vulgaris et rustici sermonis, quo militares viri aut plebecula Romae utebantur, etiam tunc cum apud meliores latini sermonis integritas vigebat. Horum vocabulorum quaedam in notis ad *Regesta Neapolitana* explicavi vel explicare studui (2), et omnia in glossario in fine operis proponam.

Alia chartularum genera erant *verbora*, quae nunc explicanda sunt. Ego hanc *verbi* appellationem a vocabulo *breve* apud Langobardos usitato et apud nos derivatam et inde corruptam puto. Eadem enim, ut plurimum, scripturae qualitas, eadem paene vocis forma et pronunciatio (3).

Utcumque sit certe *verbum* (4), quod nec testes subscribebant, nec Curialis complebat, atque ideo inter acta, quae privata dicuntur, adnumerandum esse existimo, apud nos aut sigillatum vel in membrana *epistolariter sigillatum* (5) et in membrana *epistolaria* scriptum erat. Alterius exemplum in diplomate Sergii, ultimi Neapolitanorum ducis, supra p. 79 relato, habetur (6); alterius, quod verisimiliter sigillatum non erat, in instrum. anni 925 mentio tantum exstat (7).

Chartulae denique aliae originales erant, aliae exempla. Originalis *chartula* dicebatur *authentica*, exemplum *chartula exemplaria*. Has duplici forma confectas in archivi Neapolitani membranis invenio. Quaedam enim sunt exempla ab eodem Curiali, qui instrumentum scripsit, completa et absoluta, sed subscriptiones vel omnium testium vel alicujus ex eis et aliquando etiam contrahentis qui scribere sciebat, aliena manu, scilicet ipsius Curialis, signatas habent. Id tum ex ipsarum subscriptionum charactere, tum ex punctis, quae testium et contrahentium nomina sequuntur, et ex nota inde adjecta: *similiter* i. e. in simili forma ac in autographo; vel: *alia manu* i. e. manu diversa, ab illa subscribentis facile colligitur. Ita videre est in instrum. ann. 921, 927 et 932 (8). Eas verum nullo vel brevi temporis intervallo ab originalibus exemplatas fuisse dicendum est, nam et Curialis et aliquis testium adhuc in vivis tunc erat. Haec exempla eamdem, uti videtur, vim et fidem ac originalia habebant.

Alia vero sunt exempla a Primario et Tabulario Curiae pluribus post annis confecta. Ipsorum formam in *Consuetudinibus Neapolitanis* praescriptam legimus, et in multis hujus aevi membranis, quae adhuc supersunt, servatam videmus. « Instrumenta, ibi statuitur, confecta et completa per Curiales Neapolis, ubi exemplari et authenticari petuntur per litteram, quae conficitur per Curiales Neapolis, propter vetustatem chartae vel aliam causam, exemplantur manu propria Tabularii et complentur per.... Primarium, ipsumque instrumentum sic exemplatum seu authenticatum robur habeat tale quale ipsum originale, ex quo ipsum exemplum est sumptum (9) ». Iuxta vetustissimum igitur hujus consuetudinis ritum, pars, cuius intererat, instrumentum originale sive

(1) MURATORI, *Antiq. Ital.* t. I, p. 666.

(2) *Regest. Neap.* ad pp. 106, 127, 158, 250, 255, 301, 319 etc.

(3) Diplomata ducum, quae supra retuli, memorant *chartulas*, et *scriptiones*, *verbora* et *preceptora*. V. supra p. 23, 37 etc. 84.

(4) *Breve* vel *brebe*, ut plurimum, erat apud Langobardos chartula ab ipsis contrahentibus scripta, cuius exemplum a quodam Imed Tendanco anno 800 confectum habetur in *Chron. Vulturnensi* ap. MURATORI R. I. S. t. I, p. II, p. 377. Postea Adelchis princeps Beneventi (a. 854-888) in suo Capitulari § 8 id prohibens decrevit, *ut soli notarii brevem scriberent*, *sicut et cetera munimina*. Apud eosdem memoratur etiam *breve sigillatum*. Cf. doc. an. 945 in BORGIA, *Mem. stor. di Benev.* t. III, p. 24.

(5) *Regest. Neap.* n. 482, 636.

(6) In fine diplomatis legitur: *oc berbum.... pro ampliore ejus firmitate manu nostra propria* (i. e. ducis Sergii) *subscrissimus et anulo nostro subter sigillari precepimus*.

(7) Cf. *Regest. Neap.* n. 28.

(8) *Regest. Neap.* nn. 7, 14, 21.

(9) *Consuetud. Neap.* rubr. cit. cons. 5.

apographum, eisdem Primario et Tabulario, ut exemplaretur, exhibebat. Tunc Tabularius, uti ex relatae consuetudinis praescripto et ex ipsis exemplorum quae supersunt characteribus erui potest, instrumentum ex membrana originali transcribebat *(relevata)*, et in fine textus post aliquot puncta notam adjiciebat sic: .... *alia manu;* itemque post contrahentium subscriptiones. Deinde post trium testium nomina, reliqua testificationis formula omissa, adnotabat, item post aliquot puncta..... *nam testi*..... *iterum testi*.... *similiter testi.* Denique post absolutionem Curialis, qui instrumentum originale stipulatus fuerat, etiam adnotabat vel: ..... *alia manu*, vel: ..... *eadem manu*, scilicet illius forsitan qui, ut ego existimo, superiores tantum subscriptiones repeteret.

His peractis, Primarius et Tabularius *chartulam exemplariam*, postquam *a singulis relecta* fuerat, pro ampliore eius firmitate *manu propria* se subscribebant, aliquando nulla temporis nota ibi signata, aliquando anno impp. die mense et indictione adnotatis.

Unam hujus regulae exceptionem in Neapolitani archivi membranis invenio, scil. exemplum instrumenti a solo Andrea Primario et Scriniario in anno 935 confectum. Quae autem eiusdem rei causa fuerit explicare nequeo; nisi quis suspicari velit id ex eo forsitan effectum fuisse quod regula ipsa adhuc statuta non fuerit. Et quidem exemplum omnium, quae supersunt, antiquissimum est. Verisimiliter quod postea Primarius et Tabularius ex Neapolitana consuetudine in instrumentis exemplandis, conficere debebant, id olim Primario tantum, qui Scriniarii etiam munere fungebatur, tributum.

Instrumentorum, quae a Primario et Tabulario secundum formam supra expositam confecta fuerunt, praeter tria diplomata superius relata, quatuordecim adhuc exemplaria in Neapolitano archivo supersunt. Eorum notitiam infra lector in notis reperiet (1).

Haec habui, quae de Curialibus et de actis eorum dicerem, quorum tanta apud Neapolitanos et tam singularis prae ceteris notariis usque ad saeculum XIV auctoritas.

(1) Exempla, quorum annus est certus, haec sunt. 1. Instrumentum anni 914, exemplatum anno 948. *Regest. Neap.* n. 2 — 2. Instrum. anni 917, exemplatum anno 1093. *Ibid.* n. 5 — 3. Instr. anni 948, exemplatum item anno 1093. *Ibid.* n. 65 — 4. Instrum. anni 1002, exemplatum item an. 1093. *Ibid.* n. 318 — 5. Instrum. an. 1017, exemplatum an. 1081. *Ibid.* n. 373 — 6. Instrum. an. 1025, exemplatum anno 1072. *Ibid.* n. 402 — 7. Instrum. anno 1076, exemplatum anno 1103. *Ibid.* n. 523 — 8. Instrum. anni 1120, exemplatum ex alio exemplo anni 1140 in anno 1181. *Ibid.* n. 623 — Exempla vero anni incerti sunt: 1. Instrum. an. 917. *Regest. Neap.* n. 4 — 2. Instrum. an. 930. *Ibid.* n. 16 — 3. Instrum. an. 932. *Ibid.* n. 22 — 4. Instrum. anni 943. *Ibid.* n. 49 — 5. Instr. anni 943. *Ibid.* n. 50.

VI.

CAPITULARIA ET PACTA

PRAEFATIO

Monumentorum, quae heic denuo in lucem prodeunt, utilitas et praestantia certe neminem, qui ad ea animum, quantumvis obiter, adverterit latere potest. Ex eis enim apte, si minus plene, eruitur quis neapolitanorum reipublicae domi forisque status sub ducibus, quae eorum cum Langobardis foedera fuerint, qui civium ordines, quae denique diversorum hominum conditiones et fortunae; omnia quidem alibi vel parum cognita vel omnino incognita. Verum malo neapolitanae historiae fato monumenta ipsa in codd., ut plurimum, mendose transcripta sunt, nec errores ex variorum codd. comparatione corrigi possunt, singula enim e singulo et uno cod. originali oriuntur; quin immo unum ex eis mancum etiam et fine carens nobis nunc superest.

1. *Ut autem singillatim de ipsis dicam, pacta quae primo loco repeto, ex cod. archivi Cavensis membranaceo saeculi XI, n. 22 signato, qui* Codex legum langobardicarum *inscribitur, eruta sunt. De eo, iam doctis viris vulgato* (1), *ne crambem coctam recoquere videar, hoc unum meminisse satis est: illum scil. saec. XI ineunte (1104-1124) verisimiliter in principatu Capuano compositum et deinde anno 1263 ab archipresbytero Casalis rupti in Apulia, ubi, nescio quo fato, pervenerat domino Goffrido vestarario et domino Alebrandino* armario *(i. e. archivario) eiusdem monasterii inter bona ecclesiae S. Angeli ibidem positae traditum, et in ipso coenobio repositum, ac iam inde ab eo tempore usque nunc religiose servatum fuisse. In hoc cod., a f. 201 ad 204, habetur* Pactum *principis Arichis cum duce neapolitanorum ictum, et deinde, a fol. 205 ad 207,* Pactum *Iohannis (III) ducis cum Landulfo, Atenulfo et alio Atenulfo principibus Capuae repetitum: in cuius fine videtur imago illa ipsius Iohannis, quam lithographice expressam in secunda tabula primi vol. dedi.*

Utrumque monumentum pluries editum fuit. Primo Peregrinius typis unum et alterum vulgavit in sua Historia Principum Langobardorum *t. II, p. 339-342: (unde Pratillius t. III, p. 198), Muratorius in R. I. S. t. II, P. I. p. 330, et Cangiani in* Barbarorum leges antiquae *t. 1, p. 263. Post hos, paucis abhinc annis, vir clariss. Bluhme in M. G. H.* Leges *t. IV, p. 213-221 (unde Padelletti,* Fontes iuris Italici medii aevi *p. 311-312) iterum ipsa prodidit, textu in capita distincto, numerisque ad singula capita adiectis, atque in locis*

mutilis suppleto. Nuper denique ad fidem ipsius codicis reverendissimus d. Bernardus Gaetani Casinensis, olim Perusinus abbas, nunc episcopus Sitinensis et Sancti Severi in Apulia coadiutor, in Codice Diplom. Cavensi *t. III, p. 244-248 amborum documentorum editionem iteravit.*

Utrumque praeterea monumentum Liburiam respicit, illam scilicet regionem, quae inter Neapolitanos et Langobardos contermina et communis erat. De ea vero primitus Arechis, Beneventi princeps, cum Neapolitanis pactus fuit, atque, uti recte Peregrinius observat (2), *nec semel, nec una forma: alias enim certos fundos, agros et homines, qui ad comitatum Capuanum pertinebant, eisdem Neapolitanis, si recte* Pacti *locum intelligo, per* capitularem, *concessit atque postea ab ipsis* aliquandiu *redemit; alias etiam pactum cum iudice Neapolitanorum de Liburia, quod inferius dabitur, constituit; alias demum* Neapolitibus, qui a Langobardis diutina oppressione fatigati erant pacem cessit, eisque diaria in Liguria et Cimiterio per incolas sancita dispensione misericordie vice distribuit (3).

Haec autem foedera inter se omnino diversa esse mihi dubium non est; nam in pacto nunc superstite, ut Peregrinius quoque adnotat, neque de diariis distributis, neque de Cimiterio ulla mentio, et contra in ipso capitularis *iam prius Neapolitanis concessi notitia habetur, ita ut alterum ab altero plane diversum se se ostendat.*

Praeterea quamvis ex obscurissimis atque ambiguis Erchemperti verbis nîl certi de foederis substantia conjici possit, tamen id mihi, nî fallor, satis clarum videtur, ipsum scilicet circa annum 786 ictum fuisse, et aliis duobus aliquando antecessisse. Neapolitanos enim usque ad ea tempora continue a Langobardis bello lacessitos nunquam cum eis pacem conficere potuisse et Arechim non ante quam capta et subiugata a Carolo Magno Italia audisset Francos super se adventare, *eidem paci consuluisse ex ipso Erchemperto discimus, quod minime is dicere posset si pactum de Liburia et capitulare in eo memoratum idem tempus praecessissent. Nequaquam igitur Peregrinio, qui* (4) *hoc foedus omnium novissimum putavit, assentiendum esse censeo.*

Quae cum ita sint, pacta, de quibus agimus, hoc ordine componenda esse mihi videntur; primo foedus ab Erchemperto notatum, secundo capitulare, tertio pactum de Liburia. Arechis enim pace inita cum Neapolitanis circa annum 786 eis diaria in Liburia et Cimiterio distribuit. Tunc fortasse vel aliquanto post eis certas terras et homines in Liburia ad comitatum Capuanum pertinentes capitulari nunc deperdito concessit, et vicissim postea recepit. Denique pacto, quod infra subiungitur, consuetudinem, ad cuius normam Liburiae communitas inter utrosque populos regeretur, cum Gregorio, Stephani episcopi filio, tunc (5) *duce Neapolitanorum, constituit.*

Denique utcumque sit, certe pactum hoc postea a Neapolitanis irritum factum fuit, ut compositor codicis originalis in quadam nota, probabiliter ad marginem apposita, animadvertere voluit, quam deinceps exscriptor cod. Cavensis in ipsius pacti textu interpolavit. Quo verum tempore id evenerit nulla certa indicatione ibi denotatur. Attamen cum in cod. pactum Arechis nullo titulo, nulla capitis distinctione post Adelchis capitulare, adscriptum sit, et in fine etiam eiusdem pacti fol. 205, non eadem manu, sed tamen coaeva, in media pagina

legatur: Capitulo Adelchis principis, *non temere argui potest, pactum ipsum, quod Neapolitani rumpere tentaverant, tempore Adelchis denuo eisdem verbis firmatum fuisse, ita ut huic principi sive compositor cod. originalis, sive exscriptor cod. Cavensis illud omnino tribuerit, et, quasi articulum praecedentis Capitularis, absque ullo discrimine in libro transcripserit. Haec est etiam Bluhmii coniectura* (6).

2. *Ceterum subsequentibus temporibus pactum denuo procul dubio renovatum fuit, semel ante diem 2 mensis iulii XIV indict. (an. 911) cum Gregorio duce Neapolis, iterum post m. martium anni 933 et ante m. novembris an. 939 inter Iohannem (III) ducem et Landulfum, Atenulfum atque alium Atenulfum, principes Capuae, veruntamen non ipsismet conditionibus ac verbis, quibus vetus fuerat olim conclusum et expressum. Id vero in causa fuit cur ego, Bluhmium in hoc quoque sequutus, non observata temporis ratione, utrumque monumentum coniunctim ad fidem cod. Cavensis prodo, ac etiam aliquibus praecedentium editorum, meisque adnotationibus expono.*

3. *Sequitur* Capitulare Sichardi principis cum Andrea Neapolis duce *anno 836 statutum. Habetur in cod. Ms. membranaceo saeculi XIII vel XIV ineuntis, nunc in bibliotheca Vaticana adservato, et n. 5001 signato, qui olim ad cathedralem Ecclesiam Salernitanam pertinuit, et postea saeculo XVI ad Marinum Frecciam, Ictum neapolitanum* (7). *Capitulare extat a fol. 132 ad fol. 137. Finis deest, sed ex rubricis, ante textum praepositis, argumenta deficientium capitulorum erui possunt.*

Primo illud Peregrinius ex duobus corruptissimis, ut ipse eos vocat papyraceis codd. (8) *exscripsit atque cum quibusdam cod. Vat. variantibus lectionibus ab Holstenio acceptis contulit et vulgavit in laudata* Historia principum Langob. *p. 81 (unde Pratillius, Muratorius, et Cangiani in* Opp. *et* ll. cc.). *Deinceps ipsius cod. Vaticani collationibus et exemplaribus, partim Pertzianis, partim Massmannianis* (9) *usus, cl. vir Bluhme, protulit (unde Padelletti,* Opp. et ll. cc.). *Ego documentum ex Bluhmii editione, ipso codice tamen pluribus in locis in quibus dubius eram iterum conlato, heic repeto et quibusdam animadversionibus et notis instruo.*

4. Pactum Sergii ducis Neapolis, *quantivis pretii monumentum, quod inde rursus edo, usque adhuc doctos viros et patriae historiae cultores latuit. Transcriptum exstat in Cod. Vaticano-Ottoboniano, sign. n. 2940 membranaceo in fol. saeculi XIV exeuntis vel XV ineuntis, ubi, praeter alia, quae ad rem meam non faciunt, ipsum legitur fol. 3. Codex, quandoque mendosus, exemplum antiquioris libri videtur. De eo egi, cum* Pactum *ipsum primo in lucem edidi et illustravi in* Archivio Storico Napolitano (10) *et iterum fusius dicet cl. vir Ioseph de Blasiis, qui in collectione* Monumentorom Historiae Neapolitanae *propediem* Diarium *et* Chronicon *ibi descripta typis vulgabit.*

Ex titulo in capite Pacti *apposito a primo forsitan collectore seu exscriptore discimus illud inventum fuisse in domo Bartholomaei Caraccioli. Hunc ex Neapolitana nobilitate ad sedile Capuanum adscripta, primitus quidem anno 1302 justitiarium Basilicatae atque anno 1309 terrae Bari, deinde eodem anno 1309 magistrum Ostiarium et familiarem regis Caroli II, atque tempore procedente cambellanum et consiliarium regis Roberti, et eius ad Summum Pontificem pro arduis regni negotiis legatum, atque demum anno 1343 ma-*

gistrum Rationalem Magnae Regiae Reginalisque Curiae sub Iohanna I invenio (11). *Obiit die 7 mensis decembris anni 1362, ut ex epitaphio in eius sepulchro, quod olim in b. Dominici sacra aede exstabat, apposito erui potest* (12). *Erat vir humanioribus litteris satis, pro temporum conditione, versatus et patriarum rerum praecipue studiosus. Habemus enim quoddam* Breviarium Neapolitanae historiae *ab eo italice compositum, et regi Ludovico, altero Iohannae I reginae marito inscriptum; in quo omnium primus successiones et facta regum Neapolitanorum a Rogerio I usque ad Robertum regem perstrinxit. Opus eodem saeculo XIV integre insertum fuit in vulgata* Chronica di Partenope, *quae cuidam Iohanni Villano Neapolitano tributa fuit* (13) *atque insequentibus temporibus etiam in* Chronica di Notar Giacomo *sub initium fere saeculi XVI scripta* (14) *et in Contarinii libro cui titulus:* L'antiquità di Napoli (15).

Pactum denuo a me typis vulgatur et adnotationibus illustratur. Cui duci Sergio ex illis eiusdem nominis, qui Neapolitanae reipublicae regimen habuerunt, ipsum tribuendum sit, et quo verisimiliter anno statutum fuerit in notis edisseram.

5. *Postremo* Pactum *sive foedus inter Neapolitanos et Cajetanos anno 1129 ictum ex coaevo membranaceo apographo in Cassinensi archivo adservato (caps. LIV, fascic. XVI, num. CLXXII) dabo. Eius exemplar olim a b. m. viro D. Sebastiano Kalefati, amico dulcissimo, anno 1859 habui. Deinceps anno 1862 cl. vir Ioseph del Giudice illud in* Appendice *ad tom. primum operis, cui titulus* Codice diplomatico di Carlo I d'Angiò *edidit. Antehac vero de eo satis amplam notitiam dederat d. Ioannes Baptista Federici Cassinensis in libro:* Degli antichi Ipati di Gaeta *(Nap. 1791).*

Documentum cum notis iterum ex membrana prodit.

---

(1) Codicem praesertim descripserunt De Rozan, *Lettre a m. le bibliothécaire de la bibl. du Roi de Naples.* 1822, p. 68-78; Pertz, *Archiv. der Gesellschaft für altere deutsche Geschichtkunde* t. V, p. 13, 66; Troya *Cod. dipl. Long.* t. II, p. 60; Vesme *Edicta reg. Lang.* in praef. p. 30; Bluhme, M. G. H. t. IV. *Leges* p. XXX; Gaetani d. Bernardus in *Cod. dipl. Cav.* t. III App.; et Guillaume, *Essai historique sur l'Abbaye de la Cava* p. 163.

(2) Peregrinii, *De pacto Arechis princ.* in Pratilli t. III, p. 191.

(3) Erchemperti, *Hist. Langob. Beneventi degentium* cap. 2.

(4) *Non de hoc sed de novissimo omnium pacto .... locutus certe est Erchempertus.* Peregrinius l. c.

(5) Cf. dissertationem *de Stephano duce et episcopo etc.* t. I, p. 61 et seq.

(6) Cf. M. G. H. *Leges* t. IV, p. 214.

(7) Cod. Vaticani historia et descriptio habetur praesertim in cit. *Archiv.* etc. t. V, p. 131-133, et 371-375.

(8) Cf. Peregrinii dissertationem: *De Erchemperto et ejus historia* ac praef. ad hoc Capitulare in cit. *Historia* p. 19 et 72. Codd. autem chartacei, de quibus doctus vir loquitur, hi fuerunt. 1. Cod. quem Hieronymus de Barone, dux Frisiae e Frecciano exemplari, nunc etiam in bibliotheca Vaticana adservato n. 5000. *manu librarii conductitii ac plane ineruditi*, exscribere curavit. 2. Cod. Andreae Marchesii principis Montismarani, ac regii consiliarii, qui in iis, in quibus primus ille a Vaticano discrepabat, ut plurimum concordans, *quandoque utroque melior, quandoque peior* erat. Huius cod. fortuna

nunc ignoratur. Ceterum ambo ab antiquiore Vaticano processisse videntur. Neque silendum est Lucam Holstenium, in huius cod. collatione, ut ipse monuit et Peregrinius testatur, *coniectura quandoque usum fuisse.*

(9) Bluhme, *O. c.* in praef. n. XI p. 43.

(10) *Arch. Stor. Nap.* Anno 1884.

(11) Ammirato, *Famiglie nob. Nap.* t. II, p. 161; Campanile, *Insegne* p. 105; Della Marra, *Famiglie imparentate* p. 157; Aldimari, *Famiglia Carafa,* t. I, p. 97 a 104.

(12) D'Engenio, *Napoli sacra* p. 283, epitaphium refert, sed in die et mense obitus vel mancum vel corruptum; legit enim *anno 1362 die mercurii 7 ind.* At ego illud ex Ammirati auctoritate sic corrigo: *anno 1362 die mercurii 7 mensis decembris* (qui revera eo anno in diem mercurii incidit) *indict.* I.

(13) Cf. *Fonti della Stor. Nap.* in *Archiv. Stor. Nap.* Anno I, p. 594 e ss.

(14) Haec Chronica non ante ann. 1846 ex cod. Ms. bibliothecae Bracatianae Neapoli typis vulgata fuit.

(15) Liber anno 1569 Neapoli editus fuit.

CAPITULARIA ET PACTA

I.

[PACTUM ARECHIS PRINCIPIS CUM IUDICE NEAPOLITANORUM].

Item consuetudo Leburie (1) et pactum. (a)

Incipit pactum quod constituit domnus arechisi gloriosus princeps cum iudex neapolitanorum (2) de servis et de ancillis et de terris et de legurias (3) et de tertiatoribus (4) que communes est inter partes. 1. (b) In primis de liguria, ut quantum (5) neapolitani per viginti annos (6) usque modo in dominicatu tenuerunt,

(a) *Codex sic absolute incipit. Titulum ego, Peregrinium secutus, ex ipsis documenti verbis suppleo.*
(b) *Numeros, qui in cod. absunt, ego, ut et Bluhmius fecit, ad singula capitula facilius distinguenda addo.*

(1) Hanc *consuetudinem de liburie* laudat instrumentum capuanum anni 1050 (R. N. A. M. t. V, p. 5) de quo infra redibit sermo.

(2) Dux Neapolis per haec tempora aliquando etiam *judex* appellatus fuit, ut Peregrinius auctoritatem *Vitae S. Athanasii*, n. 10, et epistolarum Iohannis VIII PP. (V. t. I, p. 255) afferens, adnotat. Et revera Duces, quia consules quoque erant, summam iudicandi in subditos potestatem habebant, unde frequens in nostris documentis sententiarum ab eis in judiciis latarum notitia.

(3) De *Leguria* vel *Liburia* alibi dicam.

(4) Duo tertiatores *communes inter partes* Langobardorum et Neapolitanorum de fundo Materno in territorio Nolae occurrunt in carta Beneventi celebrata an. 703, cuius exemplum saec. IX exeuntis vel X ineuntis exstat in Neapol. archivo et editum fuit in R. N. A. M. t. I, p. 1. Qui vero fuerint tertiatores et quae eorum conditio infra disputabitur.

(5) *Quantum* scilicet fundorum, terrarum et hominum.

(6) *Per 20 annos.* Terminus viginti annorum non respicit ad aliquam temporis praescriptionem, quae ex iure Langobardorum, non admittebatur inter privatos nisi post triginta annos (Edictum reg. Lang. *Grim.* 4; *Luitpr.* 53; *Astul.* 9); et inter fiscum et privatas post sexaginta (*Luitpr.* VI, 24). Id etiam ius erat apud Neapolitanos, nisi quod inter privatos quadragenaria praescriptio obtinebat. (Cf. *Reg. Neap.* nn. 43 et 217). Mihi igitur potius videtur aliquam notabilem principatus Beneventani et ducatus Neapolitani epocham heic significatam esse, et fortasse annum, ex quo bellum inter utrasque partes, quum Arechis Beneventum dominaretur, primo susceptum fuit.

Nec censum (1) inde in partes langobardorum (2) persolverunt, securiter possideant. Similiter langobardi quantum per viginti annos usque modo in dominicatu tenuerunt, Nec censum inde in partes neapolitanorum persolverunt, securiter possideant. 2. Alia vero omnia fundora (3) fundata, sive exfundatas (a) homi-

(a) *Exfundata sint* corrigit Bluhme; *sed* exfundatas *bene cum illius aevi barbarie congruit.*

(1) *Census, regula* (canon) seu *responsaticum* hac tempestate erant apud Neapolitanos et Langobardos varia illorum onerum nomina, quae de rebus vel hominibus tum reipublicae tum praediorum vel hominum dominis persolvenda erant. Id, quoad publicum attinet, ex diplomatibus Grimoaldi (anno 810) et Pandulphi ac Landulphi Beneventi principum (an. 963) ap. GATTULA, *Acc. ad hist. Casin.* p. 97, 62 et alibi, atque ex diplomate Marini ducis Neap. (an. 975) ap. R. N. A. M. t. II, p. 239 et supra p. 15; nec non, quoad privatos dominos attinet, ex docc. in *Regest. Neap.* nn. 1, 10, 28, 34 etc. adnotatis satis clare erui potest. Quapropter in cartis nostris haud raro occurrunt fundi et terrae, servi et hospites, et homines etiam libertatis vel ingenuitatis speciem aliquam habentes, ut *defisi* et *commenditi*, qui aut his oneribus obnoxii sunt, aut ab eis immunes declarantur. — Praeterea *census* aliquando *consuetudinarius* (Cf. cit. diploma Marini ducis an. 975 supra p. 15 et alibi), vel etiam absolute *consuetudo* (Cf. dipl. Sergii ducis an. 1009, supra p. 22) vocatur.

(2) *Partes Langobardorum et Neapolitanorum*, scil. tum reipublicae Langobardorum et Neapolitanorum, tum privatorum hominum ad alterutram gentem pertinentium. Vox enim *pars* quandoque uno, quandoque altero, quandoque etiam utroque sensu heic et in instrumentis neapolitanis accipitur; pars vero Neapolitanorum saepe *pars militiae*, vel *militiae Neapolitanorum* vel etiam *Romanorum* (R. N. A. M. t. II, p. 248) vocatur. In instrumentis siquidem venditionum, permutationum et similium, quibus proprietas vel possessio alicuius rei transmittebatur, saepissime qui quomodocumque alienat *defensionem*, sive a parte Langobardorum (Cf. *Regest. Neap.* nn. 102, 136, et R. N. A. M. t. III, p. 187; IV, 14 etc.) sive a parte militiae Neapolitanorum (Cf. *Regest. Neap.* nn. 1, 10, 28, 102, 115, etc.) sive etiam ab utraque parte, aut ab omnibus partibus (Cf. *Regest. Neap.* nn. 34, 46, 63, 75, 97, 215, 220, etc.) promittebat.

(3) Antiquioribus medii aevi temporibus in ducatu Neapolitano, ut apud Langobardos, possessiones (*res et substantiae*), de quibus saepe agitur tum in diplom. ducum et in instrum. Neapolitanis tum in docc. ad Beneventanum principatum pertinentibus, praeter principalem eorum distinctionem, in immobiles scil. et mobiles se seque moventes, discernebantur etiam in res *de intus* (i. e. urbanas) et *de foris* (i. e. rusticas), ac in res *vivorum* (vid. conquisitas) et *mortuorum* (vid. haereditarias). Speciatim vero ipsae constabant ex domibus, fundis, terris et hominibus sive servis sive quasi servis. De singulis, praeter domos, quae ad argumentum meum non attinent, nunc heic dicam.

Fundi *(fundora)* ex veteri significatione a Romanis accepta dicebantur agri, quibus aedificia rustica pro colonorum vel servorum familiae habitatione adhaerebant. A fundo terrae aliquot et campi dependebant, ut passim in plurimis docc. videre est (Cf. instrum. ann. 912, 956, 957, 973, 979, etc. *Regest. Neap.* nn. 1, 34, 198, 220) et praesertim in instr. an. 937, ubi memoratur fundus Amulianus in territorio Liburiano, cui undecim campi addicti erant, propriis nominibus descripti (*Reg.* n. 36; Cf. n. 116) et in instrum. an. 960, ubi quidam colonus conducit a monasterio Ss. Sergii et Bacchi ac Ss. Theodori et Sebastiani fundum in loco Pumilianum, massa Atellana, cum 12 petiis de terra ex eo pertinentibus (*Reg.* n. 110). Alia exempla praetereo.

Fundi autem dividebantur in *fundora fundata* et *exfundata*. (*Regest. Neap.* n. 50; supra p. 6. Item UGHELLI, *O. c.* VI, p. 696). *Fundora* fundata erant illa, in quibus homines sive servilis sive quasi servilis conditionis ad agros colendos *(laborandos)*, adscripti erant, ita ut pars fundi fierent. Ex iis, qui proinde etiam *fundati* dicebantur, hac tempestate erant *tertiatores*, de quibus infra, et *hospites*, quorum nomen, alio obliterato, deinceps invaluit. Inter membranas Regii Archivi quoddam instrum. an. 978 adhuc forte fortuna habemus, quo Petrus et Stephanus filii *de Trasari*, qui fuerant monasterii S. Sebastiani *hospites et serbi partibus militie et partibus Langobardorum*, eo quod eis et heredibus eorum licentiam domini concesserant a libero maritare et uxorare, promittunt ut amodo et semper

nes (1), et terras (a), quibus solidi non sunt dati, dividimus per medium (2). 3. Terras autem, in quibus solidi dati sunt per scripta, firmantes ipsas cartas inter partes per sacramenta cum tribus personis intus domum suam (3), si voluerimus ipsas terras inter partes recolligere (4), Licentiam habeant neapolitani reddere medietatem ex ipsi solidis, Et langobardi similiter, et dividere ipsas terras per medietatem. Sin autem, dividantur in tres partes: Unam partem tollant langobardi, Aliam neapolitani, et aliam qui ipsos solidos datos habent, Facientes inter utrasque partes talem firmatione in scriptis, ut a tunc securiter langobardi tertiam partem, et neapolitani tertiam, Et ipsi homines qui ipsos solidos (b) habent, tertiam partem securiter possideant. 4. Et fundora vel terras, que in partes langobardorum venerint in sortem, nullo modo ipsi homines qui habitant in ipsa fundora (5), possint infidu-

(a) In *supplet Bluhme ex conjectura.*
(b) Datos *item supplet Bluhme.*

ipsi et heredes eorum masculi *fundati* et serbi eiusdem monasterii esse deberent in *tertia de fundum* ex loco Casaurea in territorio Liburiano et dare et persolvere deberent omne *serbitium et censum seu consuetudine* sicuti fecerant et dederant ipsi et parentes eorum eidem monasterio ac antecessoribus et auctoribus eiusdem. (*Regest.* n. 215). Hujusmodi acta in principatu Beneventano *fundamenta*, ut videtur, appellata fuerunt. In quibusdam documentis enim in *Chronico monasterii S. Sophiae* collectis memorantur *territoria ex fundamentis pertinentia sacro palatio vel terras ex fundamento fundatas* (Ughelli, *Italia sacra*, t. VIII, p. 651).—Ibi praeterea occurrunt etiam *munimina exfundata* (p. 602), quae proprie significasse videntur ea dominorum in fundis iura vel ex empto vel ex successione ab eis adepta, quae originariis *fundamenti* actibus carebant. *Continent enim,* ut in eisdem documentis legitur, *hereditates illas, que tenere videtur .... pars eiusdem cenobii, et unde nec offertiones neque titulum alienationis non habet ... ut licentiam et potestatem habeant ... ipsa munimina ad legem ostendere.*

Fundora vero *exfundata* vocabantur ea, quae homines in ipsis fundatos non habebant, aut quibus illi, qui in ipsis erant, sese inde *exfundaverant,* i. e. extraxerant. Inferius n. 10 memoratur legitimus ritus, quo tertiator, secundum antiquam consuetudinem, sese e fundo extrahere poterat, ubi vide sis.

Praedii vero tum *fundati* tum *exfundati* specimen aliquod deprehendi potest in ipso *fundo* Amuliano, de quo supra mentionem feci. Anno siquidem 937 Iohannes filius d. Theophilacti comitis castri Cumani in ius vocavit Campulum militem, Stephanum item militem et Mariam, omnes filios Iohannis, *parentes et consortes,* pro dicto fundo *exfundato* cum campis ad eum pertinentibus, quem olim Palumbus et Iohannes, genitor et filius, *fundati de parentibas suis* tenuerant et *laboraverant.* Id pars adversa omnino negabat, et ad se ipsum fundum pertinere et Palumbum et Iohannem *fundatos de parentibus suis fuisse ex munitionis chartulis*, quas ostendit, contendebat. Proinde, praestito ab ea *sacramento,* actor liti renuntiat et *securitatis* chartulam facit. V. *Regest.* n. 36.

(1) Vox *homines* heic, ut ex contextu patet, et infra n. 4, uti recte conjici potest, nec non in plurimis docc. sive Langobardorum (R.N.A.M. t. V, p.8, 271, 374 etc.) sive Neapolitanorum *(Reg.* nn.338, 418 etc.) servorum vel quasi servorum significatione adhibetur. Ex eisdem etiam docc. elicitur eos et heredes eorum in dominorum possessione fuisse cum ipsorum *fundoras et cum terras fundatos et ex fundatos et cum cespitibus et consuetudinibus et cum angarias, et dationes et adiacentibus eorum* (*Reg. cit.* n. 418).

(2) Divisio memorati fundi Amuliani in territorio Liburiano, cuius medietas ad Gari exercitalem Langobardum a partibus Langobardorum et alia medietas ad Stephanum pro parte militie Neapolitanorum pertinebat habetur in instr. an. 958 in regio Neap. archivo adservato. (*Reg.* n. 102).

(3) *Intus domum suam* i. e. de genere ipsius, qui solidos dederat et terras sibi infiduciatas possidebat.

(4) *Recolligere* i. e. redimere, revocare.

(5) Heic de tertiatore aut de colono intelligendum est. Nam etsi verba *habitare* et *residere* in fundo

ciare (1) vel vendere, Aut per qualecumque argumentum alienare (2) in parte neapolitanorum, et si factum fuerit, ipsos solidos pereant; Et ipsas res revertatur in parte langobardorum; Similiter et parte neapolitanorum proficiatur. 5. Exceptuamus ex his omnia fundora de leburias, qui pertinet ad ipsum principatum (3) capuanum, Fundata et exfundata, et homines, et terras que vobis per capetularem dedimus (a), quae vos nobis aliquandiu relaxastis (4). 6. Et omnia que in parte langobardorum (5) venerint, per nullum modum aut per qualecumque ingenium querant habere dominationem langobardi. 7. Et terras, seu servos, quos langobardi divisos habent cum neapolitanis per scripta, vel quocumque modo definitum habent inter se, si comprehenserit qualiscumque neapolitanus exinde servum, ad partem langobardorum componat solidos C. et si alias qualescumque res exinde pigneraverit, componat de una causa (6) novem. Similiter et a parte langobardorum perficiat.

[Quando institutum fuit facto a domno arechis, gloriosissimo primo princeps langobardorum, cum partem de neapolim et firmatum est, qualiter inter partes esse deberent de terris in liburia, de servis, et de ancillis, de tertiatoribus, et de omnibus causis, Transgressi sunt neapolitani ipsum pactum, et noluerunt de omnibus predictis rebus vivere secundum pacti tinorem; nullo modo consensimus ei illud].

8. Si quis langobardus habet comparatas terras in liburia, et cartulas emptionis exinde ostenderit, et pars neapolitanorum intentionem inde miserit, Iuret a parte langobardorum tres homines de sex hominibus, quales pars neapolitanorum quesierint dicentes per sacramentum, « quia ista cartula veraces sunt ». Et deinde pars langobardorum retineat sibi duas sortes de hisdem terris, Unam pars langobardorum, Aliam pro ipsis solidis datis, Tertiam vero partem consentit inde habere partem neapolitanorum. 9. (b) cartulas ostenserit, quas eis quiscumque homo fecisset, de

(a) *Verba:* que vobis per capetularem dedimus *in Bluhmii editione et proinde apud Padelletti desunt.*
(b) Si vero pars Neapolitanorum *apte supplet Bluhme; librarius enim ex similitudine verborum, quae iteranda erant, deceptus fuit.*

vel terra alterius aliquando etiam de homine libero adhibebantur; tamen, ut plurimum, de eis, qui fundo adscripti, vel aliquo nexu locatori obnoxii erant, dicebantur. De dominis terrarum vero infra *Pactum.*

(1) *Infiduciare* i. e. mutuo accepto pignori dare Cf. *Reg. Neap.* n. 305.

(2) *Alienare.* Bluhme ad rem EDICTUM Roth. cap. 235 et Luitpr. cap. 87 allegat.

(3) *Principatum Capuanum.* « Alto somno tenebatur priscus iste sed nimis ignavus librarius, qui ex sui temporis usu *principatum* hic supposuit pro *Comitatum.* Nam longe post principem Arechim cepit audiri nomen principatus Capuae ..... Attentius autem pag. sequenti nomen retinuit *comitatus* ». PEREGRINIUS. — Principatus titulum Adelchis tempore (853-877) in pacto irrepsisse suspicatur Bluhmius; at ante Atenulfum et ante an. 900 ii, qui in Capua dominium habebant, adhuc Comites dicebantur.

(4) *Relaxastis* i. e. dimisistis.

(5) Heic pro *Langobardorum* substituendum esse *Neapolitanorum* Peregrinius primum et omnes post eum opinati sunt. Ego vero, cum heic de una parte tantum, et non de ambabus, ut supra et infra, statuere videam, locum potius mutilum quam corruptum suspicor. Censeo igitur post verba: *querant habere dominationem* addendum esse: « Neapolitani Similiter in parte Neapolitanorum *langobardi* » aut aliquid simile.

(6) *De una causa novem.* Hanc poenam illicitae pignorationis olim statuerat Rotharis cap. 246, 250, 343. BLUHME.

terris in liburia. Si audet prior (a) de capua facere iurare (1) tres homines de sex, quales pars de neapolim quesierit, Dicente per sacramentum, « Quia iste taerrae *(sic)* quas emptas habere dicitis, de illis hominibus fuerunt (2), qui censum reddiderunt in capua, et sic eos habuerunt comitatus capuanus, sicut alios massarios de liburias (3) », (b) abberentur (4) ipse cartule tribus hominibus, de sex, quales pars de capua quesierit, Et si noluerit (c) pars de capua reddere medietatem de ipsi solidi, quas ipse cartule continunt, dividantur ipse taerrae *(sic)* per medietatem; et si noluerit reddere medietatem de ipsi solidi, dividantur ipse terre in tertiam partem: Unam partem tollat exinde pars de neapolim pro ipsa hospitatica (5), et aliam pro ipsi solidi, Tertiam partem tollat exinde pars de capua. 10. Si horta fuerit intentio de fundis exfundanis (d), et dixerit una pars « quia ista fundora de

(a) *Vocem* pars *hic supplendam esse censeo.*

(b) *Locus in cod. verisimiliter mutilus, ut Peregrinius etiam adnotavit. Bluhmius ipsum sic supplet:* Si vero non audet (scil. pars. de Capua) sacramento *etc. sed, hoc supplemento admisso, adjiciendum etiam est:* a parte Neapolitanorum, *ut undique sententia compleatur.*

(c) *Sic in cod.; at, uti sensus postulat, legendum est:* voluerit.

(d) Exfundanis *pro* exfundatis.

(1) *Facere jurare.* Hic dicendi modus *partem de Capua* pro republica comitatus Capuani intelligendam esse ostendit, nisi forte vocem *facere* omnino supervacaneam et absque ulla ratione in textu appositam fuisse opinari velimus.

(2) *De iltis hominibus . . . qui censum reddiderunt in Capua.* Hi sunt homines censui obnoxii ratione terrarum, quas in Liburia possidebant. Infra *censiles homines* vel *tertiatores* dicuntur. Cf. cap. 11.

(3) *Massarios de Liburia—Massarii,* quorum haud infrequens in Edicto et in docc. Langobardis mentio, ut plurimum, servi sunt (Roth. cc. 132, 134, 137), quamvis non infimae conditionis, quippe qui peculium maius et minus iure possidebant (Roth. 232 et 352) ac *super alios in domo senioris erant ordinati (Gloss. Cav.* in v.). Heic illis *hominibus,* qui *censum* reddere debebant *in Capua,* et ideo censilibus hominibus vel tertiatoribus comparantur. A *Massa,* vid. plurium praediorum et casarum agrestium collectione (Cf. praeter alios Marini, *Papiri dipl.* p. 300), nomen eis inditum. Exemplum ad rem profero. In fine supra memorati instrum. an. 703, cum quo Selberada et eius filii vendunt Auremundum et Colossam, tertiatores communes de fundo Materno. dispositori monasterii Ss. Theodori et Sebastiani, cujus erat alia ipsorum medietas, apposita est *Notitia et massu (massa)* scil. terrarum et curtium atque hominum ad dictum fundum, quem ipsi tertiatores laborabant, pertinentium series, cum reddituum ab eis percipiendorum indicatione. Aliquando vero occurrunt etiam Massarii, qui libertate gaudebant, ut in Troya, *Cod. dipl. Long. t.* III. p. 542 et IV, 551. Cf. Hegel *O. c.* p. 272.

(4) *Abberentur.* In instr. anni 1015 Gregorius filius q. Sergii Gerpa et Maria uxor eius conveniunt cum d. Maria abbatissa monasterii S. Gregorii majoris inter alia pro quadam terra ad Titianum, massa Atellana, quam olim emerat q. d. Petrus, filius Gregorii de tipatie, et propterea tradunt eidem abbatissae « *duas chartulas* quae dominium eiusdem terrae probabant » *prima chartula comparationis ad nomine memorati q. d. Petri a partibus langobardorum, et alia chartula abberacionis, quam memorato d. Petro appreensit a partibus langobardorum, quomodo abberavit memorata chartula comparationis sue.* « *Regest. Neap.* n. 355. Ex his igitur facile patet moris etiam fuisse hujusmodi emptiones post *sacramentum* receptum chartula *abberationis* confirmari.

(5) *Hospitatica.* Vox haec vel servitium aut tributum fundo addictum, quod ab *hospitibus* scil. tertiatoribus sive parti publicae sive praediorum dominis persolvebatur ratione *fundamenti* scil. inscriptionis eorum in fundo factae, vel ipsum fundum hospitibus sub servitio aut tributo concessum sive venditum significari potest. Sic etiam alibi, ut in

talibus tertiatoribus (1) fuerunt », Et alia pars dixerit, « quia non fuerunt de his tertiatoriis, quos dicitis, sed de istis fuerunt, quos nos dicimus », non sit inde sacramen-

Ducangii *Glossario* videre est. At si recte Pacti sensum teneo, heic proprie fundum intelligendum esse videtur. Nam de terris agitur, quae ab hominibus laborabantur, qui censum reddere debebant *in Capua,* non de censu ab ipsis debito, neque alia significatione vocem acceperunt docti viri Troya, Hegel et alii.

(1) *Tertiatoribus* — Barbaris Romanum imperium pervadentibus vel subjugantibus mos fuit devictae regionis incolas vel agri vel domus vel familiae quota parte mulctari, ita ut, sibi rerum ipsarum duabus partibus vindicatis, reliquam veteribus possessoribus relinquerent, quae ex hoc *tertia* dicebatur. Id de Erulis, Gothis et Burgundionibus memoriae proditum est. Cum autem res ipsas, veluti advenae hospitio excepti, se jure hospitalitatis obtinuisse jactarent, veteres dominos inde hospites appellaverunt, a quibus vocis significationem, vicissim hospites etiam appellati fuerunt. Neque aliter a Langobardis Italia potitis actum; nam quidquid de notissimis et a doctis viris vario sensu acceptis Pauli Diaconi verbis sentiendum erit, certe hoc absque dubitatione affirmari potest, veteres scil. possessores ac colonos *per hospites,* sive hi victores sive victi habeantur, *divisos* et partitos fuisse, atque tributarios vel *gravatos* effectos ad *tertiam* suarum frugum partem Langobardis persolvendam coactos fuisse.

Hisce positis, dubitari nequit quin tertiatores, de quibus nusquam alibi nisi in territorio Neapolitanis et Capuanis contermino mentio occurrit, a *tertia* nomen acceperint et iidem ac hospites fuerint. Id enim nedum barbarorum in subjectis mos ubique et usque servatus et eadem utriusque vocabuli apud nos acceptio, sed etiam ipsum hoc Pacti, de quo agimus, capitulum facile, nî fallor, demonstrat. Nam, utcumque vocem *hospitatica* ibi positam accipere velimus, sive pro censu a tertiatoribus debito, sive pro fundo ipsi censui obnoxio, omnino connexionem inter tertiatorem et hospitem recognoscere, et hospitis nomen tertiatoris synonymum habere debemus, quod plerique docti viri, ut Troya, Bluhme, Hirsch (*Das Herzogtum Beneveut,* p. 14) etc. tenuerunt.

His accedit praeterea Neapolitanorum saeculi X et XI documentorum auctoritas. Et quidem in instrum. anni 942 memoratur terra in Marano ad quosdam Neapolitanos pertinens, quae eis obvenerat *pro tertia a partibus langubardorum* (R. N. A. M. t. I, p. 130—*Reg. Neap.* n. 48). Alio instrum. quod anno 951 celebratum fuit, Caesarius Ferrarius permutat cum Iohanne consule et duce Neapolis terram suam *campese* vocatam *adarbustum in campum ante S. Iacobum* in loco Calbectiani, *et sunt,* subjungit ipse Caesarius, *tertiaria dua,* unam scil. ad partem Langobardorum et aliam ad partem Neapolitanorum pertinentem, unde permutationem promittit defensare *ab utraque parte.* (R. N. A. M. t. II, p. 22. Cf. supra p. 13). Item in instrum. anni 978 supra citato Petrus et Stephanus, Trasari filii, *ospites fundati* sunt monasterii Ss. Sergii et Bacchi et Ss. Theodori et Sebastiani *in tertia de fundum ex loco Casaurea* (R. N. A. M. t. II, p. 254 — *Reg. Neap.* n. 215). Neque aliter res in Langobardorum documentis se habet. In instr. enim Capuano anni 1050, cavetur indemnitati emptoris cujusdam fundi, si a parte militiae Neapolitanorum evictus fuisset *pro tertia,* quae ad eamdem partem pertinebat (R. N. A. M. t. V, p. 5). Ex omnibus his igitur satis clare patet *tertiarum,* quae aliquando *tertiariae* dicebantur, nomen post tot tantasque rerum et hominum vicissitudines saeculo X et XI adhuc etiam in usu fuisse, et contra illud tertiatorum penitus obsolevisse, eosque hospitum tantum appellatione eo tempore cognitos fuisse.

Nunc vero qui fuerint tertiatores et deinceps *hospites* ac quae eorum conditio dicendum est. Et primum ex instrumento anni 703, cuius jam supra mentionem feci, discimus licitum fuisse *tertiatores* cum eorum filiis, natis et nascituris, et cum eorum rebus et possessionibus venumdare ac alienare eodem modo quo aldios et servos.

Ipsi, ut ex hoc eodem pacto discimus, in praediis fundati, i. e. fundis adscripti, et censibus obnoxii erant. Si autem aliquando ob Neapolitanorum oppressiones se, ut infra dicetur, inde exfundare voluissent, utraque pars Neapolitanorum et Langobardorum eos in fundo revocare poterant, et sic illi ambabus partibus, uti antehac, *servire* debebant. (*Pactum* c. 11). Fere idem in servis communibus (*Pactum* c. 13) praescriptum.

Tertiatores possidebant etiam fundos cum terris; qui, si exfundati fuissent, ad dominos devenire debebant (*Pactum* c. 11).

Exercitales seu milites tum a Langobardis tum

tum, Ut una quelibet pars in periurium exinde incurrat, inquiratur diligenter ad qualia hospitatica fuerunt pertinentia antiquitus, et tunc sine sacramentum et periurio

a Neapolitanis fieri capitulari principis Sichardi vetitum, et de eis, qui *absconse* tales facti fuissent, etiam statutum. (*Capit. Sich.* infra cc. 20 et 21.)

Eodem capitulari cautum fuit de liberis hominibus, qui tertiatrices in uxores tulissent; et de ipsis tertiatoribus, qui in crimen nefandum vel in alias causas incurrissent, aut cum aliquo a parte reipublicae causam habuissent; etsi ob monumenti jacturam quid proprie praescriptum fuerit ignoramus (*Capit.* cc. 22, 25 et 26).

Praeterea cautum etiam fuit ne ipsi a Langobardis venumdarentur aut trans mare mitterentur, praeter si homicidium commisissent. (*Capit.* c. 4).

Onera denique ex antiqua consuetudine ab eis debita haec erant: angariae, responsaticum et calciarium, itemque angariae, pensiones, et exenium unum semel in anno; illa parti reipublicae ista dominis suis persolvenda. Id ex eodem Capitulari evincitur (*Capit.* c. 14). Quae vero eorum ratio fuerit, ex ipsa *tertiae* appellatione, quam tributum terris impositum olim habuit, et usque ad saeculum XI servavit, recte argui potest. Si enim tertia pars e terrae fructibus reipublicae persolvebatur, aliarum duarum partium alteram fundi dominus, alteram tertiator, qui ibi fundatus erat, sibi vindicare debebat. Si vero fundus ad tertiatorem vel colonum pertinebat, ipsi, tertia subducta, ambarum partium possessione fruebantur. Quae omnia tum de parte Langobardorum, tum de parte Neapolitanorum dicenda sunt, et praeterea exemplo instrumenti Capuani an. 1050, cuius supra memini, firmari etiam possunt. Ibi enim pars, quam Neapolitanorum respublica de medietate cujusdam terrae in Liburia positae, olim inter Langobardos et Neapolitanos communis, evincere poterat, *tertia*, quoad ipsam medietatem, *sexta*, quoad totam terram spectabat, appellatur, et ita in pretio soluto supputatur. (R. N. A. M. t. V, p. 7).

Denique eodem Capitulari in tertiatores etiam novum aliud onus imponere interdictum, ac ne ab eis *excaticum* et *porci* tollerentur vel invite pretium pro tritico et vino exigeretur cautum fuit (*Capit.* cc. 14, 29 et 30).

Haec de tertiatoribus in hoc Pacto et in Capitulari Sichardi memorata invenio. At praeter eos, qui simpliciter *tertiatores* dicuntur, alii etiam in quadam eiusdem Capitularis rubrica occurrunt, qui *coloni tertiatores* appellantur et ab illis diversi quodammodo apparent. Nam, etsi ob ipsius capituli defectum res minus plene nobis innotescat, tamen id solius rubricae auctoritate satis patet, et ex perpetua aliarum rubricarum cum capitulis ad eas spectantibus, quae adhuc supersunt, congruentia, minime inficiari posse mihi videtur. Nisi igitur coloni nomen inutiliter ac temere inibi appositum fuisse dicatur, quod recte non est admittendum, hi ab illis qui sola tertiatorum appellatione denotantur quodammodo diversi habendi sunt, ac nî fallor, non servili vel potius *aldionali* nexu, sed iure colonario dominis et terris adstricti, ita ut a tributis, quae *collata* et *pacta* vocabantur et de quibus in notis ad Capitulare dicam, immunes essent. Quod, si recte video, varias de istorum hominum statu opiniones valde nostris temporibus disputatas facile conciliare potest. Erant enim ex eis, et hi, majore fortassis numero, qui semilibertatem haberent, erant et qui liberi omnino essent, prout eorum conditio sive ex ortu, sive ex pacto et convento statuta fuisset.

Ceterum post annum 836 tertiatoris nomen, ut jam supra innui, obsolevit, neque amplius in nostris documentis adhibitum fuit. Ex eo tempore eius loco succedit *hospitis* sive *ospitis* appellatio, quae item, ut tertiatoris, nusquam alibi nisi in territorio Neapolitanis et Langobardis contermino occurrit. Hi, uti tertiatores et fundati et exfundati habentur, et fundi, quibus adscripti erant vel olim fuerant *hospitatum fundatum et exfundatum* vocatur. Quorum hospitum in fundo monasterii Ss. Theodori et Sebastiani in loco Casauria adscriptio extat in jam cit. instr. anni 978. Ipsi censiti etiam dicuntur, ac censum, servitium, consuetudinem, responsaticum et salutes, tum dominis suis procul dubio, sive Neapolitanis, sive Langobardis, tum quoque, ut videtur, parti reipublicae, persolvere debebant. Marinus enim dux diplomate anni 975 concedit d. Petro abati monasterii Ss. Severini et Sossii omnes *hospites* et *commenditos*, censitos seu servos memorati monasterii, *quantos et qnales modo habebat vel habiturus fnisset* cum uxoribus et filiis etc. *et cnm omnes illorum fnndoras et terris seu cespites et regulis seu responsaticas et angarias et salutes* etc. *sen concedit et firmat*

poterit inde esse finis. 11. Si censiles homo (1) de liburia patitur oppressiones (2) a parte de neapolim, et noluerit (a) exfundare se de ipso fundo, ponit post regiam domus sue ipsum fustem, Sicut antiqua fuit consuaetudo (3), et vadit ubi voluerit (4). Si autem pars de neapolim cum parte langombardorum potuerit revocare ipsum tertiatorem in ipsum fundum, et fundare illum ibi, potestatem habeant, et serviat ambobus partes, sicut antea servivit. Et si aliunde voluerit ibi hominem fundare, potestatem habeant; Et si hoc facere non potuerint, aut non voluerint, dividant inter se fundum (5) et terris ipsius (6). 12. Si liburiamus servus de langobardis mortuus fuerit, Habeat ipse langobardus in potestate sua omnes res illius. 13. De servis communibus ita fiat: Si exierit de ipso fundo servus ipse, et intentio de eo horta fuerit, ut ipse langobardus eum inde mobuisset, aut ad manum eum appre-

(a) *Corrige:* voluerit.

omnem publicum una cum omnem licerem et pertinentias quas ipse iure publico nostri habent etc. (V. supra p. 36). Distinguitur ergo quod jure proprio ab eo quod jure publico monasterio debebatur.

Ipsi praeterea, perinde ac servi vel aldii, sive fundati, sive exfundati fuissent, offerri, donari, concedi atque ex successione acquiri poterant cum omnibus pertinentiis suis; (V. instr. aa. 932, 943, 982, 989, etc. *Regest. Neap.* nn. 22, 49, 50, 236, 259) itemque, ut plurimum, ex iussu, vel consensu domini vel patroni, rite contrahere. (V. instr. a. 1014 etc. *Ibid.* n. 354). Eis denique sive masculis sive feminis legitima matrimonia cum liberis habere interdictum (V. cit. instr. a. 978 *Ibid.* n. 215).

Contra melioris conditionis hospites aliquando invenio. Instrum. enim anni 955 quidam a proprio domino fundum in gareliano locationis titulo accipiunt ad decem annos, et non aliud dare vel facere constituunt, nisi quod tritici tres modios per annum dare et finita locatione fundum restituere atque ex eo *omnem causam excotere* i. e. auferre promittunt (Cf. *Reg. Neap.* n. 85). Hos ego a colonis tertiatoribus non multum diversos existimo.

Denique post medium saeculum XI hospitis nomen obliterari cepit, nulla enim deinceps, quantum scio, eorum, nisi in privilegiis ducum venerabilibus locis praecipue concessis fit mentio, ita tamen, ut vel veterum formularum repetitio, vel nomen ex consuetudine servatum ac sine proprio sensu adhibitum videatur.

(1) *Censiles homo* i. e. tertiator *fundatus* in fundo communi inter partes.

(2) Huic damno satis verisimiliter occurrere voluit cap. 14 *Capitutaris* Sichardi.

(3) Hanc antiquam consuetudinem scriptis Langobardorum legibus ignotam esse observat Bluhme ad hunc locum; sed aliquid simile observavit Caumo, *Sui terziatori* p. 11. de ministeriali, qui stipendio sibi non soluto, baculum super lectum domini sui deponebat. Cf. Fürth *Die Miniestrialien* p. 457, 458, Grimm, *Deutsche rechtsalterthumer* p. 136.

(4) Rem sic ex probabili conjectura declarat cl. vir Bluhmius. Tertiatori, inquit ille, adempta etiam a Langobardis libertate, Neapolitani tamen liberam discedendi facultatem servasse videntur, ita quidem ut non nisi Langobardo domino accedente revocandi ius exercendum eis fuisset.

(5) In instrum. anni 951 Iohannes dux declarat habere terram in Calbetitiano *(Calvizzano)* quae sibi pertinebat pro *exfundatum de fundum qui nominatur de fracta* et aliam terram etiam ibidem quae sibi pertinebat *de alium fundum suum pro exfundatum* qui est de *romanum de nominato loco.* (R. N. A. M. t. II, p. 21. Cf. supra p. 13). Romanus igitur, tertiator vel hospes, exfundaverat se de ipsa terra et fundo, qui pertinebat ad privatum dominium Ioannis ducis; contrahit enim cum consensu Theodorae coniugis suae.

(6) *Fundum et terris ipsius* scil. tertiatoris, qui fundum ratione utilis dominii possidebat et *laborabat*, vel, si id quis contendere velit, directi etiam dominii ratione, reipublicae iure semper salvo.

hendisset, si non audet iurare ipse langobardus, quod ille eum de ipso fundo non mobuisset, aut ad manum eum non apprehendisset, inveniat illum et revocet eum in ipso fundo; Alia talem faciat ipse neapolitanus ad ipsum langobardum, si eum inde quesierit. Nam sua voluntate, sine consilio de ipso langobardo, aut de ipso neapolitano, motus fuerit ipse servus de ipso fundo, et vadit in terram aliam, Tunc dividant langobardus et ipse neapolitanus ipsum fundum per medietatem cum omnibus pertinentibus de eodem fundo. Tamen quandocumque extra dominationem de neapolim invenerit ipse langobardus eundem servum, Apprehendat eum, et habeat eum sue potestatis, sicut suum proprium.

II.

[PACTUM IOHANNIS DUCIS NEAP. CUM LANDULFO, ATENULFO ET ALIO ATENULFO PRINCIP. BENEV. ET CAPUAE]

† Repromittimus (1) et iuramus, et iurare faciemus, Nos iohannes consul et dux, vobis domno landolfo, et domno atenolfo, seu et domno atenolfo principibus, filiis et nepos domni atenolfi principis (2), quia amodo et semper sumus et erimus vobis veri amici, absque omni mala deceptione, et absque omni dolo, et fallacia, et malo ingenio, et nulla contrarietatem, aut inimicitiam faciemus vobis in toto principatu vestro beneventano, cum omnibus suis pertinentiis, Nec in toto comitato capuano, nec in teano (3), cum pertinentiis suis, nec in hominibus nostris, Nec nos, Nec homines nostris per nostram voluntatem, Neque per qualecumque submissionem nostram; et si factum fuerit absque nostram voluntatem, Iudicavimus vobis exinde secundum legem romanorum, Aut langobardorum, absque malitiosa occasione.

2. De sarracenis autem hoc vobis promittimus, quia sic per omnia et in omnibus pleno animo vos et terram vestram contra eos adiuvavimus, ubi necessarium fuerit, tanquam nosmedipsos et terram nostram.

3. De leburias autem hoc vobis promittimus, ut terras, servos, et ancillas, seu fundora, per concessiones habetis, vos et homines vestris in liburias A singulis ducibus neapolitanorum quae possidetis temporibus domni landenolfi patrui vestri (4), et domni sergi abii vestri (5), Si parte nostra neapolitanorum exinde requisitionis habueritis intentionem vos aut homines vestris, Si ausi fueritis inde iurare, Iurent a parte vestra langobardorum sex homines vestris, quales nos voluerimus, ad sancta dei

(1) Sic Pactum absque ullo titulo incipit; iuratum vero fuit a Ioanne III Neapolis duce (928-968), ut in praef. innui, inter mensem martium anni 933, quo Atenulfus III. nepos Atenulfi I. a patre Landulfo et patruo Atenulfo II. in principatus consortium adscitus fuit, atque mensem novembris an. 939, quo Landulfus I. obiit et Landulfus II. in principatu successit.

(2) Atenulfus I, *magnus princeps*, cum comes Capuae esset, Beneventum etiam, eiecto Radelchi, an. 897 obtinuit, unde princeps Beneventi et Capuae effectus utramque regionem in sua suorumque filiorum ditione habuit.

(3) *In Teano*. Comitatus Teanensis ideo speciatim, meo iudicio, heic memoratur, quia peculiariter ad Atenulfum II. pertinebat.

(4) *Landenolfi patrui vestri*. Landenolfus hic fuit filius Landenolfi senioris et frater Atenulfi I. *magni principis*, ut ex Erchemperto n. 40. Cf. PEREGRINIUM in: *Fax ad historiam Erchemperti* n. 15 Landone alio fratre suo aegrotante, vicem illius in comitatu Capuano tenuit ab an. 885 ad 887, ut ex *Chronico Comitum Capuae* et ex eiusdem Peregrinii chronologia n. 8.

(5) *Sergii abii vestri*. Qua ratione Sergius hic, qui non alius habendus est nisi ille Neapolis dux, qui huius nominis secundus fuit, filius Gregorii et frater Athanasii Episc. et Ducis, avus Landolfi I. et Atenulfi II in hoc pacto dictus fuerit, incertum est. Verisimiliter Atenulfus I in uxorem duxit quamdam filiam ejusdem Sergii, qui inde ex affinitate avus vocari potuit. Pactum igitur horum scil. Sergii et Landenolfi tempora respicit, quae paucis annis inter se differunt. Scio equidem huic Atenulfo Gaitelgrimam ex genere ducum Caietae a Peregrinio uxorem tributam fuisse, sed eius opinio nullius documenti auctoritati innititur.

requisitionis intentionem habueritis vos et homines vestris, Si ausi fueritis inde iurare, Iurent a parte vestra langobardorum tres homines vestris de sex hominibus, quales nos vobis querimus, ad sancta evangelia, dicentes, « quia iste cartule que ostendimus, veraces sunt, et ipsas terras, quas iste cartule continunt, possidemus eas ». Et tunc fiat vobis exinde a parte nostra firmitatis scriptio de cunctis rebus illius, quae predicte emptionis, seu convenientie vel divisionis continent, et possideatis eas securiter.

5. De omnibus vero aliis causis unde intentionem habueritis vos aut homines vestri nobiscum, aut cum nostris hominibus, iudicavimus vobis exinde absque omni evangelia, dicentes, « quia iste cessiones quae ostendimus, veraces sunt » Et tunc fiat vobis a parte nostra firmitatis scriptio exinde, ut amplius non sit vobis requisitionis causatio de ipsis rebus, et servis et ancillis, quos et quas predicti continunt cessiones a partibus nostris neapolitanorum, et liceat vos eas habere securiter, 4. et que per cartulas emptionis, seu convenientie, vel divisionis habetis, et homines vestris a partibus nostris neapolitanorum, Si a parte nostra neapolitanorum exinde dilatione, secundum legem romanorum, Aut langobardorum, absque omni malitiosa occasionem. 6. Si vero vestris hominibus intentionem habuerint cum nostris hominibus neapolitani, Aut aliis hominibus nostris de terris in liburias, quam comparatas habent, Ostendentes eis homines nostris cartulas, quomodo comparatas habent eandem terras a langobardis, et auctor paruerit; si manifestatum fuerint, et venditio ipsa veras sit, et venditor ille iuxta textum cartule defendere potuerit, pars nostra habeat terram illam. Et si defendere non potuerit secundum ipsa cartula, Aut non voluerit, et negaverit, quod ipse eam non fecisset, et pars nostra terras illas possederit, A triginta autem solidis in super (1), iuret pars nostra cum sex hominibus, quales vos volueritis, ad sancta dei evangelia dicentes, ut cartula ipsa verax sit, A triginta vero solidis in subtus, iurent tres, quale vos quesieritis, Et destringat parte vestra nobis illum venditorem, iusta textum ipsius cartule. Nos vero omnem compositionem, et legem, et iustitiam, que parti nostre facere debet auctor ille, donamus omnia ea parti vestre langobardorum, per launegilt (2) receptum a vobis exiguum, et faciendum omnia exinde que volueritis, et auctor ille defendat parti nostre terram illam absque omni requisitione; 7. et si pars nostra terras illas possederit per ipsa cartula, Et auctores non paruerit, et aliquod nos a parte vestra exinde quesierint, comberemus (3) parti vestrae cartula ipsa cum sex hominibus nostris, quales vos nobis quesieritis, et ipsas terras habeamus absque omni intentione. 8. Hec autem omnia suprascripta, qualiter continent, in quantum exinde apparuerit per omnia ita vobis observabimus, et ita vobiscum in antea sedebimus, Sicuti sedet domnus gregorius abius meus (4) vobiscum; Ex quo cum illo su-

(1) *Triginta solidis in super.* Aliter de summis controversiarum sacramento decidendarum statuerat Rotharis cap. 359. Bluhme.

(2) *Per launegilt.* Cfr. Edictum Roth. cap. 175. Bluhme.

(3) *Conberemus;* i. e. abberemus. V. supra *Pactum Arechis.*

(4) *Gregorius abius meus.* Post Gregorium, qui ducatum Neapolitanum rexit ab an. 898 ad an. 916 (V. t. I, p. 106-107), successerunt Ioannes II, Ma-

pra (1) scriptum capitularium fecistis (2) A secundo die mensis iulii, indictione XIIII, Usque in obitum eius. Unde solummodo nomina mutabimus. Hec omnia vobis observabimus, Salva fidelitate sanctorum imperatorum (3). DOMINUS IOHANNES CONSUL ET DUX. GREGORIUS THIUS EIUS (4). LANDOLFUS. GREGORIUS FILIUS DOM. IOHANNI. SERGIUS FILIUS DOM. ALIGERNI. ALIGERNUS. IOHANNES. CESARIUS. IOHANNES. SERGIUS. GREGORIUS. GREGORIUS. IOHANNES. GREGORIUS. PETRUS. SERGIUS. ALIGERNUS (5).

rinus I. et iste Ioannes, qui tertius in serie habetur; unde ego ipsum in eodem t. I, p. 111 *abium* vice proavi dictum putavi. Sed est et alia huius loci explicatio, per quam textus correctione non indiget. Si enim existimetur Ioannem II. et Marinum I. ambos Gregorii filios fuisse, ita ut alteri sine filiis decedenti alter, qui Ioannis III. pater putari potest, in Ducatu successerit, bene Gregorius istius Ioannis III. avus dici potuisset.

(1) Quae inde sequuntur usque ad finem documenti lithographice expressa habes in tabula tertia primi voluminis.

(2) In pag. 111, I voluminis, ego incogitanter Pactum hoc prima vice inter Gregorium et Atenulfum I fuisse initum dixi, sed omnino male; nam revera cum Landulfo I. et Atenulfo II. iuratum et conclusum fuit, ut ex ipso textu patet.

(3) *Sanctorum imperatorum* scilicet Constantini Porphyrogeniti et Romani eius soceri, qui (praeter Stephanum et alium Constantinum minime in documentis adnotatos) tunc temporis Constantinopolitanum Imperium dominabantur.

(4) *Gregorius thius eius.* De eo vide quae dixi t. I, p. 111. Omnes vero hi, qui sequuntur et pactum firmant, ducatus Neapolitani magnates vel nobiliores homines sunt. De privilegiis huic ordini irrogatis agit pactum Sergii ducis infra referendum.

(5) Subscriptiones omnes rubro caractere et litteris grandioribus in cod. exaratae sunt.

III.

[CAPITULARE SICARDI PRINCIPIS BENEVENTI CUM ANDREA DUCE NEAPOLIS] (a)

1. *De hostibus et scamaris qui per nostros fines in vestris transire voluerint.* 2. *De collata et pensione et ut ante pignus stare non debeatis.* 3. *Ut langobardus* (b) *langobarda nullatenus comparentur nec in mare venundentur* 4. *Ut terciator si a langobardo venditus fuerit comparetur et super mare non venundetur* (c). 5. *Ut negociatores ab utrisque partibus inlesi permaneant.* 6. *De fugacibus liberi vel servi.* 7. *De homicida, qui exercitalem vel militem aut simpliciter ambulantem occiserit.* 8. *De hiis qui iusticiam exquisierint et non receperint qualiter pignorare debeant.* 9. *Ut si quispiam militem aut aliam personam bactere aut ligare presumpserit.* 10. *De eo qui in furtum deprehensus fuerit.* 11. *De furone et homicida, ut a partibus amborum reddantur.* 12. *De actionariis qualiter peragatur.* 13. *De hominibus qui per flumina transierint et ut non detineatur (sic) navigia in partibus nostris.* 14. *De terciatoribus et condicionibus illorum.* 15. *Ut cavallus et bos nullatenus extra civitatem comparentur.* 16. *Ut ante tertiam et quartam contestationem barbaricum pro quolibet casu non faciamus.* 17. *Ut pro pignere nullus audeat pignerare.* 18. *Ut pro causa causa non anteponatur.* 19. *Ut ubi exercitare volueritis a nobis nullam lesionem habeatis.* 20. *Ut non presumat aliquis terciatorem exercitalem aut militem* (1) *facere.* 21. *Ut si terciator absconse exercitalis factus fuerit aut miles.* 22. *Ut si quis homo liber uxorem duxerit terciatricem.* 23. *De legatariis qualiter inlesi permaneant.* 24. *De fracta* (2). 25. *De nefandis criminibus vel aliis causis si in terciatores devenerint.* 26. *Ut si aliquis cum terciatore causam habuerit a parte reipublice.* 27. *De sigillatico et nuptiatico* (3). 28. *Ut non presumat aliquis absque consilio principis lignum excidere a parte reipublice* (4). 29. *Ut non tollatur a terciatoribus excusaticum* (d) *et porcos* (5). 30. *Ut invitus non detur precium*

(a) *Et heic titulum et numeros, qui in cod. absunt, ad rubricas et capitula apposui.*

(b) *Fortasse in cod. deest:* et, *aut* vel. *Peregrinius ex conjectura adjecit:* nec ; *quod minus apte mihi videtur.*

(c) *In cod.* venundentur; *sed postrema* n *habet subtus puncta apposita; quae, uti noscitur, est nota emendationis et ideo delendam esse significat.*

(d) *Sic in cod.; at legendum est:* escaticum, *uti jam Muratorius recte admonuit. Aliter glandaticum; esca enim pro glande usurpatur etiam in Langobardis legibus atque in chartis medii aevi.*

(1) Qui apud Langobardos exercitalis , is apud Neapolitanos miles dicebatur. Inepte Pratillius de iis, qui tum in exercitu militabant, et de iis, qui arcibus vel principum custodiae addicti erant heic hariolatur.

(2) De *fracta* i. e. destructione.

(3) *Sigillaticum* et *nuptiaticum*, tributorum certe nomina, quorum naturam ignoramus. Alterum forsitan pendebatur pro iure sigilli privilegiis appositi , alterum pro nuptiarum rite contrahendarum facultate obtenta; verum merae sunt coniecturae.

(4) Cf. diploma Iohannis III. ducis datum monasterio S. Vincentii ad Vulturnum et supra p. 11 relatum.

(5) De *escatico* et *glandatico*, praeter alia, loquun-

atterciatores (sic) *pro tritico aut vino.* 31. *Ut singula castella non tollant responsaticum nisi de locis sibi pertinentibus.* 32. *Ut coloni terciatores non dent in collata nec in pactu* (1). 33. *Ut non liceat piscare militem in loco Patriense* (a) *absque conscientia principis.* 34. *De modiatico* (2). 35 - 36. *De responsatico et modiatico de lauri* (b) *vel de aliis massis* (3). 37. *Ut si* (c) *miles absconse in laco patriense* (4) *piscaverit.* 38. *De angre* (5). 39. *De stabi.* (6) 40. *De ponte lapideo et de plagia* (7). 41. *De fluvio diuconcello* (8). 42. *De monte vesubeo et de colonis.* 43. *De colonis transmontanis* (9) *ut a partibus revocentur.* 44. *De amalfinis qualiter peragantur.* 45. *De aqua herba* (10) *et collata.* 46. *De pravis hominibus qui illicite per partes ambulaverint.* 47. *De terciatoribus qui inter partes vagantur.* 48. *De servis et ancillis utriusque partibus.* 49. *Constitutio iuramenti.*

In nomine domini dei salvatoris nostri iesu christi et beate et gloriose dei genitricis semperque virginis mariae. Dum ea que dei precepta sunt, partes obaudiunt, tunc ipsius adimplere probantur mandata, et ad pacis concordiam pro salute christianarum animarum pervenisse monstrantur. Pro quo promittimus nos dominus

(a) *In cod.* Patriensem *sed* m *punctis etiam subnotatur, et ideo delenda.*

(b) *In cod.* lauari, *secunda* a *punctis subnotata. Satis verisimiliter igitur legendum* lauri, *de quo vide infra. Minus recte Peregrinius posuit* Lactari.

(c) *In cod. vacuum ex alicuius vocis litura.*

tur diplomata an. 820 et 839 in *Chron. Farfense* ap. MURATORI *R. I. S.* t. II, 2, 380, 394. In *Chron. Vult.* statuitur ut qui porcos habuerint dent escaticum de undecim porcis unum (R. I. S. t. I, 2, p. 433).

(1) Forte *pensionem pactam*, quae supra cum *collata* (c. 2) memoratur, innuit.

(2) *Modiaticum*, pensio pro quolibet modio terrae persolvenda. Memoratur in diplomate regis Rogerii anno 1137 Salernitanis dato. (UGHELLI *It. sacra*, VII, 564).

(3) Ex lectione Peregrinii Pratillius montem Lactarium heic et urbem *Lettere* intelligit, ac inter massas *Livari* seu *Livardi* prope Nolam adnumerat. At, codicis correctione admissa et secunda *a* reiecta, *Laurum* ego in territorio Nolano potius intelligendum esse censeo.

(4) Lacus Patriensis pro medietate ad Langobardos et pro alia medietate ad Neapolitanos spectabat (V. supra p. 18). Cum autem heic prohibeatur militibus (et ideo Neapolitanis) in hoc lacu piscare absque *conscientia* i. e. venia principis, de medietate ad Langobardos spectante agi coniiciendum est.

(5) *Angre* oppidum prope Nuceriam in principatu citeriori.

(6) *Stabi* pro Stabiis, nunc *Castellammare di Stabia* florentissima Neapolitanae provinciae urbe.

(7) Pratillius *pontem* istum *lapideum* putat, fuisse illum, qui suis temporibus etiamnum visebatur non longe a Sarno urbe, ex quo in Nolanum agrum iter, ubi ipse *Plagiam* sive *Playanum* exstare ex chartis Nolani tabularii asserit. Verum designatio haec satis vaga et incerta est. Ego potius crediderim pontem, qui nunc dicitur *della persica*, heic forsitan designari, et *plagiam* eam esse, quae non longe, ubi Sarnus fluvius in mare se exonerat, visitur.

(8) *Diuconcellum* l. potius *Draconcellum;* rivus est, qui Sarno fluvio se miscet prope Scaphatum. Dicebatur olim etiam *Draconteum.*

(9) Coloni transmontani erant forsitan, qui agros circa locum nunc *Tramunti* dictum incolebànt.

(10) *Aqua,* alias *Aquaticum,* praestatio pro aquarum usu; *herba* seu *herbaticum* praestatio pro pascuis. Grimoaldus Comes palatii Roberti principis Capuani diplomate anni 1114 concedit praeposito ecclesiae monasterii S. Angeli in formis, ut potestatem habeat ipse et successores eius ad pascendum boves, equos et porcos intra fines comitatus Castelli maris et *nec exinde aquaticum aut terraticum, seu escaticum dare debeat.* GATTOLA, *Hist.* p. 257.

vir gloriosissimus sicardus langobardorum gentis princeps, vobis iohanni electo sancte ecclesie neapolitane et andreae magistro militum (1), vel populo vobis subiecto ducati neapolitani, et surrento et amalfi et ceteris castellis vel locis, in quibus dominium tenetis, terra marique pacem veram et gratiam nostram vobis daturos ab hac quarta die mensis iulii indicione XIIII videlicet ad annos quinque expletos. Unde pro stabilitate promissionis nostre, ut nobis sine aliqua dubitatione credere possitis et in nostra concordia firmius permanere, de istis capitulis omnibus subscriptis de presenti iudices nostros, qui subter notati sunt, quales nobis quesistis, iurare fecimus (a) per nostram iussionem, quatenus si a parte vestra remissio, quam nobis voluntarie fecistis, in omnibus fuerit adimpleta, hec que a nobis parti vestre promissa et scripta sunt' impleantur tam vobis, quam omnibus civitatibus vel surrento et amalfi et ceteris castellis vobis subiectis terra marique; et nullam lesionem, neque in hominibus vestris nec in rebus eorum a nobis vel ab his qui nobiscum sunt vel fuerint, gravabuntur (b), neque per exercita (3) aut cursas (4), neque per scammeras (5), nec per traditicios (6), qui a partibus vestris nobiscum sunt vel fuerint, nobis volentibus aut consentientibus, aut per nostram voluntatem contra vos summissos. Et si contingerit, quod minime credimus, ut fiat hoc, repromittimus, quod secundum huius pacti continentiam, sicut subter confirmatum paruit, iustitiam vobis de omnibus capitulis conservaturi per omnia sumus.

1. Et hoc promittimus, ut si quis hostis aut scamaras per nostros fines ad lesionem contra vos venire temptaverint, et ad nostram pervenerit notitiam, nos secundum possibilitatem nostram vobis eos ledere non permictimus. Et si cognoverimus alia die facta (c) langobardorum venire ad lesionem ducati vestri neapolitani, vobis nunciamus, aut certe in tertio die usque ad virtutem et possibilitatem nostram eis resistere. Hoc enim stetit, ut si aliqua clasma (7) fuerit in finibus vestris ducati neapolitani terra marique a quacumque alia provincia, ut nulla requisitio a nobis fiat in ducatu vestro neapolitano; sic tamen, ut in finibus principatus nostri beneventani,

(a) *In cod.* iura ef fecimus.

(b) *Sic in editis in cod.* gnabuntur; *Bluhme vero legit:* generabuntur.

(c) *An alios de parte?* Bluhme. — *Mihi vero nil mutandum videtur. Sensus enim est: Si cognoverimus hostes vel scameras Langobardorum venire ad lesionem ducatus Neapolitani,* alia die facta *scil. biduo post vobis (Neapolitanis) id nunciabimus.*

(1) De Sicardo principe Beneventi, Ioanne Neapolitanae ecclesiae electo et Andrea duce ac magistro militum Neapolis vide t. I, pp. 78, 79, 208.

(2) Scilicet anni ae. v. 836.

(3) Infra n. 2 habetur *publicum exercitum.*

(4) *Cursa* i. e. armorum incursio, incursus.

(5) *Scammerae*, vel *Scamarae*, ut infra n. 1 aut *Scamerae*, ut in *Edicto* l. 5, aliquando praedones vel eorum acta scil. depraedationes; aliquando exploratores significant. Cf. *Ducange* in v. In Glossis ad cod. Casinensem n. 468 LL. Langobardarum, quarum notitiam olim habui a b. m. d. Sebastiano Kalefati ad l. 5, *si quis escameras* sic vox explicatur: *scandunt cameras, exploratores, scamere dicuntur inquisitores a camera sumentes nomen, eo quod secreta regi vel regis quaerant.*

(6) *Traditicii* i. e. proditores.

(7) *Clasma*, fractura; idem significat quod Langobardorum *zala.*

nec panem nec aquam a quempiam homine bone voluntatis accipiat: excepto si brachio forti hostili more tollere potuerit. Si autem et suspicio fuerit, quia per loca principatus nostri beneventani, aut per consilium et conscientiam nostram aliqua clasma a vestris hominibus facta fuerit, ut sacramenta perveniant a partibus, purificantes vos (a) per personas quantas et quales volueritis: « quia nec per consilium, nec panem, nec aquam cum nostra voluntate de nostris finibus susceperunt », et sit causa finita. Si autem approbatum fuerit, quia cum consilio principatus nostri ipsa lesio facta est in ducatu vestro neapolitano, tunc subiaceat pars nostra parti vestre romanorum ipsum dampnum in duplo reddere, quia postquam desiderantes concordia pacis, domino permittente, a nobis domno viro gloriosissimo sicardo principe, percipere meruistis digne et voluntarie, nullo contradicente ex nostris civibus.

2. † Set ad firmandam vobis libertatis et pacis caritatem, per quam vos creditis illesos gubernari, spopondistis nobis, cui supradicto eximio principi sicardo, amodo, id est quarta die mensis iulii indicione XIIII per unumquemque annum dare nobis collatam (1) et pristinam (2), que consueti fuistis dare. Si vero ante quinque annos expletos, sicut superius scriptum est, pactum nostre glorie irritum feceritis, nos licentiam habeamus omnibus modis pignerare infra civitatem. Et si antestare nostris hominibus presumpseritis antequam tanta pignera apud nos habeamus (b), per que ad nostram plenam iustitiam pervenire possimus, tam de istius pacti nostri corruptione ante quinque annos expletos; vel si ante pignus steteritis de istis supradictis capitulis, componere nobis debeatis secundum vestram promissionem auri solidos beneventanos numero tria milia, et insuper per scamaratores seu cursas et puplicum exercitum oppressionem facere usque ad nostram satisfactionem. Quod si, domino iuvante et nostra gratia comitante, in his que nobis pacti (c) estis, immobiles steteritis usque ad predictos quinque annos expletos, et hec nobis supradicta singulos annos persolveritis, hoc promittimus, ut securi et inlesi a nostra parte in vestris finibus permaneatis.

(a) *Bluhme corrigit*: nos.

(b) *Ita in cod. Vaticano et apud Peregrinium. In Bluhmii vero editione, et proinde apud Padelletti, verba*: infra civitatem. Et si antestare nostris hominibus presumpseritis antequam tanta pignera, *omnino absunt. Praeterea, quae sequuntur*: apud nos habeamus, *emendantur*: apud vos, *adiecta particula*, ut, *qua lectione et capitularis sententia mutila est et in contrarium sensum prorsus mutatur. Id autem vehementer miror cum tanta clarissimi viri Bluhmii in veteribus scriptis edendis diligentia semper fuerit, ut nihil simile de eo cogitari possit; sed culpa eis, qui cod. Vaticanum in opus eiusdem contulerunt, omnino tribuenda est.*

(c) *Minus recte in Bluhmii editione*: placati.

(1) *Collata*, uti ex vocabuli derivatione argui potest, vocabatur vectigal sive tributum, quod ab universis subditis Domino, vel ab iis, qui eidem obnoxii erant, conferebatur.

(2) An legendum est: *pensionem*, ut textus capituli rubricae adamussim respondeat? Quod si non placet, certe vox pensio omnino heic subintelligenda est: ita ut Neapolitani duobus tributis obstricti fuissent; alterum scil. *collata* novum, alterum, quod iam a *pristinis* temporibus ex alio forsitan foedere pactum dari consueti fuerant, et ideo *pensio pristina* dictum.

3. † Hoc stetit, ut langobardorum nullatenus comparetis, nec super mare venundetis. Quod si factum fuerit, ipsa persona nobis tradatur, qui comparavit, cum illo quem comparavit, ut simul qui comparavit, quam etiam et qui venundavit, ambo nobis tradantur. Et si non et dilatacio pervenerit, componat solidos centos et supradicte persone tradantur; et si super mare venditi fuerint, componat solidos ducentos, qui hoc malum penetravit.

4. † Et hoc promittimus de terciatoribus (1), ut si a langobardo venditi fuerint, comparantur, et nullatenus in nave imponantur, aut trans mare venundentur: excepto si homicidium fecerit, aut facere voluerit, habeat sibi licentiam, eum vendere; ita tamen, ut quinque persone prebeant sacramentum, quod ipse homicidium fecit aut facere voluit, et si ipsa sacramenta deducere minime ausus fuerit, ipsa persona tradatur et componat solidos centum.

5. † De negociantibus vero ambarum partium stetit, ut liceat per fines nostros principatus nostri beneventani negotium suum peragere, et per quovis accessu quod inter partes provenerit, non debeantur ledi vel detineri aut pignerari; set inlesi absque aliquo dampno ad propria revertantur. Si enim et pro qualibet occasione pignerati fuerint, ut ipsum pignus in integrum restituatur eis; et componat, qui hoc facere presumpserit, cui iniuriam fecerit, solidos viginti quatuor.

6. † De fugacibus ita stetit, ut si liberi aut libere fugierint a partibus vestris et vobis suaicentibus (a), res alienas secum detulerint, res ipse in integrum restituantur, et illi sint, ubi voluerint. Servi vero et ancille, si a partibus (2) fugerint, a presenti die reddantur dominis suis cum rebus suis in integrum, quae secum detulerunt, accipiente iudice loci per unamquamque personam auri solidum unum (3) iuxta antiquam consuetudinem; nam non habeat iudex licentiam amplius accipere: si autem presumpserit amplius accipere, reddat, quod tulit, in duplum. Si enim cognitus fuerit servus a suo domino, et venerit cum epistola et noluerit eum reddere iudex loci, et fugierit aut mortuus fuerit ipse servus, tunc ille iudex loci, qui noluit eum reddere, det pretium eius solidos XXIIII; sic tamen, ut si quoquo tempore ubique in principatu nostro beneventano inventus fuerit ipse servus, ut ille iudex vel alia persona, qui eius precium dedit, recipiat quod dedit, et servus revertatur ad anteriorem dominum suum. Si enim et aliquis a partibus venerit servos aut ancillas quaerendo, et iudex

(a) *Bluhme legit:* subiacentibus, *nec inepte; vox enim pro:* subjectis, *ni fallor, adhibita est. Peregrinii vero conjectura, qui* suadentibus *proponit, minus mihi probanda videtur.*

(1) Heic adnotationem Bluhmii ad v. *tertiator* in rubrica huius capituli appositam referre iuvat. Inquit enim: «Notandum in hac etiam pactione cum Neapolitanis facta nomen *haldii* nusquam inveniri, quamquam in divisione inter Radelgisium et Siginulfum *aldionum* mentio saepius fiat, tertiatores autem sub patrocinio quodammodo Neapolitanorum fuisse contextus capitis quarti demonstrat.»

(2) Partes Neapolitanorum heic, si recte video, innuit; infra de his servis fugacibus, qui in principatu Beneventano inventi fuerint, loquitur, nec de aliis aliquid adjicit.

(3) Iuxta *Edictum*, ut Bluhmius advertit, debebantur judici pro hoc solidi duo (Roth. 264; Luitpr. 44.)

loci illius dixerit non ibidem fuisse, tunc tres persone prebeant sacramenta: « quia nec suscipit, nec in conscientia habet, ubi ipse servus est », et sit ipse solutus.

7. † De homicida vero ita stetit, ut si quispiam exercitalem aut militem vel quamlibetaliam personam simpliciter ambulantem presumpserit occidere tempore pacis, ipsa persona modis omnibus tradatur; audita causa, infra triginta dies non liceat pignerare.

8. † De iustitia autem ita stetit, ut si quiscumque homo causam habuerit pro qualibet re, ut vadat semel et bis cum epistola principis vel iudicis sui; et si minime ei iustitia fuerit facta (a), pignerare infra civitatem, et sic ei iustitia fiat; minus ne (b), tunc habeat licentiam foris civitatem, qualiter pignus facere, tam in langobardos, quam etiam in inquilinos (1) vel qualibet persona pretendere poterit. Excepto negotiante: non habeat licentiam pignorandi, et si factum fuerit componat, sicut superius affictum est. De aliis vero personis vel rebus habeat sicut suum proprium menandum (2), et gubernandum usque ad menses tres. Et si neglexerit iudex loci iustitiam facere habeat iterum licentiam quaestor pignerare de loco, ubi causa queritur. Et si contingerit ante iustitiam factam, ut ipsum pignus moriatur aut perierit, non calumpnietur ille, apud quem ipse pignus fuerit, sed reputet sibi ille, qui iustitiam facere neglexit; tantum ille apud quem pignus fuerit, prebeat sacramentum: « quia eum nec donavit, nec venumdedit, nec alienavit, set tanquam suum proprium habere et gubernare voluit et quid factum est nescio », et sit causa finita. Si autem vivum et sanum fuerit inventum ipsum pignus, in integrum dedatur (c) domino suo; ita tamen (d) resideant iudices a partibus (e) in loco, ubi ea causa queritur; et si claruerit, quia iuste pigneravit, accipiat iustitiam suam et componat ei debitor solidos sex, pro eo quod ante pignus iustitiam ei minime fecit: si enim et claruerit, quia iniuste pigneravit, componat solidos sex et pignus salvum reddat.

9. † Si autem quispiam militem vel quamlibet aliam personam simpliciter ambulantem ligare aut bactere presumpserit tempore pacis, componat, cui iniuria facta fuerit, solidos centum. Si autem ad servi quispiam personam hoc facere presumpserit, componat solidos XXIIII.

10. † Et si quispiam homo super furtum inventus fuerit, et non dederit manum ad prendendum se, et mortuus fuerit, non requirantur; tantum tres personae bone de loco, ubi factum fuerit, quales quesierint parentes aut patronus mortui, dent sacramentum: « quia mortuus ille in furtum inventus est, et non dedit manum ad

(a) *Bluhme ex conjectura supplet:* liceat; *quod jam Peregrinius etiam suspicatus fuerat.*
(b) *Corrigi possit:* si minus, *sed vide cap. 10 infra.* Bluhme.
(c) Reddatur. Bluhme.
(d) Ut *supplet* Bluhme.
(e) Nostris *supplet etiam* Bluhme.

(1) Pro *inquilinis* Bluhmius heic intelligit colonos et tertiatores.

(2) I. e. ducendum, quae Italici sermonis vox.

ligandum se », et amplius non queratur, minus ne homicida ipse tradatur. Quod si vivus deprehensus fuerit ipse fur, in hoc modo, sicut superius legitur, tres persone prebeant sacramentum, « quia super furtum deprehensus est », et de presenti tolla(n)tur ei oculi, et post data sentencia recipiant eum parentes aut dominus eius.

11. † De furone vero, et homicida ita stetit, ut si quiscumque homo homicidium, aut furtum in sua patria facere presumpserit, et fuga lapsus fuerit, modo de presenti a partibus reddantur.

12. † De accionariis vero ambarum partium ita stetit, ut inlesi debeant ambulare, per acciones suas utilitates suas peragendo, et nullus presumat eis iniuriam aut lesionem facere; si enim iniuriatus fuerit verbo tantum, componat solidos duodecim. Quod si manum super eum miserit, componat solidos centum. Si autem et et aliquis presumpserit actorem occidere utilitatem suam peragentem, ipsa persona omnibus modis tradatur.

13. † Item stetit de fluminibus, qui in fine capuana sunt; hoc est patria, volturnas atque melturnas (1), ut in ipsa traiecta (2) sint licentia transeundi tam negociantibus quam et responsalibus (3) vel militibus seu aliis personis de ducatu vestro neapolitano, salva consuetudine nostra, inlesi debeant transire. Barcas enim, que ibidem ad ora canseverint (a) vel pro tempestate subduxerint, aut applicaverint per tota ipsa plagia, vel ubicumque in fine principatus nostri venerint, secure et inlese, sicut superius legitur, debeant esse; si autem et voluerint negotiare ibidem, persolvant secundum antiquam consuetudinem. Tantum ut si peccato faciente, navis rupta fuerit, res, que in ea invęnte fuerint, eis reddantur, cuius fuerunt et cuius sunt; homines autem sani et inlesi ad propria sua revertantur. Et hoc stetit, ut deinceps pro quavis occasione navigia vestra in partibus lucanie vel ubicumque in finibus nostris non detineantur.

14. † De tertiatoribus vero hoc stetit, ut nulla nova eis a parte reipublice imponatur (4), excepto antiqua consuetudine, hoc (b) responsaticum (5) solum, et

(a) *Sic in cod. Val.; Bluhme corrigit:* ad oram consederint. *At an potius:* cansaverint *ex Italico* cansare *i. e. ex alto ad litus evaserint?*
(b) *Sic in cod. Bluhme supplet:* est.

(1) Cf. Roth. 32, 33, 253.
(2) i. e. Vulturnus et Minturnus.
(3) Scapha, per quam flumina trajiciebantur.
(4) *Responsales* i. e. missi, nuntii.
(5) Verba: *nulla nova eis . . . . imponatur*, scil. consuetudo, eadem sunt ac illa, quibus Grimoaldus rex cap. 1. legum suarum usus est, cum *novam* (obedientiam) aldioni ab eius patrono amplius non *imponere* praescripsit, uti Caumo, *Dei Terziatori* p. 11 jam observavit. Id vero an casu vel potius ex quadam inter tertiatores et aldiones, quoad eorum status aequalitatem attinet, necessitudine, factum fuerit, affirmari nequeo; quamvis in utroque loco oneris praetermissio alteram opinionem haud temere commendat.
(6) *Responsaticum* erat annua praestatio, quae sive in re, sive in pecunia, domino a colonis respondebatur. De eo per haec tempora in locati conducti instrumentis frequens mentio. Cf., ut exempla aliquot afferam, *Regest. Neap.* n. 229, 267, 311, 570, etc. ubi conductores triticum vel *fasiolos;* et n. 303, ubi tari auri duos pro responsatico dare promittunt. Ex hoc ipsa locatio ad responsaticum conventa et pacta dicitur.

angaris (*sic*) et calcarias (1), simul et ad dominas suas (2) angarias et pensiones secundum antiquam consuetudinem, nec non et exenium (3) ad ducem (4), unum semel in annum, quod fuit prisca consuetudo; nam nulla alia nova imponatur a parte reipublice ad eos qui se dividunt (5), nisi tantummodo responsaticum et angarias

(1) Sic in cod.; at ego potius *calciarias* legendum esse arbitror, ut jam alibi (*Il* Pactum *di Sergio duca di Napoli*, nell' *Archiv. Stor. Nap.* an. 1884. p.) animadverti; nulla enim de calcariarum vectigali per haec tempora apud nos notitia. Contra *calciarium* pluries occurrit in huius aevi documentis ad significandam quamdam sive rei sive pecuniae praestationem, quae ex fundis vel terris libellario jure concessis sive in prima contractus stipulatione, sive in subsequenti eius renovatione sive in constitutum ex intervallo tempus, praeter annuum censum ad dominii recognitionem directo domino persolvebatur. Cf. quae in hujus operis t. II, v. 19, not. 3 dixi, et praecipue dissertationem egregii iuvenis Vincentii Simoncelli nuper editam, cui titulus: *Della prestazione detta* Calciarium *nei contratti agrarii del medio evo* nell'*Arch. Stor.* cit. an. XII, p. 787.

(2) Verisimiliter legendum est. *ad dominos suos*, uti jam Peregrinius legit, et alii post eum. Si quis vero nihil in cod. lectione mutandum atque ibi vocem *partis* scil. Langobardorum et Neapolitanorum subaudiendam esse censet, ego non abnuo; dummodo de privatis personis, non de republica intelligat: de hac enim capitulum, de quo agimus, superius dixerat.

(3) *Exenium*, vel, ut alibi ex sermonis corruptione, *atsenium, senium*, erat annua cuiusdam rei praestatio sub specie et nomine xenii vel munusculi, praeter censum et responsaticum domino ex stipulatione a colonis debita. Plura huiusce praestationis exempla in instrum. Neapolitanis habemus, ubi varia xeniorum genera. Ita quidem in instr. anni 912 et 957 paciscitur pullus unus: in alio instr. anni 981 tres palumbi aut viginti merulae et *curdi;* item in instrum. anni 992 *una quatra de nuce mundate*, et in alio anni 1001 quinque *tortini* mundi et una *gallina* bona, vel, ut in charta anni 1006, par unum de pullis aut coxa porcina. V. *Regest. Neap.* nu. 1, 97, 229, 275, 330.

(4) Quod hic in textu dicitur: *ad ducem*, omnino insolens est; de parte enim reipublicae non agitur, ac, etiam, si de ea ageretur, qualem ducis nomen ibi adhibitum vim aut significationem habere possit, prorsus intelligi nequit. Et quidem si Capitulare de eo, qui reipublicae praeerat, loqui voluisset cur exenium *ad ducem* Neapolis tantum et minime ad Beneventi principem ex prisca consuetudine dari permisit, cum tertiatores procul dubiò ambabus partibus communes erant? Neque contra magis congruens est Peregrinii lectio *ad invicem*, quae nescio an ex ipsius emendatione vel ex alicuius papyracei codicis, cuius ipse meminit, varietate processit, et ceteroquin minime loci sensum planiorem reddit. His igitur positis, cum utraque lectio rejicienda sit, textum ita emendandum esse mihi videtur, ut correctio nihil aut fere nihil a codicis lectione differat, ac non modo sermoni tunc temporis usitato, sed etiam apte cum Capitularis sententia conciliari possit. Pro *ad ducem* ideo ego *adducere* propono, una tantum littera cum aliis duobus, quas facile librarius confundere poterat, permutata. Tertiatores enim ex hoc capitulo, praeter angarias et pensiones dominis suis persolvendas, *exenium* ADDUCERE *unum semel in anno* debebant. Hoc vocabulo, et non alio, rem ipsam in instrumentis Curiales Neapolitani fere semper significant. Sic in instrumentis an. 957, 981, 991, 1005, 1006, quorum supra memini videre est; ubi conductores *exenium adducere* locatoribus promittunt. Sic etiam alibi, ubi de terratico vel responsatico agitur.

(5) *Qui se dividunt* — Cl. vir HIRSCH (*Das Herzogthum Benevent.* p. 10) hos utique illos tertiatores esse putat, qui *communes erant inter partes;* at id minime Capitularis sententia explicat, nam omnis tertiator generatim communis erat utrique parti. Corum igitur ego sic intelligo. Capitulare postquam de tertiatoribus communibus, qui *laborabant* fundos et terras, in quibus fundati fuerant, statuerat, transit ad eos tertiatores, qui se *diviserant*, scil. qui se, vigore *Pacti* Arechis (c. 10), ut mihi videtur, e fundo exfundaverant, et ab agri communis inter dominos suos Langobardos et Neapolitanos cultione, et a pensione ac servitio inde debitis se abdicaverant. His vero, qui aliunde tenebantur servire etiam ratione personarum, nullam novam conditionem, praeter responsaticum et angarias, pars reipublicae sive Neapolitanorum sive Langobardorum imponere poterat.

superscriptas, et si quis hoc presumpserit facere rei publice, ut ad terciatores amplius imponatur, nisi superscripta capitula, nam nulli (a) alii homini (1); et si quis insuper hoc facere presumpserit, componat solidos XXIIII (2) et quod tulit, reddat.

15. † Item stetit, ut non habeat licentiam quispiam a partibus foris civitatem cavallum aut bovem comparare, nisi infra civitatem vel in mercato presencia de iudicibus et ab eis ipse venditor cognoscatur; et si venditor a iudicibus cognitus non fuerit, ut nullatenus habeat licentiam comparandi; si autem et comparavit foris civitatem, vel in mercato aut in civitate simul in presentia de iudicibus, sicut dictum est, et venditor non fuerit cognitus, sit ipse emtor fur, et reddat cavallum aut bovem; si enim liber fuerit, abscidatur ei manum, aut certe si voluerit, det pretium de ipsa manu solidos quinquaginta; de servo vero ut ipsa persona tradatur, aut si voluerit ipse dommus eius det precium de ipso servo solidos viginti quatuor. Si autem venditor negaverit, ut non ipsum cavallum aut bovem vendidisset, et illi in quorum presentia venditus fuerit (b), persone utiles (3), quibus credatur absque crimine, non habeat licentiam venditor negandi; set illi tres, si fuerint fide digne persone prebeant sacramenta: « quia in nostra presentia vendidistis et tantum precium tulistis »; tunc reddat quod tulit, et illi (c) tradatur cui cavallus aut bos fuerit; sic tamen, ut non eum sanum apud se detineat. Et si voluerint parentes aut domini eius eum liberare, dent pretium eius sicut superius affictum est; et ille cuius cavallus aut bos fuerit, res suas recipiat. Si vero contingerit ante iustitiam factam ipsum cavallum aut bovem mori, det pretium pro cavallo solidos octo et pro bove solidos quatuor, et pro hoc capitulo nichil accipiat iudex loci illius.

16. † Sed hoc promittimus, ut non pro quovis excessu barbaricum (11) facere, aut cursa mittere ante primam, secundam, tertiam et quartam contestationem; et si homicidium a partibus proverit et minime iusticiam a partibus infra tricesimo die facta fuerit, sicut superius scriptum est, sit in hoc pactum solutus. De aliis vero capitulis, que infra hunc pactum affictum est, minime dissolvatur; set firmus et stabilis usque in prefinitum tempus debeat permanere, si ea que in hunc pactum affícta sunt, inviolabiliter conservatum fuerit.

17. † Sed hoc stetit, ut si quis a partibus pro pignore pignoraverit ante iusticiam factam, reddat pignus, et componat solidos duodecim.

(a) *Corrigendum videtur:* aut *ulli.* BLUHME.
(b) *Bluhme supplet:* sint.
(c) *In cod.:* ille.

(1) Locus vel mancus vel corruptus.
(2) Compositio vigintiquatuor solidorum imposita iis, qui contra ea, quae in isto capitulo statuuntur, facere praesumpsissent, satis clare demonstrat ibi non de parte reipublicae, sed de privatis dominis Capitularis compositores locutos fuisse. Alioquin, ut cetera, quae id firmant, praeteream, a quibus compositio in his casibus persolvenda esset?
(3) I. e. boni et idonei homines.

18. † Sed et hoc placuit atque convenit, ut nullus homo causam pro causa anteponat; sed ubi prius causa queritur, faciat iusticiam quesitori sine ulla opposicione; nam non habeat licentiam dicendi: « quia si non reddis hoc, non tibi faciam iusticiam ». Et si quis pro tali occasione iusticiam facere distulerit, tunc districtus iusticiam faciat, et componat negator iusticiam querentibus solidos sex.

19. † Et hoc promittimus, ut ubi volueritis exercitare in alia ducata pertinencia ducatui vestro neapolitano per terram nobis subiectam, nullam lesionem a principatu nostro beneventano in ducatu vestro neapolitano vel in cunctis finibus, terra marique pro quavis alia occasione ab homi . . . . .

Caetera desiderantur.

IV.

[PACTUM SERGII DUCIS CUM NEAPOLITANIS an. 1030?]

Forma privilegii continentis Magnificenciam Nobilium Civitatis neapolis Inventi in domo domini Bartholomei caraczuli dicti carrafe (1).

Ego Sergius dei gratia Consul et Dux atque magister militum promitto et iuro vobis omnibus Nobilibus Neapolitanis (2) et omnibus hominibus medianis et omnibus hominibus Neapoli habitantibus et manentibus per patrem et filium et spiritum et per vivificum lignum sancte crucis in quo dominus noster fuit suspensus et per hec sacrosancta evangelia et per omnia divina misteria. Quia amodo in antea non ero in consilio vel in facto seu consensu (3) ut vos manum aud quodlibet membrum de vestris personis perdatis aud aliquis ex vobis perdat ullo modo aut capti sitis vel exiliati. Sive in carcere positi vel in custodiam aliquo modo ad vestrum dampnum (4) aud aliquis ex vobis fiat nisi tale foris factum mihi feceritis aud aliquis vestrum fecerit, Unde rectum (5) aud concordiam vel emendacionem per directum Iudi-

(1) Documentum in cod. Vaticano sic inscribitur, nulla temporis nota adjecta. Ejusdem igitur epocha non aliunde nisi ex nomine Sergii ducis, et ex ipsius Pacti continentia et tenore deprehendi potest. At illorum, qui Neapolitanum ducatum dominati sunt et Sergii nomen habuerunt, duo tantum in causa veniunt, Sergius I scilicet et Sergius IV; alter enim, cum esset comes Cumanus, a Neapolitanis ad ducatus honorem evectus fuit, unde facile sub aliquibus conditionibus novam dominationem suscipere potuit; alter, postquam e ducatu, seditione aliquorum civium oborta, eiectus fuerat, biennio fere post, a parte sua iterum in urbem et in dominium, certis fortasse conditionibus susceptis, fuit revocatus. Inter hos igitur res investiganda venit. Cum autem Pactum hoc *sacramentum securitatis*, uti tunc vocabatur, continens, formulas saeculo VIII insolitas, saeculis X et XI plurimum adhibitas habeat, non sine certa ratione opinari mihi videor si Sergio IV ipsum tribuo. Plura vero formularum ipsarum exempla in diplomatibus illius aetatis, quae infra adnotabo, conferri possunt.

(2) Alibi *nobiliores* homines dicuntur: V. *Regest. Neap.* nn. 114, 588. Cf. etiam *Vita S. Athanasii* in *Mon. Neap. duc.* t. I, p. 84 et epitaphium Hadriani (a. 859) in D'Engenio, *Napoli Sacra*, p. 318. Praeterea omnes isti *nobiles homines*, vel certe major pars eorum (*quamplures*, V. textum infra) *primates* (Ioh. Diac. n. 40), *magnates* (Autperti, *Passio S. Fortunatae;* Auxilii, *Defensio etc.* in *Mon. Neap. duc.* t. I, p. 20 et 341), *optimates* vel *potentes* (*Transl. S. Severini* ibid. pp. 294, 296), *proceres* (*Vita S. Athan.* l. c.), *majores* (*Epistola PP. Gregorii VII*, ibidem p. 261) et *judices* (*Epistola PP. Iohannis VIII*, ibid. p. 284) quia in *curia* Ducis judicabant (V. textum infra) vocabantur. Ipsi *magnifici* titulum plerumque usurpant. Cf. *Reg. Neap.* nn. 21, 22, 32, 51, 368, etc.

(3) Ita in *sacramentis securitatis* vel *libertatis*, quae habentur ap. Gattola, *Accessiones ad Hist. Casin.* p. 90, 222, 225, 226, 229 et ad Laidulfum principem Capuae (992-999, ad Riccardum item Capuae principem (1087-1105), ad Robertum hujus Riccardi fratrem (1107-) ad Raonem Raelis filium (1111 et 1113) pertinent. Deinceps, hujusmodi formulae in *Usibus Feudorum* etiam receptae fuerunt, et eisdem vaxalli juramentum fidelitatis dominis suis praestabant. Cf. *Usus. Feud.* L. II. Formula autem haec fere semper erat: *Per haec sancta Dei evangelia ab hac hora in antea non ero in consilio vel in facto seu consensu ut vitam vel membrum de tuo corpore perdas.*

(4) Sic inter immunitates, quas barones ecclesiastici saeculo XII vaxallis suis irrogabant, erat privilegium, ut nemo *per occasionem* vel *mala captione* i. e. absque judicio in vincula conjiceretur. V. Gattula, *ll. cc.*

(5) *Rectum* scil. jus, justitia.

cium quod nobiles neapolitani in curia mea iudicaverint infra quindecim dies proximiores facere nolueritis aud non potueritis aud aliquis ex vobis non potuerit aud voluerit. Si ante moniti fueritis vel fuerit. Et res vestras vobis vel alicui ex vobis per vim non tollam vel tollere faciam. Domos vestras vel alicui ex vobis non dirruynabo aud dirruinari faciam, nullam novam consuetudinem (1) in hac civitate Neapoli et in eius pertinentiis faciam vel fieri faciam absque consilio de quampluribus nobilibus neapolitanis et feminam, alicui viro non sociabo vel virium femine absque eorum gratuita voluntate nec alicui consentiam et si aliquis illud facere inceperit ego vos exininabo (2) et si a vobis vel ab aliquo ex vobis ammonitus fuero. Et non ero in consilio vel in facto seu consensu. Ut hec societas (3) que inter vos facta est seu facienda corrumpatur et si aliquis eam corrumpere inceperit. Ego vos exinde recta fide contra eum adiuvabo ut hec societas permaneat et guerram aud pacem sive abstinentiam aud treuam absque consilio de quampluribus nobilibus neapolitanis non faciam nec fieri faciam: homines qui venerint vel venerit per terram aud per mare cum mercato vel absque mercato (4) in Neapolim aud steterit non disturbabo vel disturbari faciam et res eorum non tollam aud tollere faciam per vim, hec omnia suprascripta observabo vobis vestrisque hominibus fide recta et pura intentione dum vivus fuero me sciente.

(1) I. e. tributum.

(2) Vox corrupta vel male exscripta. Sensus autem, si recte video, est: Ego (Sergius) consilium vel conatum illius, qui matrimonia contra voluntatem contrahentium facere praesumpserit vacuum et *inane* reddere spondeo.

(3) Quae Neapoli *societas*, ea Ianuae, ubi item versus eiusdem saeculi finem inita fuit, *compagna* appellabatur. Cf. LUMBROSO, *Sulla storia dei Genovesi avanti il MC*, p. 79.

(4) Sic in jurejurando, quod a quibusdam baronibus nomine imp. Lotharii anno 1137 Beneventanis datum fuit, dicitur: *mercatum civitati non disturbabo nec disturbari faciam.* FALCO BENEV. ad an.

V.

[PACTUM SERGII, POSTREMI NEAPOLITANORUM DUCIS, CUM POPULO CAIETANO an. 1128]

† Ego Sergius dei gratia Consul et dux atque magister militum. Do mundam treuguam, et pacem ab hac die, et usque ad annum decimum expletum cuncto populo gaietano, in personis, in habere, et navidiis, a me et ab omnibus meis hominibus Scilicet hominibus habitantibus in insula maiore (1) et gerone (2) et Procitha, et castro sancti Martini (3) et castro puteolano, et gipeo (4), et arcem sancti salvatoris (5), et civitate neapoli, et castro qui dicitur turris de octavo (6). Et ab extraneis hoc modo. Ab extraneis quidem salvum facimus et securum gaietanum populum cum suis rebus, et navidiis in civitate neapoli, et portum predicte civitatis, secundum nostrum posse. A me vero et a suprascriptis omnibus meis hominibus ubique in terra et mari facio salvum populum gaietanum, personas, et pretium, et navilia, ita ut si quis gaietanorum hominem michi, vel alicui meorum subiectorum in persona, vel habere, aut navidiis iniustum fecerit, et ego inde reclamationem facio, aut facere facio iudici gaiete, et bonis hominibus, si infra quindecim dies proximiores facte reclamationi emendationem habuerimus aut per concordiam nobis placentem, aut per iusticiam secundum legem et usum Gaiete quieti permaneamus. Sin autem sit nobis concessa licentia habere gaietanorum causa pignorantie apprehendere, et laudabili compensatione habita quod nobis ablatum fuerit recuperare, et quod plus fuerit pignoratis hominibus reddatur. Item si quis gaietanus de meo habere, vel de terciis gaiete vel de insulis,

(1) Haec insula, quae ab antiquis Aenaria vel Inarime ac etiam Pithecusae nuncupabatur, his temporibus, uti auctor *Vitae S. Athanasii* asserit (V. *Mon. Neap. duc.* t. I, p. 85), *usitatiori nomine Insula major*, sive *Iscla major,* ut in epist. Leonis III, PP. (*Ibid.* p. 249) erat appellata. Nunc vulgo est *Ischia.* Male quidem omnino aliqui scriptores ita Nesim vocatam putaverunt.

(2) Geronis castrum in dicta insula positum meminit diploma anni 1029 a Sabatinio olim editum (*Calend. Nap.* t. V. p. 75). V. *Regest. Neap.* n. 458.

(3) Castrum hoc, post Miseni excidium verisimiliter extructum, in latere occidentali promontorii Misenatis sive potius montis, qui *di Procida* dicitur, tunc extitisse non sine ratione adfirmari potest. Nam, praeterquam quod locorum ordo, prout ipsa in documento disponuntur, id expostulat, ibi S. Martini nomen adhuc superest in quadam turri et in scopulo, qui juxta prostat Cf. SCOTTI, *Dissertazione corografico-Storica delle due distrutte città Miseno e Cuma* p. 39, IATTA *Discorsi* etc. p. 120.

(4) In Regesto Friderici II, an. 1239-40 fol. 3 v. mentio habetur ecclesiae S. Angeli de Zippio, quae inter alia ad Neapolitanum archiepiscopum spectabat. HUILLARD-BREHOLLES, *Hist. dipl. Frid.* II, t. V, p. 960. At an Zippium idem ac Gipeum? Certe quaedam similitudo inter utraque nomina inest. Si vero ex locorum dispositione argui licet, Gipeum inter Puteolim et castrum Ovi reponendum est, et forsitan in insula Neside recognoscendum; quae conjectura ex eo insuper firmari potest quod ecclesia S. Angeli de Zippio et ipsa insula ad archiepiscopalem ecclesiam Neapolitanam vetustissimis temporibus pertinebat. Cf. CHIOCCARELLI, *Antist. Neap. Cat.* p. 321; MAZZOCCHI, *De cath. eccl. Neap.* p. 216. Sed merae conjecturae sunt.

(5) Nunc *castello dell'uovo.*

(6) Nunc *Torre del greco.* Cf. *Regest. Neap.* n. 380 in not.

videlicet pontia sennione, palmaria (1) cum suis pertinentiis maris et terre, michi iam dicto Sergio magistro militum aliquid iniustum fecerit, et inde reclamationem facio aut facere facio per meum ordinatum, seu per alios meos homines iudici gaiete et bonis hominibus, si infra quindecim dies proximiores facte reclamationi emendationem habuero, aut per concordiam michi placentem, vel per justiciam secundum legem et usum civitatis gaiete quietus permanebo. Sin autem sit michi concessa licentia habere gaietanorum non personas causa pignorantie apprehendere, et laudabili habita, compensatione quantum michi ablatum fuerit recuperare, et quod plus fuerit hominibus pignoratis reddere faciam. Et sic injusti (2) offenso ab alterutra parte emendato prenominata treugua et pax usque ad terminum constitutum firma permaneat. Hec omnia observabo bona fide sine malo ingenio. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo octabo. Mense aprili indictione septima.

(1) Insulae in mari Tyrrheno ad Cajetanum ducatum pertinentes.

(2) Vocem in membrana minus recte breviatam vel exscriptam sic, ut sensus aliquis in textu haberetur, interpetrandam esse olim me admonuit cl. vir d. Sebastianus Kalefati.

NEAPOLITANI DUCATUS DESCRIPTIO

UBI ET DE LIBURIA.

Ducatus Neapolitanus varios diversis temporibus fines habuit. Nam, praeter Liburiam, quae aliquandiu inter Langobardos et Neapolitanos ex pacto communis fuit, et praeter Nolanum atque Abellanum agrum, qui saeculis VII, VIII et IX aliquando ab his, aliquando ab illis, prout rerum vicissitudines et bellorum alternae sortes ferebant, erant subjecti, primo ducatus ipse latius ad orientem patuit, et, uti jam alibi innui, Amalphitanam etiam ac Surrentinam regionem complectebatur. Deinceps, novo Amalphiae circa finem saeculi IX ducatu instituto, Neapolitana ditio ab ea parte in angustiores terminos adducta fuit. Postremo saeculo XI Surrentini etiam defecerunt. Praefecti enim, qui potestatem ibi a Neapolitanis ducibus usque tum susceperant, Northmannorum principum affinitatibus elati a veteri subjectione se se vindicarunt.

Neapolitani ducatus igitur situm, urbes et loca describens, ad ea tantummodo tempora respicere constitui, in quibus ipse, proprio nomine et limite praefinitus, nec Amalphitanum nec Surrentinum territorium comprehendit. Eiusdem vero fines tunc isti erant. Ad orientem Sarnus fluvius et quodammodo Sarni Nolae atque Abellae montes; ad septentrionem iidem Abellae montes, ubi Cancelli castrum, et Clanius sive Laneum flumen; ad occidentem et meridiem Tyrrhenum mare, ubi insulae ad ipsum ducatum pertinentes.

Tota regio, si unum illum tractum excipias, qui loca agri Neapolitani inter Atellam, fluvios Clanium et Sebethum, atque Puteolanos ad boream fines, qua montium juga *Quarti* planitiem cingunt, posita continet, ac nulla speciali appellatione distinguebatur, in quasdam partes, quae *territoria* et *massae* vocabantur, divisa erat. Quare in huius aevi documentis saepe nobis occurrunt: — 1. *Territorium plagiense,* quod et *pars foris fluvium* (erat enim tractus trans Sebethum vel Rubeolum flumen ad mare positus). Ibi *Massa Sollensis* — 2. *Territorium cymiterense* et *Nolanum* in mediterraneis — 3. *Territorium Puteolanum* — 4. *Territorium Liburianum* vel *padulanum,* sive *Liburia;* ubi: *Massa Atellana*, *Massa valentianensis, Massa padulana* et *Massa Patriensis.* De his omnibus singillatim et ex ordine persequar, ab urbe Neapoli, quae ducatus caput erat, et a locis suburbanis vel extra praedicta territoria positis, exordium sumens.

Neapolitana igitur urbs, quam scriptores et diplomata Parthenopem (1) etiam per haec tempora libenter appellare affectant, et (cum *novae* nomen, eidem, quae antiquissima erat, male adtributum putarent), Enneapolim potius, sive quod ab Aenea condita, sive quod novem civitatum dominatrix fuisset, dicendam esse opinati sunt (2), tunc excelsis et firmissimis moenibus circumsepta erat, et plurimis turribus, quarum *septem augustales et ob numerum tetragonas hexagonasque* Belisarius, uti vulgo ferebatur, addiderat, ab hostium armis et a Caracenorum incursibus defensa. Praeterea aliis etiam propugnaculis, minori scilicet muro, qui *muricinum* vocabatur, a parte maris (3), et *fossato,* qui ad septentrionem *carbonarius publicus* (4) dictus fuit, muniebatur. Ita etiam portus *contiguo ob navium receptaculum et tam firmissimo aedificio* munitus erat, *ut onustae mercimoniis*

(1) Id nedum in carminibus, sed etiam in scripturis soluta oratione compositis animadverti potest. Ex quamplurimis duo tantum exempla proferam: i. e. alterum ex libro, qui inscribitur: *Opusculum de S. Severo* n. 12 in M. N. D. t. I, p. 276 et alterum ex diplomate Iohannis ducis an. 944 dato, quod videre est supra p. 5.

(2) *Vita S. Athanasii* n. 1. Telesini, *Chron.* III, 19.

(3) *Regest. Neap.* nn. 496 et 597 ac supra p. 43. Inde tractus omnis, qui a portu ad ecclesiam S. Mariae de Carmelo extenditur, deinceps sub Andegavensibus regibus *Moricinum* vocatus fuit.

(4) *Regest. Neap.* n. 4. Inde via S. Iohannis *ad carbonariam.*

triremes a supereminentibus validissime tueri possent; quod Narseti ab auctore *Vitae S. Athanasii* tribuitur Praeter hunc alius etiam portus, qui *Bulpulum* vel *Vulpulum* dicebatur, Neapoli tunc temporis circum loca, ubi nunc ecclesiae S. Mariae ad mare et S. Iacobi Italorum (1) visuntur, extabat.

Moeniorum vero circuitus ad 2363 passuum, cum Rogerius primus Siciliae rex Neapoli potitus fuit, dimetiebatur (2). Eorum in veteribus chartis pluries fit mentio, unde qualis sub ducibus urbis situs fuerit, apte conjici potest. Ibi enim memoratur *murus publicus:* in vico *Formelli, regione apostolorum* (3); in loco *at nimfe juxta portam de domino petro de domino adelgiso* (4); juxta ecclesiam S. Felicis, quae erat *subtus turrim* (5); juxta ecclesiam S. Michaelis archangeli, quae a. 924 erat *a foris*, et a. 1019 *subtus murum publicum* in regione *portenovensis* (6); *ad calcara,* ubi etiam turres, quarum altera vocabatur *turre cinta* et altera *de Angla* (7); in regione *ficariola ad duos amantes* (8); et denique juxta terram monasterii S. Martini puellarum Dei (9). Praeterea in aliis proximi sequioris aevi monumentis notitiam habemus *muri veteris* in platea publica *per qua decurrit aqua de fusar* (10), prope ecclesiam *S. Iasine* (. Blasii), et ad illum *vulpulum* regione portus (11). Ex quibus recte argui potest tunc temporis Neapolitanam urbem hos fines habuisse: ad orientem scil. *Ss. Apostoli* et *la via S. Antoniello alla Vicaria*, *S. Maria a Cancello*, *la Maddalena*, *Sopramuro* et *S. Maria della Scala;* ad meridiem *il pendino*, *gli armieri*, *la loggia*, *la via dei calzettari a S. Pietro martire*, *la strettola di Porto*, ac tractus, qui hinc recta linea ad ecclesiam S. Mariae ad mare vel S. Iacobi Italorum ducit et vergit per viam vulgo *rua Catalana;* ad occidentem *Donnalbina, S. Sebastiano, S. Pietro a majella*, *la strada Costantinopoli*, et denique ad septentrionem *S. Agnello, gl' Incurabili, la strada Settembrini* olim *dell'Orticello* usque ad ecclesiam Ss. Apostolorum, unde initium sumpsimus. Animadvertendum tamen est tractum illum, qui ab oriente ad occidentem inter ecclesiam S. Archangeli *armeriorum* et *vulpulum* seu ecclesiam S. Mariae ad mare in longitudinem, et a septentrione ad meridiem inter loca urbis edita et mare in latitudinem protendebatur, novam ipsius urbis accessionem fuisse, saeculo IX vel X factam, quae idcirco *iunctura nova* vel *iunctum civitatis* in hujus, et in sequiorum saeculorum documentis, generali appellatione distinguitur (12).

Ex ipsis insuper ducalis aevi monumentis elicimus extitisse in latere murorum orientali portam *Capuanam*, quam Grimoaldus Beneventi dux an. 813 vel 816, cum, profligato Neapolitanorum exercitu, transfugas insequeretur, conto percussit (13), portam *de domino Petro de domino Adelgiso* nunc destructam, (14), ac portam *Furcillae,* quae et *Cannabarii* (15), ubi extrinsecus me-

(1) *Ibid.* n. 378.

(2) Falco Beneventanus ad an. 1140.

(3) *Regest. Neap.* nn. 283, 647.

(4) *Ibid.* n. 450. Locus deinceps *Don Pietro* dictus fuit. Cf. Passaro, *Giornale* p. 16 et Tutini, *Dei Seggi di Nap.* p. 177.

(5) *Ibid.* n. 640. Ecclesia S. Felicis, nunc destructa, in latere meridionali plateae *Sellariae* iuxta fontem olim extabat.

(6) *Ibid.* nn. 11, 383.

(7) V. Diplomata an. 1065 et an. 1075 supra p. 43 et 54 atque aliud vel an. 1098 vel ann. 1113 p. 100 ac not. ibid.

(8) *Regest. Neap.* nn. 6, 245, 270, 387.

(9) *Ibid.* n. 4. Cf. t. I, p. 167, not. 7.

(10) Cautillo, *Dissert. sulla staurita di S. Pietro a fusariello* p. 80. Documentum ad an. 1267 pertinet.

(11) *Notamenta instrum. S. Sebastiani* n. 680. Instrum. est anni 1264.

(12) V. supra p. 97, n. 10, et instrum. an. 1266 in *Indice delle perg. di S. Severino* n. 38; diploma an. 1283. *Registri Angioini* n. 45 (1283, A) f. 77; instr. an. 1288 ap. Sabatini, *Calend. Nap.*, t. V, p. 59; Instr. an. 1326 in *Pergam. dei monast. soppressi* vol. XXXIV, n. 2926.

(13) Erchempertus n. 88; Falco Benev. ad an. 1140. Exstabat paulo citra quam nunc.

(14) *Regest. Neap.* n. 450. An vero porta haec eadem sit ac illa, quae in instrum. aa. 1184, 1206, et 1250 in *Notam. instrum. S. Marcellini* f. 136, et 175, et ap. Tutinii Ms. f. 21 breviatis, *de illi ferri regionis Furcillae* (Cf. Tutini ap. Mazzocchi, *De Ss. epp. Neap.. eccl. cultu*, p. 327) vocatur, penitus nescio

(15) *Ibid.* nn. 334, 490, et supra p. 94; Cf. etiam nn. 483, 493. Porta deinceps ulterius producta et *Nolana* appellata fuit.

morantur *caput de fuga, gurges,* et ecclesia S. Mariae, quae dicebatur *S. Gerusale:* in latere meridionali portam *novam de illis monacis* (1) et portam ac *pusterulam at Calcaria* (2), nec non portam venturam? *(ventosam)* (3), ac *portam de illo vulpulo* (4), omnes nunc eversas; in latere occidentali portam *domini ursitate*, quae etiam nova dicitur (5); et denique in latere septentrionali portam *S. Ianuarii* (6) ad praesens paulo supra exstantem. De porta *Cumana* vel *Puteolana*, quam nostrates in platea S. Dominici ponunt, nisi illam ipsam fuisse putabimus, quae in doc. an. 992 *porta Romana* dicitur (7), nullum in eisdem monumentis verbum.

Urbs in quasdam regiones (8) dispertita erat, in quibus plures vel vici vel plateae continebantur. Ex iis, quarum notitiam in docc. hujus aevi habemus, aliquot vetus nomen, sin minus extensionem, vel ad sequiora saecula servarunt, vel adhuc servant. Hae sunt: regio *Apostolorum* (9), in qua vicus *Formelli* supra memoratus et vicus *Cornelianus* (10) — regio *Summae plateae* (11), ubi vicus *Virginum* vel *Frigidum* (12) et vicus *Bulgarum* (13); vicus *radii solis qui e gurgite,* (14) vicus *S. Mariae de piczione* (15), ac curtis *S. Mariae de domina Galataea* (16) — regio *portae S. Ianuarii* (17), ubi vicus *Treafata* (18) *qui et Carrarium* vicus et ecclesia *S. Iulianae,* postea S. Iulianissae (19), et vicus *duodecim putea*, qui et aliquando etiam *judaeorum,* ubi ecclesia S. Amasi, (20)—regio *Furcillensis* (21), in qua vicus *placidum* (22), vicus *Corarius* sive *Quamcoraria,* postea *ad secula* (23); vicus *Granci* (24), ubi ecclesia S. Fortunatae; vicus *Sennarini,* in quo ecclesia Ss.

(1) SABATINI, *Calend. Nap.* V, 43, 49. *Regest Neap.* n. 10. Iuxta ecclesiam S. Archangeli *agli armieri*, quae iuris erat monasterii Cavensis, visebatur. Aliquando tantum *porta nova* dicitur (cf. supra p. 54). Forsitan deinceps *de illo Bonifacio ad barbacane* dicta fuit *(Catasto di S. Pietro a Castello* n. 441); vel *de la Paya aut de Appaya prope Iudaicam (Reg. Ang.* n. 45, 1283. A, f. 77 et n. 47 1284, A, f. 97).

(2) Dipl. cit. an. 1075 supra p. 54. Utraque erant in viciniis viae *Principessa Margherita.* Ibi deinceps memoratur *portella* et ecclesia *S. Mariae ad portellam (pusterulam).* V. opusculum meum: *Napoli e Palepoli* p. 48.

(3) *Ibid.* n. 642; situs vero eiusdem in hoc doc. non exprimitur, at ex recentiorum scriptorum auctoritate in vico *Mezzocannone* collocanda videtur.

(4) *Ibid.* n. 534; deinceps *Porta S. Nicolai (al molo).* MINIERI *Studii sopra 84 reg. ang.* p. 79.

(5) *Ibid.* nn. 613; et docc. aa. 1208, et 1254 in *Notam. instr. S. Gregorii* nn. 103, et 78. Deinceps ulterius etiam producta fuit et *di Costantinopoli* vocata. In instr. a. 993 habetur terra cuiusdam d. Ursitate. *Regest.* n. 281.

(6) *Ibid.* n. 71, 638, 647.

(7) *Ibid.* n. 275. Instrum. memorat quosdam *habitatores in loco Canineo*, *territorio porta Romana.* Si vero porta haec ibi exstabat, certe magis ad occidentem recta hinc collocanda est.

(8) Quaedam familiae a regionibus, in quibus habitabant, agnomen accipiebant, ut Bulcani de *Capuana* (n. 385), Ipati de S. Arcangelo *at Signa* (n. 463) Ciriarii *de portanova* (n. 419) et alii quos omitto.

(9) *Regest. Neap.* n. 283, Nunc *Ss. Apostoli.* Vicus *Formelli* vero ad regionem etiam *Portae S. Ianuarii* aliquando adtribuitur. *Ibid.* n. 565 et 647.

(10) Instr. a. 885 ap. TUTINI, *Notat. desumptae ex arch. aliquor. monast.* in bibl. Brancatiana Ms. f. 62 v. et instr. an. 1236 et 1291 in *Notam. script. S. Sebast.* n. 316 et *S. Gregorii* n. 209.

(11) *Regest. Neap.* nn. 42, 150, 181. Nunc *Strada Reginacoeli.*

(12) *Ibid.* nn. 99. 140, 181. Postea monasterio S. Iosephi de Ruffis, nunc *delle Sacramentiste,* inclusus

(13) *Ibid.* n. 181. Deinceps *vico S. Giuseppe de Ruffi*, nunc ob novam viam *del Duomo* obliteratus

(14) *Ibid.* n. 26, 138 etc. Vicus deinceps *di pozzo bianco* et *dell'Arcivescovato* dictus; nunc inclusus in via *del Duomo.*

(15) *Ibid.* n. 490, Diplom. supra p. 64. Ecclesia S. Mariae *de lo pizzune* memoratur in sedili Montaneae a. 1423. Cf. SICOLA, *Vita di S. Aspreno* p. 360.

(16) *Ibid.* nn. 412, 424, 439.

(17) *Ibid.* nn. 14, 560, 647.

(18) *Ibid.* nn. 14, 96: nunc *S. Giovanni in porta.*

(19) *Ibid.* nn. 71, 190, 232, 357: nunc *del Limoncello.*

(20) *Ibid.* n. 14, 316, 560. Aliquando in regione *Summae plateae* ponitur, ut n. 639.

(21) V. t. I, p. 266 et *Regest. Neap.* nn. 523, 524, 589. Aliquando invenitur in regione *Herculensi platea furcillensis. Libellus mirac. S. Agripp.* n. 9, in eodem t. I. p. 352.

(22) *Ibid.* p. 268. Diploma supra p. 5.

(23) *Ibid.* p. 266 et in not. (5) ac p. 268.

(24) *Regest. Neap.* n. 599

Sergii et Bacchi juxta plateam *portellari* (1), vicus *Cluso* (2) contra ecclesiam S. Georgii et *vicus qui descendit ab ecclesia S. Eupraxiae* (3), vicus vel platea *Pistasii*, per quam decurrebat *clabaca maxima* et platea per quam decurrebat aqua *de fistula* (4), vicus *Cimbeum* vel *Cimbri* (5), vicus *de Campana* vel *Capuano* (6) qui et *Sedici* aliquando vocatur, vicus *Bajano* (7) et vicus *Danielis*, in quo ecclesia *S. Marie de domino reclauso* (8), omnes sive obsoleti, sive postea novo nomine cogniti; — regio *Nili* (9), ubi vicus *fistula fracta* (10) et platea *Atrense* (11), nec non *monachorum* (12) vicus, quem ego eumdem ac vicum *Missi* (13), ubi Ss. Severini et Sossii monasterium, autumo. In hac regione erat etiam *praetorium civitatis*, scil. curia, ubi reipublicae Neapolitanae negotia agebantur, unde in instrum. an. 1117 memoratur platea, quae ad ipsum ducebat *at Nilo* (14). Verisimiliter tunc exstabat iuxta diaconiam Ss. Iohannis et Pauli a Theodoro duce fundatam, quam *de praetorio* aliquando vocatam invenio: et proinde in loco, ubi nunc regia Studiorum Universitas conspicitur. Temporibus vero Anthimi ducis, ibi prope erat etiam palatium eiusdem (ita enim praetorii vocem a Iohanne Diacono, qui id refert, usurpatam intelligo) quod Theodonanda ipsius uxor in Ss. Marcellini et Petri monasterium (15) convertit, — regio *portenovensis* (16), in qua vicus *Deposulum* sive *armentariorum* et ibi ecclesia *Ss. Cosmae et Damiani* (17), *Patruscanum* vel *Patricianum* sive vicus *Patricianum* (18) in viciniis S. Marcellini, ubi erat Synagoga *Ebreorum* (19) vicus qui descendebat *at platea publica que badit at calcaria* (20), vicus *Palmarum* (21), vicus *de moneca* seu *caput de monaca* (22) iuxta *trasendam, que venit da Patricciana* scil. juxta S. Marcellinum. Ad regionem Portanovensem (nondum enim per haec tempora regionis Portus nomen invenio) pertinebat etiam ea, quae *in pede de Monterone* i. e. subter regiae Studiorum Universitatis et proximorum clivorum prominentiam usque ad mare urbis *junctura*, de qua innui, patebat. Ibi in pomoerio et in littore *Moricinum piczulum* et regio vel platea *Calcariae*, ubi *obedientia* S. Severini, ecclesia S. Mariae, ad paradisum, *arcora* et porticus publica, fusaria et aquaria in arenario. Ibi domus cum *locora negotiandi ante se*, hortus, apothecae, ac, ut plurimum, casae servorum hominum vel libertorum (23). Iuxta ad orientem locus ad *Campanianum at ille cripte qui nominatur Antuline* (24) Denique exstabant etiam, et adhuc nomina supersunt, regio *Capuana* (25), et Regio *Albiensis* sive *Albini* (26), in quibus tamen nulla ex doc. sive via sive platea memoratur.

Contra aliquarum regionum nomina desierunt, quae istae sunt: — regio *Augustalis*, (27) ubi *Forum* (28), sive *mercato (vecchio)*, in quo porticus ac magnificentissimum illud Dioscurorum

(1) *Ibid.* nn. 196, 434, V. supra p. 30, et 31.

(2) *Ibid.* nn. 118, 556.

(3) *Ibid.* nn. 192.

(4) *Ibid.* nn. 617 et 514.

(5) *Ibid.* nn. 433, 516, 528. Nunc *Vicaria vecchia.*

(6) *Ibid.* nn. 323, 429, 589; *Notam. instr. S. Gregorii*, n. 5, ubi in *regione Augustali* ponitur vel *Seduci* dicitur et ibi ecclesia S. Mariae *ad cancellum* in an. 1177, *Notam.* cit. n. 149; quae quomodo inter se conciliari possint nescio.

(7) *Ibid.* n. 400.

(8) *Ibid.* nn. 226, et 228 — Deinceps *de cicinis* dictus fuit. *Acta Visit. Capp.* arch. Gesualdi, II, 183.

(9) *Ibid.* nn. 402, 557.

(10) *Ibid.* nn. 37 et 523.

(11) *Ibid.* n. 610

(12) *Ibid.* n. 657.

(13) *Ibid.* nn. 69, 87. Cf. supra p. 8.

(14) *Ibid.* n. 615. Cf. t. I, p. 47.

(15) Ioh. Diac. n. 43, in t. I, p. 207,

(16) *Regest. Neap.* nn. 482, 561.

(17) *Ibid.* nn. 156, 374, 445.

(18) *Ibid.* nn. 241 365, 446, 577.

(19) *Ibid.* n. 243.

(20) V. supra p. 53.

(21) V. supra p. 93.

(22) *Reg. Neap.* nn. 675.

(23) De his omnibus videsis diplomata an. 1063, 1075. supra pp. 42 et 53; ac etiam pp. 199-101, et *Regest.* nn. 242 et 597.

(24) V. supra p. 42.

(25) *Reg. Neap.* nn. 385, 523, et instr. an. 1166 in *Notam script. S. Greg.* n. 14. Cf. Tutini, *O. c.* p. 17.

(26) Ioh. Diac. n. 42 in t. I p. 204, *Rege est. Neap.* n. 523.

(27) *Reg. Neap.* nn. 29, 232. 535, vocatur etiam platea n. 29.

(28) *Ibid.* nn. 139, 310, 502. Aliquando habetur etiam regio *Fori. Ibid.* n. 652.

templum, quod his temporibus paene integrum exstabat et divo Paulo Apostolo dicatum erat. Ibi etiam vicus *Palmula* qui et *Dioscori* (3) sic ab eodem templo dictus occurrit, vicus *nustrianus*, platea *nustriana* (4), in qua etiam porticus publica et alia ante monasterium S. Pantaleonis (5), et vicus *S. Georgii ad diaconiam* (6); — regio *Marmorata*, in qua vicus *qui descendit de monasterio S. Agnelli* (7) et vicus qui *venit da foras* (8) vel *platea que ascendit de subtus forum at marmorata* (9); — regio *de Arco cabredato*, deinceps platea *arcus*, ubi *arcus antiquus qui vocabatur Cabredatus*, et platea publica quae venit *de arco cabredato* (10); — regio *portae domini ursitale*, ubi vicus vel regio i. e. platea *Ficariola* juxta portam novam quae dicitur *de domino. Ursitata*, et *at ficariola* (11), ac vicus vel regio *ad duos amantes*. (12) Ibi ecclesiae S. Euphemiae et S. Agathae (13) atque vicus qui ibat *inter hortua* (14); — regio *balnei nobi* vel *novi*, ubi vicus, per quem descendit *acqua a fistula* (15); — regio *Thermensis* (16), in qua *Cesareum* (17), scil. rudera basilicae Augusto olim dedicatae, et amphitheatrum (18), veteris Neapolitani gymnasii, uti Lasena contendit, recens nomen, memorantur.

Nonnunquam in nostris docc. regionis vox pro vico vel platea usurpatur, ut de via *Ficariola* ac de via *ad duos amantes* jam innui et de quibusdam aliis, ut de regione *S. Pauli maioris* (19) videre est. Nonnunquam etiam vici memorantur nec regiones, ad quas pertinent, dicuntur; Ita habemus vicum *Tiappafilitra*, cuius situs ignoratur, (20) vicus *sol et luna* qui et *a coresu* vel *curusu*, ubi ecclesiae S. Euthymii et S. Stephani (21), et *arcus roticorum*, ubi ecclesiae S. Stephani et S. Caeciliae (22).

Ceterum praeter regiones, vicos et plateas, in ipsis docc. memorantur etiam *trasende*, *curtes* et *vicales*. De trasendis autem et curtibus nihil est quod dubitem; significatio enim earum ex ipsis vocibus plana est. At in *vicali* haereo. An pro angiportu adhibetur? Utcumque sit, nomen usque ad saec. XVI apud nos duravit in vico S. Bartholomaei ad portum, qui a *lu vicale* dictus fuit.

In viis aliquando putei, qui etiam gurgites dicuntur, aliquando fontes occurrebant, sed nulla de aquaeductu *Labullae*, qui certe tunc temporis in urbe exstabat, in docc. mentio. Occurrebant etiam haud raro porticus (23) ad usum publicum addictae, quae postea sedilia vel *seggi* aut *tocchi* appellatae fuerunt.

Urbs praeterea *frequentissimis ecclesiis ac praeclaris, antiqua vid. et vetustissima structura editis, necnon et monasteriis virorum puellarumque* undique erat referta, ut auctor *Vitae S. Athanasii* asserit. Praecipua, ne longus sim, describam.

Et primum de majori ecclesia dicam, seu verius de binis *episcopalibus sedibus*, *quas praesules Neapoli ad instar duorum testamentorum* gestabant *quamquam una* fuerit, quae *gubernaret et regeret reliquam*: i. e. de Restituta et Stephania (24).

(3) *Ibid.* n. 535. Vicus vero *Palmula*, si alius non est, aliquando ponitur in regione *Summae plateae*, n. 580.

(4) *Ibid.* nn. 408, 410, 422, 505, 603 et 609, ubi ponitur in regione Furcillensi.

(5) *Ibid.* n. 191.

(6) *Ibid.* nn. 31, 37, 60, 186, 187, 251 et 310.

(7) *Ibid.* n. 592.

(8) *Ibid.* n. 238.

(9) *Ibid.* n. 502.

(10) *Ibid.* nn. 595, 606, 612, 613.

(11) *Ibid.* n. 245, 270, 387, 464, 466.

(12) *Ibid.* n. 6.

(13) *Ibid.* nn. 18, 185, 245, 279, etc.

(14) *Ibid.* n. 41, 668.

(15) *Ibid.* n. 27.

(16) *Ibid.* n. 580 et supra p. 103.

(17) *Ibid.* nn. 84 et 137.

(18) *Ibid.* n. 674.

(19) *Ibid.* n. 680.

(20) *Ibid*, n. 239.

(21) *Ibid.* nn. 90, 146, 162, 555, 568.

(22) *Ibid.* nn. 274. 542.

(23) *Ibid.* nn. 232, 265.

(24) Quae heic Neapolitanum episcopium et ecclesias in eo vel iuxta ipsum positas describens memoro, ea omnia e synchronis scriptoribus et praesertim ex Iohanne Diacono, et ex *Vita S. Athanasii* eruo. Cf. t. I, p. 150 et ss.

S. Restitutae basilicam, ubi nostrates primitus christianum publice cultum in urbe exercuerunt, a Constantino magno imperatore, seu potius ipso imperante, fundatam fuisse vetus Neapolitanorum traditio prodidit. Olim SS. Salvatori atque duodecim Apostolis dicata, postea, ex S. Restitutae virginis et martyris lipsanis circiter saeculo VIII eo invectis, sub eiusdem divae titulo celebrata reperitur. Eidem connexa erant duo oratoria S. Iohannis Baptistae scil. et S. Iohannis Evangelistae; prope vero *baptisterium fontis minoris* (nunc, uti videtur, sacellum S. Iohannis *ad fontes*) et *accubitum grandi opere depictum*, utrumque a Vincentio episcopo confectum. Prope etiam ac subtus *duas procero cacumine turres*, erat ecclesia S. Petri apostoli, quam Stephanus episcopus *miris exornatam* construxit *operibus*. In fronte eiusdem sex oecumenica Patrum concilia visebantur depicta, (1) et in latere moenianum *non mediocris prolixitatis* protendebatur. Omnia haec *de intus episcopium* a Iohanne Diacono et in huius aevi documentis dicuntur.

Stephania vero, quae et ecclesia Salvatoris vocabatur, saeculo VI ab episcopo Stephano I aedificata et saeculo VIII ab incendio absumpta atque a Stephano II item episcopo instaurata, erat *copulata cum episcopio* (2). In atrio, quod eam praecedebat, *baptisterium fontis maioris* et *consignatorium ablutorum* exstabant, atque in proximo basilica S. Laurentii, quae ideo *ad fontes* forsitan dicta. Ibi ante fores ecclesiae Stephanus consul et dux anno 821 a proditoribus, qui Siconi Beneventanorum principi favebant, et an. 838 Andreas item consul et dux a Contardo, qui Eupraxiam eius filiam et proinde ducatum arripere cupiebat, interfecti fuerunt. Prope, et verisimiliter ante ipsum atrium ac super gradus eiusdem S. Athanasius, fecit *xenodochium ad peregrinorum susceptionem*, cui proximae erant ecclesiae, S. Andreae apostoli et S. Stephani protomartyris.

Basilica intus pluribus columnis distinguebatur. Ex Iohanne Diacono enim et ex *Vita S. Athanasii* discimus sanctum episcopum *tresdecim pannos evangelicis historiis depictos*, quos de harum *columnarum capitibus ad ornamentum pendere iussit*, fecisse. In eo autem navis medianae loco, penes quem erat *psallentium Deo agminum sedes* (3), chorus scil., ambo seu suggestum marmoreum erat, ad quod *cocleis marmoreis lector scandens*, *argenteo*, ut ipse agiographus dicit, *per gyrum ambiri se cernebat analogio* (4).

(1) Stephanus Constantinum Pp. imitatus est, qui paulo ante in porticu S. Petri Romae *acta sex sanctarum synodorum* depingere fecerat: nam hujusmodi picturae, *cum haberentur in urbe regia* (Cpolitana), *Philippicus imp. jusserat auferri*. Ioh. Diac. n. 36.

(2) *Episcopium*, ut Mazochius adnotat, a veteribus scriptoribus non modo, stricte, pro episcopali hospitio et pro ecclesia episcopali sumitur; sed etiam, voce latius accepta, pro toto illo ambitu, in quo continebantur episcopalis sedes et domus, atque omnia aedificia simul adjacentia et ad ipsas pertinentia. V. Mazochium, *De Cathedr. Neap. eccl.* p. 31 not. (25).

(3) *Historiola translat. reliqu. Ss. Euticetis et Acutii* in t. I, p. 280.

(4) In S. Restitutae basilica intus sacellum S. Mariae de principio extant nunc parietibus affixae duae tabulae marmoreae anaglypto opere caelatae. Eas patrii scriptores (Mazzocchi, Sparano, Parascandolo) ad veterem Stephaniam atque ad ambonem a Raynerio descriptum pertinuisse pluribus contendunt. Attamen ego illorum sententiam neque affirmare neque refellere ausim, cum plura in his sint quae mihi dubium facessunt, et praesertim illa ipsarum tabularnm quadrata forma, quae minime amboni supra in forma orbiculari descripto convenire posse mihi videtur. Ceterum utcumque sit certe binae illae tabulae ad rem, de qua agimus, omnino pertinent, atque ad ecclesiae Neapolitanae antiquitates et ad bonarum artium apud nos per ea tempora conditiones dignoscendas plurimum faciunt. Quapropter, disputationibus de earum usu et aetate omissis, quas viris in his studiis magis versatis relinquo, ipsas tantummodo summatim describere atque, ut oculis subiectae fidelibus essent, in tabulis *XIV* et *XV phototypia*, uti dicunt, expressas exhibere curavi.

Tabulae igitur geminae sunt et fere aequalem altitudinem ac latitudinem habent. Unaquaeque in tres lineas et quaelibet linea in quinque tabellas dispertitur.

Quae autem ab evangelio prostat, et alia antiquior videtur, Iosephi patriarchae historiam ordine a dextra ad laevam disposito ita praebet.—

Ante absidam in oratorio *in capite catacumbae* a dextris intrantis erat *altarium* i. e. monumentum S. Fortunati et S. Iohannis I, atque a sinistris S. Maximi, Neapolitanae ecclesiae episcoporum, et circumcirca aliorum etiam sanctorum praesulum Maronis scil., Agrippini, Ephebi et Soteris arcosolia, in quibus eorum desuper effigies depictae visebantur. In medio oratorii adytus ad cryptam sive *catacumbam (confessionem)* patebat, ubi reliquiae S. Ianuarii i. e. caput et cruor subtus marmoreum altare, ianuis vel cancellis argenteis clausum, ac velamine, martyrium eiusdem sancti et sociorum acu pictum habente, cohopertum, summa veneratione colebantur. Locus figuris sanctorum Ecclesiae doctorum, ipsomet S. Athanasio episcopo curante, depictus erat.

Subtus absidam, quae historiam transfigurationis d. n. Iesu Christi *summae operationis* in parietibus pictam habebat, erat altare, mundi Salvatori dicatum, argenteis undique redimitum tabulis et in unoquoque angulo aeneis circumdatum quintanis. Velamen sive textile stragulum cum auro et gemmis atque *listis* decoratum illud cooperiebat. Desuper vero argenteum ciborium columnis porphireticis ambitum ac sculptarum vario schemate figurarum insignitum prominebat.

Unaquaeque ex his duabus ecclesiis, S. Restitutae scil. et Stephaniae, certum quoddam clerum habebat, qui in eis separatim divinis officiis vacabat. In altera enim, regebat congregatio sacerdotum et clericorum salutiferae ecclesiae S. Restitutae cum eiusdem primicerio, archidiacono, presbyteris cardinalibus, diaconis et subdiaconis; in altera vero congregatio sacerdotum et clericorum ecclesiae Stephaniae sive hebdomadariorum a S. Athanasio institutorum, cui archipresbyter et Cimiliarca praeerat, memoratur (1).

In primae lineae quinque tabellis: 1. Iacob, qui filios alloquitur ubi legitur IACOB litteris ad perpendiculum inscriptis, 2. Ioseph iussu patris ad fratres proficiscentem, 3. Ioseph a fratribus in cisternam deiectum, 4. Fratres Ioseph tunicam eius patri monstrantes et Iacob qui prae moerore vestem suam scindit, 5. Ioseph Ismaelitis negotiatoribus a fratribus venditum.— Item in aliis quinque secundae lineae tabellis: 1. Ioseph ab Ismaelitis Putiphari, Pharaonis eunucho, venumdatum, et ad eum perductum. 2. Ioseph a Putipharis uxore in adulterium frustra tentatum, pallio in manus eiusdem relicto, 3. Ioseph a Putipharis uxore accusatum et ad carceres damnatum, 4. Somnia pincernae et pistoris Pharaonis, qui in eodem carcere detinebantur, 5. Somnia Pharaonis de septem pinguibus vaccis et de septem macie confectis.—Denique in tertiae lineae reliquis tabellis 1. Ioseph qui Pharaonis somnia coram eo interpretatur, 2. Exaltationem Ioseph, 3. Fratres Ioseph, qui in Aegyptum advenientes frumentum, quod petierant, ab eo accipiunt, 4. Scyphi in Beniamini sacco celati inventio, 5. et Ioseph qui patrem amplectitur.

Altera tabula, quae ab epistola est, et rudiori scalpro, nî fallor, caelata videtur, simili modo, non unam sed triplicem historiam spectatoribus exhibet. In prima enim linea S. Ianuarii martyrium, in secunda Sampsonis historia, in tertia variae aliquorum sanctorum imagines exprimuntur. Sic quinque tabellae primae lineae habent: 1. S. Iannarium in vinculis positum, 2. S. Ianuarium qui Timotheo praesidi visum dat, 3. et 4. Divum in camino orantem atque a praeside ad tormenta damnatum, 5. Denique sanctum martyrem in amphiteatro inter bestias, quae pedes eius osculantur.—In secundae lineae tabellis 1 et 2 est Sampson qui Philistaeos asini maxilla neci dat, in 3. Idem in agros eorumdem vulpes immittens, in 4. idem qui a Philistaeis excaecatur, Dalila capillos ipsius praecidente. Heic inscriptum est huius nomen sic: DA. LI. LA, in 5. tabella denique visitur Sampson columnas templi evellens.

Demum figurae, quae in tertia linea habentur, hae sunt. In 1. tabella S. Georgius, qui draconem lancea transjicit, in 2. quidam vir equo insidens, qui lancea hostem et equitem prostratos perfodit. Retro visitur quoddam aedificium cum columnis bifidis. Quid vero haec figura significet nescio. In 3. et 4. tabella est S. Eustachius telum in capram iacens et Salvatoris imago inter caprae cornua apparens. In 5. denique alius vir itidem equo vectus qui lancea nescio quod vetustate deletum percutit.

(1) *Reg. Neap.* 576, 578, et supra p. 86, ac de Stephania *Ibid.* n. 22. Idem praeterea in nostris instrum. usquequo nova cathedralis ecclesia, Carolo II Andegavense rege, aedificata fuit, animadverti potest. Hac vero super re apte adnotandum est in instr. an. 1065. quo archiepiscopus Neapolitanus, annuente consule et duce, praedia quaedam ad S. N. E. pertinentia monasterio S. Patriciae

Praeterea utrisque ecclesiis episcopale palatium erat coniunctum, quod etiam, voce stricto sensu accepta, episcopium dicebatur, et ante ipsum neapolitanae ecclesiae horreum. (1) Heic anno 849 Contardus a Neapolitanis *turpissimam* mortem Andreae ducis ulcisci cupientibus obsessus et cum suis occisus fuit. Heic, uti Falco Beneventanus tradit, Rogerius rex a. 1140, cum urbem ingressus fuisset, ab archiepiscopo Marino fuit hospitio receptus. Documenta denique vicedominum, et cubicularium S. N. E. memorant. (2).

Cathedralem ecclesiam subsequebantur aliae quatuor sub titulis — 1. *S. Georgii majoris* — 2. *Ss. Apostolorum* — 3. *S. Iohannis majoris* et 4. *S. Mariae majoris*, quae principales urbis paroeciae erant et *catholicae majores* atque aliquando etiam *cathedrae* appellabantur. De eis quaedam in monumentis referuntur — 1. S. Georgius major, quae et ecclesia Severiana, a S. Severo episcopo, qui plebem in ea etiam instituit, fundata, ut chronographus noster asserit, erat basilica *mirificae operationis*. In eius absida ex musivo pictae visebantur imagines Salvatoris cum duodecim Apostolis sedentibus et habentibus subtus quatuor prophetas. Congregationem presbyterorum, quae aliquando *sextae feriae* i. e. crucifixi nomen accipit, monasterium nec non et stauritam plebis ac hospitale monumenta memorant. Sub initium saeculi XI primicerius et saeculo XII archidiaconus vel diaconus S. N. E. rector huius ecclesiae et hospitalis habetur (3) — 2. Ecclesiam Ss. Apostolorum Soter episcopus fundavit et plebem in urbe post S. Severum secundus ibi constituit. Saeculo XI eidem in numero catholicarum majorum ecclesia S. Pauli, de qua inferius, substituta fuit (4)— 3. S. Iohannis maioris basilica, quae *praefulgida* a Iohanne Diacono vocatur, absidam cum imagine Salvatoris in die iudicii reprobos minantis, et altare cum columnis, ciborio ac quatuor arcubus argento superinductis habebat. Amplis aedificiis in gyro distinguebatur. (5) Certe, ut aliae, propriam congregationem habere debuit, sed nulla eiusdem in nostris documentis mentio — 4. Basilicam denique S. Mariae maioris Pomponius episcopus *grandi opere* construxit. In ipsis documentis congregatio sacerdotum salutifera chartula secretarii eiusdem ecclesiae et dispensator sive rector ipsius quidam scil. Iohannes S. N. E. diaconus reperitur. (6) Superest adhuc ante ecclesiae ingressum turris campanaria e lateribus constructa, quae ad veterem huius aedificii structuram pertinet.

Septem praeterea in urbe Diaconias invenio, in quibus per diaconos regionarios personae miserabiles, ut Mazochius inquit, alebantur et congruis subsidiis iuvabantur. Eisdem singulis singula erant oratoria adnexa, quae appellabantur—1. S. Andreae ad Nidum.—2. Ss. Iohannis et Pauli— 3. S. Petri—4. S. Georgii ad Forum—5. S. Mariae Rotundae—6. S. Ianuarii et 7. S. Mariae ad Cosmedin. De quatuor prioribus nihil aut fere nihil ad haec tempora pertinens memoriae proditum; de tribus posterioribus vero quaedam habentur. Et quidem a Iohanne Diacono discimus Agnellum episcopum basilicam ad nomen S. Ianuarii martyris fundasse, ubi diaconiam instituit et iuxta eam *pauperum fratrum Christi cellulas* collocavisse, in quorum alimoniam et subsidium plurimos ex episcopio redditus delegavit. Ex instrumento etiam anni 1105 elicimus ibi congregationem extitisse, quae aliquando sacerdotum et clericorum tum graecorum tum latinorum fuit. (7) Ex aliis

concedit, primos, post archiepiscopum et ducem, primicerium et archiprimicerium qui et cimiliarcha, una eademque linea alterum a sinistris, alterum a dextris subscripsisse.

(1) Sparano *Memorie Stor. della Chiesa Nap.* I, 145.

(2) *Regest. Neap.* nn. 8 et 340.

(3) *Ibid.* n. 402.

(4) Ioh. Diac. *Chron.* n. 12 ; *Reg. Neap.* nn. 552, 554, 556, 583, 599.

(5) Idem *ibid.* n. 18. *Regest. Neap.* n. 377, ubi memoratur monasterium S. Pauli catholicae maioris. Instrum. ad an. 1018 pertinet.

(6) Ioh. Diac. *Ibid.* n. 23 ; *Reg. Neap.* n. 238. In instr. an. 1186, 10 martii IV ind. habetur legatum cujusdam Tufiae Iuppari factum congregationi ecclesiae S. Mariae catholicae maioris, illi Stauritae plebis ipsius ecclesiae et illi secretario ipsius ecclesiae. *Notam. scriptur. S. Greg.* n. 554.

(7) Idem *ibid.* n. 21 ; *Reg. Neap.* n. 588. Engenio, *Nap. Sacr.* p. 339.

instrumentis annorum 1025 et 1137 ecclesiam S. Mariae, quae appellabatur ad *praesepe* vel *rotunda*, chartulam congregationis habuisse cognoscimus. In ecclesia (1) denique S. Mariae ad *Cosmidi* vel ad *Cosmedin*, cuius meminit Ioh. Diaconus, in instrum. anni 1140 archidiaconus reperitur, qui verisimiliter erat ipsius rector.

Praecipua urbis monasteria tum virorum, in quibus monachi *cenobiati* vel *cinobiales* et monachi *devoti* (2), tum puellarum, ea tempestate haec erant: 1. Monasterium Ss. Theodori et Sebastiani, in quo aliud Ss. Sergii et Bacchi olim congregatum fuerat. Exstabat prope moenia ad occidentem in loco casapicta sito in *viridiario*, et monachos graecos ordinis S. Basilii alebat; 2. monasterium S. Salvatoris in insula maris prope urbem monachorum ordinis S. Benedicti; 3. monasterium Ss. Severini et Sossii in vico Missi, quod aliquando S. Severini majoris dicitur (3), monachorum eiusdem ordinis; 4. monasterium S. Gregorii in Regionario item monachorum eiusdem ordinis, in quo quidam privati jus patronatus habebant, (4) et exstabat *at Cimbeum* in regione furcillense; 5. monasterium Ss. Anastasii et Basilii *at media* monachorum ordinis S. Basilii (5); 6. monasterium Ss. Ianuari et Agrippini situm *foris ad corpus*, monachorum ordinis S. Benedicti: 7. monasterium S. Gaudiosi ancillarum Dei a Stephano episcopo et duce saec. VIII fundatum, in quo abbatissa singulari titulo archidiaconissae et archiabbatissae decorabatur, ubi etiam ecclesia S. Fortunatae virginis et martyris; 8. monasterium Ss. Gregorii et Sebastiani atque Salvatoris nostri I. C. et S. Pantaleonis, puellarum Dei, quod ex duobus monasteriis conflatum (6) Neapolitani duces in unum congregaverunt et plurimis privilegiis instruxerunt. Ex ipsius praeterea documentis discimus haec duo monasteria S. Gregorii et S. Pantaleonis ex adverso posita in platea nustriana extitisse et per quemdam arcum super ipsam plateam constructum inter se communicasse. In eisdem etiam documentis memoratur altare S. Trinitatis intus ecclesiam et aula S. Mariae intus claustrum. Sub regula S. Benedicti degebat (7). Item 9. monasterium Ss. Nicandri et Marciani, olim monachorum ordinis S. Basilii, postea puellarum, et aliquando etiam adiuncto S. Patriciae titulo, ordinis S. Benedicti; 10. monasterium Ss. Marcellini et Petri puellarum Domini a Theodonanda Anthimi ducis vidua saec. IX fundatum; 11. monasterium Ss. Festi et Desiderii item puellarum Domini praecedenti contiguum; 12. monasterium S. Mariae *ad Albini* puellarum Dei ab Euphrasia religiosa foemina saec. IX extructum et ecclesiae S. Dei Genitricis coniunctum, in cuius porta vultus ipsius S. Dei Genitricis depictus visebatur et 13. monasterium S. Archangeli ad Baianum item ancillarum Dei. De his omnibus quantulum potui et ad rem faciebat in praef. ad *Regesta Neap.* dixi. Ipsis vero addenda etiam sunt: 14, monasterium Ss. Cyrici et Iulictae, in quo Anthimus duxi circa initium saec. IX *duodecim cellulas statuit quas hospitibus peregrinisque censuit habitari* (8); 15. monasterium S. Dimitri vel Demetrii de regione Albini, olim ordinis S. Basilii, quod postea a Casinensibus adeptum, titulum etiam et regulam S. Benedicti accepit; et 16. monasterium denique S. Agnelli, ubi venerabile eius corpus quiescebat, et aliquando Petrus subdiaconus et abbas seu rector memoratur.

(1) Idem *ibid.* n. 7. SABATINI, *O.c.* V. 48; *Reg. Neap.* n.659. Deinceps in locum Ss. Apostolorum et S. Pauli inter quatuor paraecias majores substituta fuit.

(2) *Regest. Neap.* nn. 71, 89, 123, 405, 432. Idem, ut videtur, dicendum est de monialibus, inter quas etiam aliquando *monacham devotam* invenio v. n. 149.

(3) *Ibid.* n. 448.

(4) *Ibid.* n. 433.

(5) *Ibid.* n. 29.

(6) Olim ex quatuor monasteriis hoc unum conflatum fuisse minus recte ego putavi; sed nunc re melius perpensa, duo tantum mouasteria, quorum unumquodque, uti moris erat, duplicem titulum habebat, illud confecisse mihi persuadeo. Id enim ex instrum. anni 1009, in *Reg. Neap.* n. 334 summato facile argui potest.

(7) V. supra p. 27; *Regest. Neap.* nn. 485, 572. Altare SS. Trinitatis erat in porticu dictae ecclesiae S. Gregorii; ibi juxta quaedam monialis pingere fecerat an. 1190. vultum b. Dei genitricis Mariae. *Notam. script. S. Greg.* n. 54 et 280.

(8) V. t. I. p. 205. *Reg. Neap.* n. 313.

Fuerunt insuper plura alia apud nos coenobia atque asceteria, quae etsi vel ob scripturarum defectum, vel quia nihil memoria dignum de eis proditum, nisi tantum nomine nobis cognita, haud tamen aliquorum ex eis notitia omnino silentio praetereunda. Haec igitur sunt. 1. Monasterium S. Andreae ad Cellanova dictum, quod a duce Anthimo ecclesiae S. Pauli connexum fuit, unde deinceps monasterium S. Pauli habetur; 2. Ss. Samone, Gurite et Abibii in regione Nili, cujus abbatissa quaedam Febronia memoratur in *Legenda* S. Agnelli abbatis. Rogerio rege jam abrogatum erat ; 3. S. Mariae puellarum Dei *at Media* in regione , ubi nunc *Strada dei Mercanti*; 4. S. Archangeli Michaelis in vico Fistula fracta; 5. S. Pellegrini *at forum*; 6. S. Martini tum monachorum tum puellarum; 7. S. Andreae de Episcopio; et 8. S. Agathae ad populum in regione portanovensi, omnia ante patrum nostrorum memoriam obliterata.

Hoc denique animadvertendum est in monasteriis virorum ordinis S. Basilii *Igumenos* sive rectores ac dispensatores, in aliis ordinis S. Benedicti abbates solere praeesse.

Ex minoribus ecclesiis tunc temporis exstantibus paucas sive magis notandas sive minus notas describere juvat. Et primum de illis, quae congregationes sacerdotum ad divina officia inibi peragenda institutas habebant, dicam. Ex his, praeter eas quas supra memini, erant; 1. Ecclesia S. Petri *at illos Ferrarios* i. e. de iure patronatus illorum de Ferrariis, nunc *S. Petrillo*; 2. ecclesia S. Iohannis in Curte in regione portanovensi; 3. ecclesia S. Archangeli *at signa* in regione Augustali; 4. ecclesia S. Thomae ad Capuanam in regione thermensi, quae omnes adhuc exstant. Cecidere olim ecclesiae 5. S. Petri *at media*; 6. S. Iohannis in vico *Cluso* in regione furcillensi; 7. S. Cipriani in eadem regione; 8. S. Felicis; 9. S. Pauli et 10 S. Nicolai, cuius situm nescio (1). In omnibus vero memoratis his congregationibus sacerdotum et clericorum archiprimicerius vel primicerius, (2) qui in congregatione S. Cipriani primicerius et protolustrio dicebatur, praeerat (3).

In quibusdam aliis ecclesiis habemus *stauritas*, quae et *stauritae plebis* vel *turmae plebis* dicuntur. Sodalitates erant, ad pauperes et infirmos qui in vicinia morabantur, sublevandos, ex laicis et aliquibus etiam ecclesiasticis hominibus compositae et aliquando a dominis ipsarum ecclesiarum constitutae (4). Primas in eis partes agebant etiam primicerius, ut plurimum sacerdos et ecclesiae custos, atque secundicerius (5).

In urbe, praeter stauritam plebis S. Georgii catholicae majoris, duas tantum in nostris documentis per haec tempora invenio: stauritam scilicet ecclesiae S. Archangeli Michaelis a foris sub muro publico in regione portanovensi et stauritam ecclesiae S. Dei Genitricis Mariae, quae nominabatur de domino Atriano (6). De aliis fortasse loqui occasio defuit, vel documenta, quae ipsos memorabant, periere. *Scholarum* vero, quae si ab aliis Italiae Byzantinae urbibus exempla sumere licet, artium collegia erant, semel mentio *in illa schola et ecclesia S. Mariae* occurrit, quam ob fere innumeras b. Virgini Neapoli dicatas aedes praefinire non possum (7).

Inter ecclesias minores in chartis memoratas exstant adhuc — S. Ianuarius *spoliamorta* ad portam S. Ianuarii, titulo deinceps mutato (8) et S. Maria *ad plateam*, quae etiam aliquando *at platitiam*, et de *Verulo* vel *merulo comite ad placzam* appellatur in regione furcillensi. (9) Ibi tunc servabatur mensura pedis (10) ad contrahentium normam posita; et servatur adhuc Boni consulis et ducis epitaphium.

(1) *Reg. Neap.* nn. 187, 202, 137, 119, 118, 302, 514, 211 et 111.

(2) *Regest. Neap.* n. 318, 118.

(3) *Ibid.* n. 302.

(4) *Ibid.* nn. 318, 326, 340, 359, 364, 380, 421. 445. 394, 556.

(5) *Ibid.* n. 100, 340, 359.

(6) *Ibid.* nn. 11, 340.

(7) *Ibid.* n. 285

(8) *Ibid.* nn. 478, 560; et supra p. 110.

(9) *Ibid.* nn. 523, 552. 663.

(10) *Ibid.* n. 371.

Contra plurimae ecclesiae superioribus temporibus cecidere, quarum aliquas, utpote omnino obliteratas, heic adnotare lectoribus fortasse haud injucundum erit. Memoratur inter alias: S. Severus in platea *radii solis* seu *gurgite*, inde *pozzo bianco*, ubi exstabat crucifixus et imago Ss. Gregorii et Agnelli (1). Erat de iure patronatus monasterii S. Sebastiani; S. Euplus in regione furcillensi, de quo agitur in Libello miraculorum ejusdem (2); S. Abbacyrus seu Apacyrus, in cuius altare memoratur crux (3); S. Simeon; S. Maria *de illis Bulcani, de illis munduli;* ad *salitum*, de Millusio; de *illi Paricefali*; in caput *de vico;* nec non S. Petrus *at lictorium*, et S. Silvester (4).

In omnibus his minoribus ecclesiis presbyter custos erat a *domminiis (dominis)* institutus, qui sub certis conditionibus et annua quadam *oblatarum* recognitione officia divina ibi peragebat ac redditus et eleemosynas, quibus ipsae ecclesiae donabantur, colligebat. In chartulis *ordinationis* rerum mobilium sive codicum et supellectilium ad eas pertinentium, ut plurimum, inventarium fiebat.

Pauca denique de privatis aedibus habeo; nam etsi palatia atque aedificia plura, nec spernenda, Neapoli extitisse ex Falconis Beneventani testimonio argui possit, cum Rogerius rex a. 1140 ea videri digna putaverit; tamen de eis nihil in documentis dictum invenio. Quaedam ideo potius de forma et partibus earum ac de nominibus, quibus ipsae partes appellatae fuerunt, heic ad statum et mores urbis dignoscendos referre iuvat.

In domibus igitur occurrunt *regia* sive ianua, atrium et porticus, curtis, in qua, ut plurimum puteus vel pischina et cantharus etc: et saepe iuxta curtim hortus. Inferiora earum sunt cellarii et cryptae. Per gradus aliquando marmoreos, saepe *fabritos* vel *pretineos*, aliquando etiam ligneos quos *scalandrone* vocabant, ascensus fiebat ad superiora, ubi triclinia et *cubucula* vel cubicula et quandoque *solaria*, loca scil. aprica ad auras excipiendas. Praeter haec de aliis tabulatis nulla mentio. Tabulatum vero *sternimentum* vocatur, quod, ut et solarium, sive *ostracatum* sive *ostracumdandum* erat. Inde *obstracum* sive *ostracum* habetur, apud nostrates *astrico*.

Tectum denique, ubi aliquando horrea, ex *tigulis* vel e scandulis et aliquando etiam ex solario *ostracato* confectum erat. Praeterea in domibus documenta memorant etiam *munimen* i. e. latrinam, de qua in *Reg. Neap.* ad n. 6 in not. dixi, atque *stationem* et *gamma* (5), quarum partium usum et significationem non assequor. Apothecas vero in sola fere urbis *iunctura* invenio (6).

His supradictis balneorum tum publicorum tum privatorum, quorum in documentis haud infrequens mentio, notitiam addo. Praeter enim balneum a Nostriano episcopo aedificatum, de quo t. I p. 171, in not., memoratur balneum destructum *at Capuana*; balneum vetus iuxta plateam publicam, per quam decurrebat aqua *de Pistasio*, et balneum novum, unde regioni nomen, quod ab accuratissimo Fabio Iordano ad cryptam S. Martini i. e. ad hospitale *della Pace* collocatur. In quodam insuper instrumento a. 983, ubi abbatissa monasterii Ss. Marcellini et Petri locat balneum in *Patricciana*, describuntur variae eiusdem partes scil. *exspoliatorium, fornace, stationes, lenarium* et similia.

Extra urbem ad occidentem exstabat castrum vel oppidum **Lucullanum,** quod anno 901, cum valde habitatoribus deminutum esset, a Gregorio duce et a Neapolitanis metu Saracenorum, destructis praecipue munitionibus, eversum fuit. De eo haud infrequens in huius aevi scripturis et

(1) *Ibid.* n. 317.

(2) V. t. I, p. 329. Ecclesia erat in regione Furcillensi in vico qui nominatur dauferi, qui et S. Eupli. *Notam. instr. S. Seb.* n. 1044 et *Indice di S. Sev.* n. 848.

(3) *Regest. Neap.* n. 11, 508, 523—In inst. an. 1252 habetur *toccus*, qui est subtus ecclesiam S. Abacyri de regione Monteronis. *Notam. script. S. Sebast.* n. 845.

(4) *Ibid.* nn. 667, 572, 681, 567, 341, 562, 345, 331, 87, et 467.

(5) *Regest. Neap.* nn. 84, 238.

(6) *Regest. Neap.* passim, et praecipue nn. 84, 187, 263, 294; de gradibus vero nn. 155, 323, 348, 430.

docc. mentio (1). Memorantur siquidem ibi monasterium in honorem S. Severini Noricorum apostoli saec. V. constructum, eiusdem sancti tumulo, atque Eugipii abatis ac Amandi Surrentinorum episcopi domicilio celebre (2); oratorium et monasterium S. Archangeli iuxta S. Petri basilicam (3) quod *ad circulum* saec. X. vocabatur; versus occidentem ecclesia S. Mariae item *ad circulum* iuxta locum, qui dicebatur *Emple* seu *Euple* et secus eam via, quae ducebat ad monasterium S. Salvatoris in *insula maris* (4); ecclesiae Ss. Sergii et Bacchi, ac S. Barbarae, quae contiguae erant (5); ecclesia S. Pauli ibi proxima, quae saec. XI dicitur destructa (6); ecclesia S. Venerae, in qua congregatio et *fraternitas* cum primicerio constituta erat (7), et denique ecclesia S. Petri xpi apostoli, qui dicebatur *ad castellum* (8). Memoratur etiam murus publicus et porta major castri, campus ante ipsum positus, via quae a parte orientis descendebat usque ad litus maris et a *la plagia*, ubi erat ecclesia S. Luciae (9), quae subsequentibus saeculis pluries vel ampliata vel immutata duravit, et adhuc exstat.

Ex eadem parte littori adjacebat parva *insula*, quae **S. Vincentii** nomen ab ecclesia huic sancto dicata accepit et saeculo XI in ruinis erat posita. Mare proximum *ad vibarum* vel *bibarellum* vocabatur (10). Supra Emplem vero mons sive collis inde assurgens a tunc nomen S. *Erasmi* (11) sive *Hermei*, quod adhuc retinet, habuit.

Contra castrum ipsum erat ad meridiem insula, olim Megaris vel Megalia et tunc temporis **Insula maris** vel **Salvatoris** vocata (12). Ibi a vetustissimis temporibus ecclesia Salvatoris erat, in qua Athanasius ep. monachos in cellis consistentes sub abbatis regimine constituit ac ita monasterium Salvatoris fundavit, longe celeberrimum, quod tempore Northmannorum regum in S. Petrum ad Castellum fuit translatum. Usque ad saec. XVII in ejusdem ecclesia exstabat quaedam crux, sanctorum reliquias continens, cum inscriptione, ex qua ipsam jussu Maionis, in eodem monasterio abbatis, factam fuisse testabatur (13). In eadem insula erat etiam monasterium S. Archangeli Michaelis, idem forte quod in epistolis S. Gregorii *ad Macharis* appellatur (14).

Inter castrum Lucullanum et cryptam Puteolanam ab oriente ad occidentem protenditur plaga marittima, (nunc *Chiaja*), aevo ducali **Plagia** absolute vel **Plagia S. Laurentii**, a quadam forte eiusdem divi ecclesia sic dicta (15). Ibi saeculo sexto erat monasterium Gazarense a S. Gregorio Pp. memoratum, et posterioribus temporibus monasterium S. Mariae *ad cappellam* ordinis S. Benedicti, in quo congregatum saeculo X fuerat illud sub titulo S. Anastasii et Basilii *ad me-*

(1) De castro Lucullano praecipue inter patrios auctores videndus est Chiarito, *O. c.* p. 180 et ss. qui singularem Mazochii opinionem (*De cath. eccl. Neap.* p. 201) de situ eiusdem quamplurium scriptorum et docc. auctoritate iuste refellit. Cf. etiam *Giunta al commento critico-archeologico sul frammento ined. di Fabio Giordano* p. 91 et ss.

(2) S. Gregorii Pp. *Ep.* L. X. ep. 19; Ioh. Diaconi, *Transl. S. Severini* n. 9. Cf. Galante, *Memorie dell'antico cenobio lucullano di S. Severino abate.* Nap. 1869.

(3) S. Gregorii Pp. *Epist.* L. II ep. 24 — *Reg. Neap.* n. 213. Instr. memorat dispensatorem ipsius monasterii.

(4) *Reg. Neap.* n. 402. De ea vide Chiarito, *O. c.* p. 221, et *Arch. Stor. Nap.* an. III p. 166 et 167. Erat supra locum nunc *Chiatamone* dictum. De Euplaea vide *Regest. Neap.* n. 523 in not.

(5) *Ibid.* n. 431. Chiarito, p. 234.

(6) *Ibid.* n. 488.

(7) Instr. an. 1145 sub Rogerio rege. *Catasto di S.Pietro a Castello* n. 158 vel 215. Congregatio deinceps translata fuit in ecclesim S. Bartholomaei *de strictula* S. Ioannis majoris.

(8) *Reg. Neap.* n. 494.

(9) *Ibid.* n. 488, 622.

(10) *Ibid.* n. 431. Insula nunc, ecclesia tantum superstite, in continentem ad regii navalis commodum abiit.

(11) *Ibid.* n. 17.

(12) Iohann. Diaconus n. 45, Nunc *Castello dell'Ovo.*

(13) Sicola, *Vita di S. Aspreno* p. 55.

(14) S. Gregorii Pp. *Epist.* L., X, ep. 14.

(15) V. supra p. 90.

dia in urbe situm (1), cujus supra et in praef. ad Reg. *Neap.* memini. In plagia ecclesiae S. Petri et S. Ianuarii et locus seu casale *Casalicellum* in documentis occurrit (2).

Super plagam maritimam, quaqua ipsa protenditur, retro ad septentrionem collis adsurgit, in quo nunc suburbanum: *Vomero* prostat. Tunc temporis **Paturci** vel **Paturcium** dicebatur (3). Ibi via vetus Antiniana, quae a Neapoli Puteolim ducebat. Ubi ipse collis incurvatur et in austrum vergit, graecum **Pausilypi** nomen ei a Romanis inditum sumit et fere ad tria millia passuum leniter declivis laeto et amaeno jugo in mare procurrit. De eo, apud Romanos et recentiores frequentissime celebrato, haud rara in nostris docc. mentio. Memoratur enim in Pausilypo *lamma majore* et *lamma pictula,* casale *maternum qui et lamma*, via publica et via quae descendebat in foris gryptam nec non locus qui *mons* pausilipensis dicebatur, et locus sive casale *Guzzanum* (4). Memorantur etiam monasterium S. Antonii in *scapula* montis Pausilipi, quod ad monasterium S. Salvatoris in insula maris pertinebat (5), et ecclesiae S. Stephani et S. Erasmi (6) ac locus sive pagus *Villanova,* ubi ecclesia S. Felicis (7).

Pausilypo subest crypta in ipso monte effossa, admirandum sane Romanorum opus, quam veteres Neapolitanam, et recentiores Puteolanam dixerunt. Nostra hujus, de quo loquimur, aevi documenta eam absolute *griptam* vel *griptam scuram* vocant, et eiusdem *caput* in exitu ad Puteolim ponunt (8). Ibi regio **foris Griptam** dicta occurrit, ubi locus *at casapagana,* in quo terra *at muri cinctum,* fundus *at piczione*; atque ecclesia S. Mariae quae erat *obedientia* monasterii S. Sebastiani, et campus de *spatarum* juxta S. Vitalem (9), nec non locus *soleranum* vel *solleranum,* in quo terrae *ad circulum* et *assajanum.* (10).

Hinc haud longe ad septentrionem erat locus, qui dicebatur **Subtuscaba** (*Soccavo*), ubi terra ad *illam lamam* et in viciniis forte locus *Sol et luna* (11). Paulo ultra erat **Planuria** *(Pianura)*, nescio cur major et aliquando *ad S. Donatum* appellata, atque locus *Prepontianum* (12).

Colles, qui post *Paturcium* et *Hermeum* ab occidente ad septentrionem urbi imminent, et vici suburbani, qui ibi sunt, eisdem, quibus nunc nominibus, in nostris docc. cogniti. Habemus siquidem **Antinianum** *(Antignano), ad illa Conucla (la conocchia), toricli (Torricchio)* et **Caput de Monte** (*Ca-*

(1) S. GREG. Pp. *Epist.* L. XIII, ep.. 2.

(2) *Reg. Neap.* 336, 352 et supra p. 90 ac not. ibi.

(3) *Ibid.* n. 472. Deinceps collem Pontanus poetice *Patulcidem,* vulgus patrio sermone *Patrusculo* vocavit. Nomen nunc obsoletum est. Eiusdem vero situm ex aliquibus sequioris aevi docc. agnosco. In instrum. anni 1223 « die 9 septembris Ind. XII. Imperante d.n. Frederico secundo Romanorum imp semper augusto an. quarto et rege Siciliae an. 21 et eius dominationis civ. Neapolis an. 9; sed et Henrico eius filio an. 4. Gaitelgrima h. f. et Trosa h. p. uterinae germanae filiae d. Iohannis cognomento de Arcu et d. Maroctae jugalium, ipsa vero Gaite algrima relicta d. Ioennis cognomento de Arcu de dno Manxo vendunt et tradunt d. Silibestro (*sic*) qui nominatur Magistro filio d. Damiani qui nom. Magistro et d. Maroctae quae nom. Siliari jugalium terram planam et pendulam positam in loco qui nominatur Paturci qui est super loco Plagiae cum introitu suo qui venit ab illa caba communi et abinde per capite de terra ecclesiae S. Archangeli de ipso loco subtus terram Petri qui nom. Cofinello et cohaeret cum dicta terra ecclesiae S. Archangeli, cum terra ecclesiae S. Mariae de pede griptae et a parte plagiae est terra heredis Bartholomaei qui nom. de Gennari pro pretio tarenorum 5 de tar. de Sicilia. Actum per Ioannem Scriniarium. « Instr. in *Notam.script. S. Greg.* n. 474. Item nn. 482, et 240 an. 1249.

(4) *Reg. Neap.* nn. 108, 205. 381, 396.

(5) Cf. supra p. 53.

(6) CHIARITO, *O. c.* p. 173; *Catasto* cit. n. 209, 316.

(7) *Reg. Neap.* nn. 298, 517. Cf. t. I. p. 330

(8) *Ibid.* n. 667, ubi memoratur terra *in loco qui nominatur foris gripta in caput de illa gripta scura.* Hinc ecclesia S. Mariae, ab alia parte deinceps ad Neapolim constructa, *in pede de gripta* appellata fuit.

(9) *Ibid.* nn. 33, 41, 174, 634, 642.

(10) *Ibid.* nn. 87, 529, 648.

(11) *Ibid.* n. 423. Ibi enim memoratur terra *de hominibus de sol et luna.*

(12) *Ibid.* nn. 119, 150, 293.

podimonte) (1). Obsolevit *Babulia*, quae erat super Antinianum, et *Iannula*, quae super Caput de monte exstabat (2).

Ad *Hermei* montis pendices et extra portam domini Ursitatae memoratur in docc. *lavinarius* sive torrens ex imbribus factus ac a supereminentibus collibus decurrens, atque iuxta ipsum casale de terra, quod *Limpianum* vocabatur, a monasterio Ss. Severini et Sossii ex concessione Sergii VII ducis totum vel ex parte sive pleno iure, sive iure empytheuticario usque ad saec. XVIII possessum. Ibi tunc temporis ecclesiae S. Archangeli et S. Viti in loco *Corillano* (3). Regio nunc habitationibus referta majori ex parte sectionem urbis, vulgo *dell'avvocata* dictam, efficit.

In valle *Capimontio* (ita ipsum poetice Pontanus vocavit) a meridie subiecta erat ad milliarium unum ab urbe et etiam nunc visitur christianum veterum Neapolitanorum coemeterium. Ibi a primis temporibus nostrorum episcoporum et aliquando etiam ducum sepulcra; ibi ecclesia S. Ianuarii, quae magna a civibus tunc vocabatur, ubi corpus eiusdem sancti martyris, usquequo ipsum Sico Beneventanorum princeps abstulit, repositum ac veneratum; ibi Paulus episcopus saeculo VIII *propter detestabilem imaginum altercationem* biennio resedit et triclinium ac marmoreum baptismatis fontem atque alia plura aedificia construxit; ibi denique iuxta ecclesiam S. Ianuarii erat oratorium S. Agrippini, unde monasterium deinceps a S. Athanasio episcopo inibi fundatum beatissimi *Ianuarii sacerdotis et Christi confessoris et martyris seu Agrippini Christi confessoris foris ad corpus* nuncupatum fuit. Ante basilicam Ss. Ianuarii et Agrippini erat ecclesia S. Stephani a Victore episcopo extructa ac in porticu etiam illa S. Gaudioso dicata. Praeterea in medio itinere ab urbe secus viam, quae a porta S. Ianuarii ad ipsum coemeterium ducebat, visebantur ecclesiae S. Severi, S. Fortunati, et a dextris euntis S. Euphemiae (4).

Hinc versus orientem et usque ad portam Capuanam planities spatiosa patebat, quae **campus Neapolis** vel Neapolitanus vocabatur. In eo Seodan Saracenorum califus per aliquod tempus an. 869 *suum nequissimum tronum posuit* omnia circum quaque devastans et ad 500 et eo amplius homines per diem interficiens (5). In eo insuper documenta memorant locum *Canzata*, et plurimas terras ad Neapolitanam ecclesiam pertinentes (6). In colle vero, qui ad boream planitiem claudit, oratorium S. Sossii *ad aream* exstabat a Calvo episcopo fundatum, ex quo *universa quae in circuitu erant conspici* (7), et per *cabam* publicam ad *Campum Neapolis* pergi poterat (8).

E campo Neapolis sive per viam quae dicebatur *transversa* sive per **Clivum** *majorem*, quem vel *Beneventanum* vel *Capuanum* vel *Gallorum* vel etiam *Liboranum* dicebant (9), ad loca agri Neapolitani, quae nullum specialem territorium constituebant, et ad Capuam atque Beneventum iter. In ipso *clivo* basilica S. Iuliani martyris a Neapolitanis locustarum invasione afflictis una die, Athanasio II ep. insinuante, exstructa visebatur (10).

Super *Clivum de Galloro*, ubi *Capite de clio* dicebatur, exstabant ecclesiae S. Mariae et Ss. Martini et Brancatii ad *liburna* vel *allaborna*, forte ex eo quod inde via ad Liburiam (11) et iuxta locus *Baccillianum*, ubi alia ecclesia S. Mariae *at Baccillianum* atque loci *Galloro* et *Nepetianum* nec non locus *Montisganguli* (12). Horum locorum nomina, quod scio, penitus obsoleverunt.

(1) *Ibid.* nn. 576, 499, 523. 527.

(2) *Ibid.* nn. 232, 234. 225, 495.

(3) V. supra p. 87.

(4) Ioh. Diac. passim et praecipue nn. 42, 45; *Vita S. Athan.* n. 9; *Regest. Neap.* nn. 48.

(5) Ignoti Casin. *Chron.* n. 28 et nota Pratillii ibidem; Ioh. Diac. n. 45; Falco Benev. ad an. 1140.

(6) *Regest. Neap.* n. 595; Nunc exstat parva ecclesia S. Mariae *ad lanzatam* juxta viam olim *della Saponara,* nunc *Caracciolo* supra *Foria.*

(7) Ioh. Diac. n. 39.

(8) V. supra, p. 46.

(9) *Regest. Neap.* nn. 390, 401, 409, 509, 523.

(10) Petrus *subd.* in *Chron. epp. Neap.* n. 46. Sacellum cum hoc titulo ibi adhuc extat.

(11) V. supra p. 104.

(12) *Reg. Neap.* nn. 42, 164, 223, 224, 247, 317, 643, not. (1) et supra p. 99. In instr. anni 1174 habetur: *locus qui nominatur Baccilianum qui est super capu de clio,* et in alio an. 1281: *locus qui nominatur S. Maria qui est prope locum qui nominatur S. Petrus ad paternum. Notam. instr. S. Greg.* nn. 322 et 430.

Super *clivum Beneventanum* memorantur etiam loci *Ciranum* et *Caccucauli* ac terrae *Casanoba* atque *ad Cirasa* (1). Exstat adhuc *Cirani* nomen in quodam praedio ac in Sacello S. Mariae *ad Ceranum* secus viam, que ad *Dolliolum* olim, nunc *Poggioreale*, ducit.

Collis cacumine praetergresso versus septentrionem iter arripienti ad secundum ab urbe lapidem occurrit vicus **Secundilianum** *(Secondigliano)*, de quo praeter nomen (2) nihil per haec tempora habeo. Contra de loco **Miana,** qui prope ad occidentem exstat, frequens in docc. mentio. Ibi habentur *campus de Miana*, campus qui dicebatur *pratum marcillianum, centula, viniale, ad casa calandri* ac *fracta* et iuxta pagum terra *ad illo arbore* (3). Mianella, qui pagus Miano adiacet, in huius aevi docc. abest.

Sequitur **Piscinula,** cuius meminit *Historia Miscella* inter illos vicos, qui, Belisario iubente, Neapolim clade vastatam et civibus exhaustam novis incolis frequentaverunt (4). Saeculo igitur VIII saltem antiquior habendus est. Ibi ecclesiam S. Sossi, in qua erat staurita plebis, et terras *ad pratum, mascarella, casanova, at cerale, at S. Sossium, at cannitum*, *at nipititum* et *ad gryptula* documenta memorant (5).

Prope et a sinistris *Piscinulae* occurrunt **Claulanum** *(Chiaiano)* et **Pulbica** *(Polvica)*, quae est prope *Claulanum*. De his nihil aliud praeter nomina ex ipsis documentis elicio (6). Subsequentibus temporibus *Claulanum* dictus aliquando fuit *Playanum*. Marianellae per haec tempora notitia non exstat.

Inter *Claulanum* et *Maranum*, de quo infra dicam, tunc temporis erat **Balusanum** (7), pagus postea **Vallisanum** dictus, qui verisimiliter saeculo XVI ineunte habitatoribus destitutus; nomen monasterio S. Mariae de *Vallesana* ibi deinceps extructo dedit.

De **Marano,** pago nunc florentissimo, plura in nostris docc. habemus. Et primum memoratur ibi ecclesia S. Castrensis, eiusdem villae patroni, in qua custos, et, nî fallor, ecclesia etiam S. Angeli *at mercicasa* (8); item loci ac terrae *at anianum*, *at centum* et *ad fossa de centum* atque *ad pratum rotundum ad erenario*.

Proxime subest **Calbectianum,** pagus tunc **Calberitianum** etiam dictus, ubi terrae *cesula*, ad *badum de silva, at campum de ursula, at pulianum, at carilianum, ad malianum* atque in viciniis ecclesia S. Iacobi ac locus *Patruschanum* dictus et nunc obliteratus (9).

Inter *Maranum* et *Calbeczanum* extabat locus tunc *Granianum pictulum* (10) et deinceps *Gragnanello* dictus, nunc vero, quantum scio, nec ibi nec in viciniis eiusdem nomen invenitur.

Iuxta *Calbectianum* erat **Munianum** (nunc *Mugnano di Napoli)* et supra **Panequoquoli** (nunc *Villaricca*) ac **Caloianum** (nunc *Qualiano*). Inter *Calbectianum* et *Munianum* vero exstabat locus *Basilica* (11), deinceps destructus, cuius nomen, nî fallor, superfuit in eo, qui dicebatur *Baselica*.

De **Muniano** tantum locos *casaminula* et *at cepullari* (12) et ecclesiam S. Mariae ad Campense invenio; plura autem de **Panequo quolo** vel **Panecocolo** (13). Ipsum abbas Telesinus in

(1) *Ibid.* nn. 202, 205, 247.
(2) *Ibid.* n. 608.
(3) *Ibid.* nn. 54, 62, 101, 144, 176, 188 etc.
(4) *Hist. Misc.* ap. R. I. S. t. I, p. 167.
(5) *Regest. Neap.* 79, 105, 163, 456, 511.
(6) *Ibid.* n. 23 et 647; CHIARITO p. 166 et 167.
(7) *Ibid.* n. 23, 150, 247; CHIARITO, p. 167.
(8) *Ibid.* nn. 26, 126, 253, 299, 308, 342 etc.
(9) *Ibid.* nn. 281, 324, 345, 375, 299, 308, 342 etc. 567, 668, 669 et supra p. 82 — Situm *Patruschani* in docc. aevi ducalis incertum ex instrum. anni 1161 elicio, in quo memoratur terra in loco qui nominatur *Patruscano* qui est super loco Calbiczani. *Notam. instr. S. Greg.* n. 136.
(10) *Ibid.* nn. 239, 247, 287, 690 — In instrum. anni 1252 habetur *locus, qui nominatur Graguanum qui est inter locum Marani et locum Calbiczani. Notam. instr. S. Greg.* n. 575.
(11) V. supra p. 82. Adnotatur in tabula chorographica agri Neapolitani a Rizzi-Zannone descripta anno 1792.
(12) *Reg. Neap.* nn. 86, 668, 669. CHIARITO *O. c.* p. 135.
(13) *Ibid.* nn. 434, 498, 680. CHIARITO *O.c.* p.169.

Chron., uti ex pluribus argui licet, *Cuculum* appellat, et oppidum munitum ac Neapoli propinquissimum dicit. Anno 1135 in bello inter Rogerium regem ex una, et Robertum Capuae principem ac Sergium Neapolitanorum ducem ex altera parte gesto non semel ab alterutrius exercitus discursione captum et eversum fuit (1). Ibi per haec tempora ecclesiam S. Sergii, locos et terras *at pinum, startiam at fractula* et fossatum publicum atque *gualdum ad S. Iulianum* documenta memorant. Ibi praeterea Sergium ducem, facile primum et postmodum monachum, fecisse pontem pro defensione civitatis Neapolis ex quodam instrum. discimus (2). De **Caloiana** denique ecclesiam S. Magni tantum habeo (3).

Iuliano oppido (nunc *Giugliano*), de quo infra, ad sinistram relicto ac versus orientem iter aggrediendo **Malitum** *(Melito)* attinginus. Tunc habebatur *Malitum maius* et *Malitum pictulum;* atque *Malitum S. Petri* et *Malitum S. Neapolitanae ecclesiae,* partes scilicet eiusdem, quae ad privatum dominium pertinebant. In *Malito* erat ecclesia S. Nicolai et b. Mariae virginis; fossatus publicus, atque loci vel terrae, quae dicebantur *campus de tevorola* vel *tevorolo*, *castanietum, calinera* vel *kasimera at illa cruce, at terra occanum, ad ara murata, ad illo aspru, at terracianum, at illi cafatini* (4). Iuxta *Malitum pictulum*, deinceps *Malitellum,* erat **Carpinianum** posterioribus temporibus destructum (5).

Pagorum, qui supra *Malitum* ad orientem sunt positi, in nostris huius aevi documentis rara mentio. **Casandri,** vel *Casandrinum* (*Casandrino*), **S. Anthimus** (*Santantimo*), et **Fracta** (*Fratta*), aliquando *major* dicta, semel aut bis (6), **Grumum** (*Grumo*) nunquam in eis occurrit. Verum huius pagi notitiam alias ex *Actis translationis S. Athanasii* habemus, unde eruitur ipsum jam a. 877 exstitisse (7). Prope *Fractam*, florentissimum nunc oppidum, plures vici per haec tempora memorantur, qui deinceps obsoleverunt, habitatoribus alio et fortasse *Fractam* ipsam transmigratis. Ibi enim invenimus *paritinulam*, cuius nomen in quibusdam aedificiis ad 200 circiter passus ab oppido versus septentrionem positis adhuc superest; *caucilionem*, ubi terra *ponticitum* et campus *de S. Iuliana, S. Stephanum ad caucilionem* vel ad *fractam* in confinio Liburiae, secus quem erat terra ad *fossatellum,* et denique locos *rurciolo* et *vollitum* (8). Post saeculum XI nulla amplius de omnibus his locis memoria.

Ad mille passus circiter a *Fracta majori* versus Neapolim et ad orientem tunc temporis exstabat **Arcupintum**, cuius loci nomen tantum superest (9), et **Cantarellum**, ubi prope locus *Gualdum* seu *Gualdellum,* ecclesia S. Salvatoris, *obedientia* monasterii S. Gregorii majoris (10) a qua deinceps quidam vicus *S. Salvatoris de ille monache* dictus fuit (11). In viciniis nunc occurrit *Afragola,* tunc **Afraore**, ex illorum locorum destructione adauctum. Ibi campus S. Severini et formae veteris aquaeductus, unde *Cantarelli* supra memorati nomen (12).

Haud procul hinc a dextra Neapolim euntis exstabat (13) et exstat **Artianum** *(Arzano),* ubi tunc erant loci *Squillaci* et *Portianum* (14), nunc destructi, quorum nomina usque ad nostra

(1) Telesini, *Chron* L. III, c. 13, 21, et IV, c. 1.

(2) In doc. a. 1066 habetur Danebaldus comes de Cuculo Cf. R. N. A. M. t. V. 32.

(3) *Regest. Neap.* n. 668, et in not.

(4) *Ibid.* nn. 448, 549, 604; item 68, 220, 507, 635.

(5) *Ib.* nn. 269, 507 et not. (1) ibi. Chiarito *O. c.* p. 168

(6) *Ibid.* nn. 482, 635, item 280, 576 et nn. 9, 371. De S. Anthimo nuper scripsit Storace (*Ricerche storiche* P. I, 1887), de Fracta pridem Giordano (*Memorie storiche* 1834).

(7) *Acta trans. S. Athan.* n. 6, et *Reg. Neap.* n. 86 nisi hic forte alius est eiusdem nominis locus.

(8) *Reg. Neap.* nn. 34, 56, 57, et not. ibi 419.

(9) *Ibid.* nn. 401, 419.

(10) *Ibid.* n. 670 et supra p. 80. Cf. Chiarito, *O. c.* p. 153.

(11) Chiarito, *O. c.* p. 154.

(12) V. supra p. 80. et not. ibi. Cf. etiam Castaldi, *Mem. Stor. di Afragola* Neap. 1833.

(13) *Regest. Neap.* n. 39, 660.

(14) *Reg. Neap.* nn. 163. 599, Cf. Chiarito, *O. c.* p. 131, In instrum. n. 55 legitur locus *Quillaci,* ubi ecclesia Sanctae Mariae, an idem ac *Squillace ?*

tempora duraverunt in sacellis S. Mariae *de scolace* et S. Mariae *de porciano* (1). Ibi prope erat etiam locus **Lanceasinum** dictus iuris S. N. E. in quo memoratur *fracta* major (2).

Paulo ultra sequebatur **Casauria** (nunc *Casoria*), item iuris S. N. E. ubi mentio loci ad *S. Maurum* et *palmulae* ac ad *S. Iulianessam* (3); et ultra progrediendo, **S. Petrus ad Paternum** vel *Paternum ad S. Petrum* super clivum beneventanum (*S. Pietro a paterno*), cuius mentio in nostris docc. frequens, eo quod ipsa ecclesia ad monasterium S. Sebastiani iure patronatus spectabat. Ibi locus *murtilianum* et campi *at illa casula*, et *at illum felicem* atque locus *cisanum* sive *ciranum*, qui in collis declivio positus, uti supra dixi, nomen adhuc servat (4). In ecclesia S. Petri erat custos, qui graeco sermone *paramonerius* appellabatur, et plurimi codices atque varia supellectilia servabantur, de quibus alibi aptius (5).

E *S. Petro ad Paternum* clivum descendendo per viam *transversam*, ad urbem deveniebatur in loco extra portam Capuanam *Duliolum* (6) dicto, ubi ecclesia S. Petri *ad viam transversam* in *Actis Trans. S. Athanasii* memorata. Hinc recta ad **Arcora dudum aquaeductus** et ad **Pomilianum** atque **Licinianum** iter.

Pagus **Arcora** (7) ab arcubus ad aquaeductum, Claudii imp. uti creditur, opus, pertinentibus nomen accepit. Ibi, praeter formas ex ipsa *arcora*, memorantur loci et campi *intus* et *foris arcora* positi, scil. intus: campi *at decibile* et *at S. Crisantum* atque *rium de silice* et via, quae ad *Summam* atque alia, quae ad *Licinianum* ducebat atque etiam ecclesia S. Mariae ad *mascatura*, quae et ad *illa quinta* in campo monasterii Ss. Severini et Sossii; foris vero: campi *at tabula* et de *ille fosse*, atque via publica *nolana*, aut quae *at cimiterium* pergebat. Obsoleto dein hoc pago, nomen ejus ad sequentem traductum.

Pomilianum, (8) qui erat *foris arcora*, pluries in nostris documentis occurrit. Ibi loci et terrae *pratore*, *at trivium*, campus *trasversus*, *carictura*, campus *major*, *cesina*, *at sinianum*, *at illa biniale*, *mascarellum*, *trenta migliaccia*, *caba*, *at illa cruce*, et *at S. Paulinum* Ibi ecclesia S. Felicis, in qua imago Salvatoris nostri Iesu Christi, beatae Mariae Virginis et S. Iohannis Baptistae (9). In viciniis vero tunc erat, et adhuc exstat locus sive casale **Paccianum** *foris arcora* (10).

De **Liciniano**, nunc *Licignano*, etiam *foris arcora* dicto, locum *mascarella* tantummodo invenio (11).

His de urbe principe, de locis suburbanis. ac de illis agri Neapolitani pagis, qui nulla speciali distinctione sub ducibus denotabantur, breviatim dictis, nunc ad aliarum regionum, quae propriam appellationem habebant, descriptionem, ut institutus ordo prosequatur, pergendum est. Et primum nobis extra urbem versus orientem occurrit:

I. **Territorium plagiense parte foris fluvium** — Amnis, qui orientalem Neapolitanae urbis agrum alluit et sub *Sebethi* nomine apud veteres et a patriis scriptoribus, praesertim poetis, frequenter celebratur, tunc temporis absolute et per antonomasiam fluvius vel *flubius* (12) et aliquando

(1) Has ecclesias adnotatas invenio in cit. tabula chorographica agri Neapolitani.
(2) *Reg. Neap.* nn. 368, 371. CHIARITO, *O. c.* p. 160.
(3) *Ibid.* nn. 361, 401, 550, 572, 586.
(4) *Ibid.* nn. 22, 113, 202, 211, 226, 228, 247, 274, 278, 401, 547.
(5) *Ibid.* nn. 543, 544, 545, 616.
(6) *Ibid.* n. 283.
(7) *Ibid.* nn. 206, 364, 421, 588, 593, 602, 620. CHIARITO, p. 223.
(8) *Ibid.* nn. 51, 137, 200, 217 etc. Idem p. 224.
(9) *Ibid.* n. 517.
(10) *Ibid.* n, 674.
(11) *Ibid.* nn. 94, 206, 286.
(12) Sebethi nomen primis medii aevi temporibus et usque ad renatas litteras obsoletum fuisse ex Ioannis Boccacii verbis facile argui potest. Is in libro: *De fluminibus* sic scribit: *Sebethus, ut quidam dicunt, Campaniae fluvius est apud Neapolim, quem ego vidisse non memini, nisi is sit rivus potius qui a paludibus sub monte Vesevo inter radices eiusdem montis atque Neapolim in mare affluit innominatus, nec alterius nedum aquae, sed nec vestigia unquam apparent.* Saeculo deinceps XV, veteri nomine restituto, Sebethi fama revixit iterumque enituit, carminibus praecipue Pontani, Sannazzarii, et aliorum Academiae Pontanianae illustrium sodalium.

etiam *Rubeolus* (nisi potius is quidam ipsius maior rivus (1) habendus sit) appellabatur. Ex eo plures minores rivi, quos *fossatos* (2) vocabant, derivati plura molendina alebant, ac *sfosarios* sive *fosarios (fusari)* ad maturanda lina aptos conficiebant (3). Campi vero, qui circum in viciniis patebant, ob aquarum scaturigines, et faciles inundationes, ut plurimum, coenosi et palustres erant, unde *padules (paludes)*, uti nunc, denominabantur. Ubi fluvius in mare se exonerat, ponte, qui tunc forte *pons padulis*, et deinceps *Licciardo* vel *Guiczardo* dictus fuit, ultra, uti etiam ad praesens, trajiciebatur, et inde ad *territorium plagiense* parte foris fluvium progrediebatur. Ibi juxta pontem ad orientem erat locus *Trifone* (4).

Primus autem pagus, qui trans fluvium secus mare in nostris docc. occurrit, est **S. Iohannes ad Tuducculum;** de *Paccinno* sive *Paczigno* enim nulla fit mentio. Locus proprie tunc dicebatur **Quarto pictulo** (5) et ibi erat casale *Giniolum* vel *Geniolo* non longe a cruce S. Ioannis *ad Tuducculum* qui et super *arcabelum*, atque ipsa ecclesia S. Ioannis ad *tuducculum*, unde pago nomen, quod adhuc restat (6).

A sinistris versus boream erat **Casa balera** (7), inde *Casa valeria*, pagus nunc destructus in loco *Casale* deinceps vocato, inter *S. Ioannem ad Teduccium* et *Barram*.

Ubi nunc est **Barra** tunc exstabat **Sirinum** (8), et ultra locus **Tertium** (9), qui distinguebatur in **Tertium majorem** et **tertium pictulum.** Ibi ecclesiae S. Petri et S. Cipriani et iuxta hanc locus *S. Cipriani*, ita ab ipsa ecclesia appellatus, ac supra terrae ad *Castanietum* et ad *Suderanum*. Ibi *campus de lucia* et *campus de culusi*, *castanietum*, *tabanellum*, *cesina*, et *bibiturum*, nunc l'*abbeveraturo:* ibi molendina et terra ad *centimola*, escatoria *padules* et in paludibus *cathonae* (10). Pagus post annum 1497 obsolevit.

Supra *Tertium* ad boream erant **Ponticellum,** nunc *Ponticelli* (11) et **Porclanum** (12), nunc *Porchiano*, ac ibi iuxta locus S. Brancactius, nunc destructus, qui a quadam ecclesia S. Brancacti forsitan nomen accepit (13). Ultra *Serinum* vero ad orientem erat **Crambanum** (14) et **Capitinianum**, ubi terrae *at pratum*, *ad robore*, *ad nobiscura* et *at S. Sergium* (15) seu potius *S. Georgium*, cum ecclesia S. Georgii, unde locus ipse postea **S. Georgius ad Capitinianum** dictus fuit (16). Subsequentibus temporibus ex utroque pago, *Crambanum* scilicet et *S. Georgius* factus est **S. Georgius ad Crambanum,** nunc *S. Giorgio a Cremano* (17).

(1) In *Reg. Neap.* nn. 532, 564 memoratur *ille flubeo qui vocatur Rubeolu.* In chartis posterioribus appellatur *Rivolus. Reg. Ang.* n. 321 (1340, A ,) f. 383.

(2) *Fossati*, in quibus, ut clare explicatur in doc. an. 990 *(Reg. Neap.* n. 72*) cursus aquae*, alii erant de jure publico, alii de jure privato, tum heic, tum alibi, ut vidimus in Melito et Panequoquulo.

(3) *Reg. Neap.* nn. 334, 564; CHIARITO *O. c.* p. 110, 150. in not.

(4) *Ibid.* nn. 668, 669. In instr. anni 1330 locus vocatur *S. Trifone*, atque retro ecclesiam S. Mariae Magdalenae et hospitale contiguum, unde nunc eidem ponti nomen, versus orientem positus dicitur. *Notam. instr. S. Sebast.* n. 692.

(5) *Ibid.* nn. 117, 227, 385.

(6) *Ibid.* nn. 104, 157, 167, 456, 623, et supra p. 72; CHIARITO, *Ibid.* p. 142.

(7) *Ibid.* n. 663; CHIARITO, *O. c.* p. 144.

(8) *Ibid.* n. 625, CHIARITO, *O. c.* p. 145. Cf. VARGAS, *Territ. Napolitano antico e nuovo.* Nap. 1774 p. 40.

(9) *Ibid.* nn. 435, 526, 551, 552, 621, 668, 669; CHIARITO, *O. c.* p. 148.

(10) *Reg. Neap.* nn. 5, 65, 72, 218, 533, 318, 526, 551, 554 etc. Quae vero sint *cathonae* in paludibus, menoratae in instr. an. 968, (n. 166) nescio.

(11) *Ibid.* n. 433.

(12) *Ibid.* nn. 285, 523.

(13) *Ibid.* n. 512, Situm ex instr. anni 1333 arguo, ubi *terrae in loco Porclani, ubi dicitur ad S. Brancatium. Notam. instr. S. Greg.* n. 3.

(14) *Ibid.* nn. 88, 100, 120, 302, 584.

(15) *Ibid.* nn. 273, 307, ubi pro *S. Sergium* legendum est *S. Georgium*, 377, 592.

(16) Instrum. annorum 1198 et 1265 in *Notam. instr. S. Sebast.* nn. 872, 873.

(17) CHIARITO, *O. c.* p. 142. Cf. PALOMBA, *Mem. Stor. di S. Giorgio a Cremano.* Nap. 1881.

E *Crambano* ad mare descendenti occurrebat **Portici**, tunc pagus (1), nunc oppidum incolis et advenis frequentissimum; inde **Risina**, nunc *Resina* (2), ubi rivus, idem ipse forsitan qui, teste Sisenna vetustissimo scriptore (3), olim Herculaneum alluebat. Foris ipsam *Risinam* memoratur **S. Andreas ad Sextum,** et supra, ut ex nomine arguo, ecclesia S. Mariae *at Pugnanum* (4). Sequebatur deinde etiam supra mare vicus **Calastrum** vel **Calistrum**, ubi ecclesia S. Petri, quae erat iuris monasterii Ss. Teodori et Sebastiani et casalia *S. Petri ad calistrum, de illi Spina, at illi Buccatorci* (5). Ibi iuxta erat **illa turre**, quae dicebatur **de Hoctaba**, nunc *Torre del Greco* (6). Tota regio a *Calastro* usque ad locum, ubi ad praesens est *Torre dell'Annunciata,* **Massa Sollensis** erat appellata (7) a vetusto et diruto pago **Sola**, qui ex ruderibus prope situm nunc *Torre del bassano* dictum, saeculo XVII effossis, ibi extitisse doctorum virorum opinio est (8). Pagus saeculo IX in *Historia Miscella* memoratur inter illos qui, Belisario iubente, incolas ad frequentandam Neapolim habitatoribus destitutam praebuerunt. In nostris docc. tantummodo *rium de sola* habetur (9). Fortasse heic vel in vicinia erant loci *Setari* et *Saccum,* quorum situs e docc. praefiniri nequit (10).

Regionem ipsam supereminet **Vesuvius** mons, conflagrationibus ac veterum recentiorumque scriptorum frequenti testimonio longe celeberrimus. His, de quibus agimus temporibus, **Besubium** vel **Besbium** in monumentis dictum fuisse et sexies ex synchronorum scriptorum auctoritate tunc in flammas erupisse invenimus. Primum siquidem mense martio anni 685 cum, testantibus *Lib. Pontificali* et Paulo diacono in *Hist. Lang.*, mons *eructavit per dies aliquot et omnia loca circumquaque prae pulvere cineris illius exterminata sunt* (11). Item anno 968 exeunte vel 969 ineunte in flammas erupit eodem tempore, quo Iohannem III Neapolis Ducem obiisse pluribus rationibus et verba S. Petri Damiani accurate expendens ego contendi. Tertium autumno anni 999 *piceas et sulphureas flammas montem emisisse* idem S. Petrus Damianus asserit, cum Guaimarius princeps Salernitanus in fata concessit (12). Praeterea anno 1007, ut Rodulplus Glaber testatur, quarto *Besevus mons qui et Vulcani olla dicitur, solito multipliciore hiatu evomens igne permista sulphureo grandium saxorum multitudinem qui usque in tertium rotabantur miliarium; sicque suo alatu putrido circa se inhabitabilem cepit facere provinciam* (13). Quintum anno 1037 mense januario Vesuvius *eructavit incendium ita ut usque ad mare discurreret* (14). Sextum denique anno 1137, *ignem validum et flammas visibiles proiecit per dies octo (per dies XL in* **Anon. Casin.***)...... ex cuius incendio pulvis niger et orribilis exivit* (15).

Qualis vero eiusdem montis adspectus et status tunc temporis fuerit ex ipsis nostris docc. elicimus. Supra *Resinam* ubi nunc *le novelle* dicitur, erat locus **Actone**, in quo ecclesia et extaurita plebis *S. Stephani ad Actone* atque ecclesia S. Mariae *allassamanica* nec non loci, *at romani, miana* et *Priscanum at actone* ac *ribus de fontana;* (16). Supra *Actonem* vero in declivio erat **Nonnaria,** locus et mons, ubi memorantur terrae arbustatae et campi, valles et cunioli cum scapulis et ripis

(1) *Regest. Neap.* n. 168.
(2) *Ibid.* nn. 104, 460, 476.
(3) Nonius Marcellus c. 3.
(4) *Regest. Neap.* nn. 343, 460 — S. Maria *at pugnanum* n. 553 eadem mihi esse videtur ac S. Maria *a Pugliano*, celebre sanctuarium.
(5) *Ibid.* nn. 630, 663; casalia vero habentur in nn. 436, 463, 477.
(6) *Ibid.* n. 380.
(7) *Ibid.* n. 43.
(8) Balzano, *L'antica Ercolano* p. 16 et ss.; Rosini, *Diss. isag.* p. 94; Corcia, *Storia delle due Sicilie* t. II. p. 288.
(9) *Reg. Neap.* n. 663. In instr. anni 1267 adnotatur terra *in loco Turris octavae, ubi dicitur ad solà, juxta viam publicam quae vadit ad Salernum. Notam. instrum. S. Sebast.* n. 582.
(10) *Ibid.* nn. 343, 456.
(11) *Lib. Pontif.* in Bened. II Pp. Paul. Diac. L. 217, c. 9.
(12) Cf. t. I; p. 114 et 346.
(13) *Monum. Germ. Hist. Script.* t. VII p. 61.
(14) *Annal. Cavenses.* ad a.
(15) Falco Benev.; Anon. Casin. ad a.
(16) *Reg. Neap.* nn. 373, 601. ecclesiae S. Stephani et S. Mariae nn. 359, 421, 428, 471.

atque ecclesia S. Basilii, quae erat obedientia monasterii Ss. Theodosii et Sebastiani (1). In quodam tumulo super *Nonnariam*, qui mons etiam in docc. dicitur, eminebant ecclesiae vel monasteria S. Salvatoris, et S. Mariae *de ille turre* in monte *Besubeo*, iuris S. N. E. et iuxta ipsum erat via quae descendebat ad *Nonnaria*, ac monasterium S. Archangeli, iuris etiam eiusdem S. N. E. Ibi memorantur quoddam castanietum dicti monasterii sancti Sebastiani, *lavinarius* et plures rivi, quorum nomina: *mandra gentiula, de illa sanctu, de iohanne, de corboro* et *de lepore*; atque via publica quae dicebatur *trasenda de Arinianum* (2). Ibi etiam silva, que nominabatur et erat posita ad illum *flatum quod est in monte Besubio* (3), terrae et casae hominum, ut plurimum, ad idem monasterium S. Sebastiani pertinentes, unde forsitan pagi **S. Sebastiani** deinceps exciti origo.

Iuxta *Nonnariam* erat locus **Arinianum,** ubi casale et terrae, quarum una *fabale* dicta, et silva de *monte* (4). Ex nomine adiecto *ad massa*, quod aliquando habet, facile eius situs praefiniri potest; in viciniis enim tunc erat pagus **Massa**, quae nunc *Massa di Somma* appellatur, ubi habetur ecclesia S. Mariae, locus *pummicaria* et terra *ad ferale* (5).

Ultra *Massam* ad septemtrionem sequebatur locus **Apolline**, nunc *Pollena*, et inde locus **Trocla,** nunc *Trocchia* (6), cuius meminit etiam *Historia Miscella*, terra *ad bovinianum*, mons et rivi qui dicebantur *de rosa, de ciraso* et *de ille mole* (7). In proximo loco ad **S. Nastasa,** nunc *S. Anastasia*, plurimas monasterium Ss. Severini et Sossii possessiones habebat (8). De **Somma** vel **Summa**, pago in *Historia Miscella* etiam memorato, nunc *Somma* (9), et **Hoctaiano** vel **Optaiano** (10), nunc *Ottaiano*, locis in septentrionali Vesuvii montis pendice positis rara in nostris docc. mentio.

Huc usque territorium Plagiense sive pars foris fluvium protendebatur; at corollarii loco ad ipsum addenda sunt *camporum aequora patentia* inter Vesuvium et flumen Sarnum usque ad mare, quae etsi aliquando Langobardorum dominio forsitan cesserint, tamen saeculo XI certe ad Neapolitanum ducatum pertinebant.

In ipso igitur monte Vesuvio vel potius ad eius pendices ex latere, quod ad orientem spectat, extabat anno 962 et 976 ecclesia S. Mariae *de illa spelea* sive quae sita erat in *spelunca in monte Besubei*. Ibi Martinus abbas monasterium construxit, cui Pandolfus Langobardorum gentis princeps et marchio anno 979 plura privilegia concessit. In aliis docc. dicitur ipsum fundatum esse *ad illam turrem super ercica* ad ipsam speluncam in monte Vesuvio et memorantur duo Ioannes et quidam Stephanus, rectores et gubernatores eiusdem (10). Deinceps ex principum Capuanorum donatione vel confirmatione in dominium monasterii S. Laurentii de Aversa devenit, atque inde e monasterio simplex cella vel ecclesia evasit, ut in docc. a. 1079, 1087, 1097 et 1327 appellatur (11). Quando autem omnino obsoleverit nescio.

Locus *Ercica,* de quo supra innui, inter Vesuvium et Sarnum flumen, sed magis huic contiguus, in planitie, quam *pompium* sive Pompeianum campum Martinus monachus saeculo IX vocavit, erat positus (13). Ibi anno 954 extabat ecclesia S. Petri in *Ercica,* tunc ruinosa, in qua deinceps coenobium fundatum fuit, unde anno 1009 habetur monasterium S. Petri de *ulter fluvio tracutiu* unde *ad erceka* dicitur (14). Circa ecclesiam et monasterium per ea tempora pagus quidam, ut

(1) *Ibid.* nn. 24, 61, 169, 347, 356, etc; *obedientia* S. Basilii n. 428.

(2) *Reg. Neap.* nn. 356, 358.

(3) *Ibid.* n. 398.

(4) *Ibid.* nn. 134, 142, 182.

(5) *Ibid.* nn. 162, 207, 218, 344.

(6) *Ibid.* nn. 232, 247, 669.

(7) *Ibid.* nn. 352, 586.

(8) *Ibid.* nn. 254, 328, 337, 386 et supra p. 89.

(9) *Ibid.* nn. 407, 685.

(10) *Ibid.* nn. 136, 185, 221.

(11) De his omnibus vide sis quae in t. II, P. I, p. 183 not. (2) dixi.

(12) R.N.A.M. t.V, p.87, 117, et 232 ac diploma a. 1327 a cl. viro Ludovico Pepe editum in opere, cui titulus. *Mem. stor. dell'antica Valle di Pompei* p.32.

(13) Borgia, *Mem.stor.di Ben.* t.I, p.340; Pepe, p.19.

(14) *Regest. Neap.* n. 82; *Cod. dipl. Cav.* t. IV, p. 32.

moris erat, ortum habuit, qui S. Petrus ad *Scafatum* vel villa S. Petri ad *Scafatum* dictus fuit, et, quamvis in territorio neapolitano, nescio cur et quo iure ad principes Capuanos, qui Casinensibus eum concedunt, pertinebat (1).

Magis ad meridiem versus mare iuxta flumen, in loco, qui *vallis* vel *vallum* dicebatur, erat tunc ecclesia S. Salvatoris de *valle* et circa ecclesiam casalis ab ea denominatus. Ipsam sive a Jordano et Richardo Capuae principibus an. 1087 sive potius a Saxone Nolano episcopo an. 1093 monasterium S. Laurentii de Aversa habuit (2).

Sarnus, quem Neapolitani ducatus finem posuimus, ea tempestate sive totus sive ex aliqua tantum parte (ambigitur enim) *Dracunteum*, *Dracuncellum* vel *Tragutium* et aliquando etiam *Scafatum* dictus fuit. Ita enim eum in docc. an. 994, 1003, 1009 et 1004, et in *Chron.* abbatis Telesini vocatum invenio. In doc. etiam a. 1188 habetur flumen *Draconcellus a li Scafati*, et in alio a.1327 flumen *Scafati* qui dicitur *Dracuntem* (3). Flumen, eo loci ubi ad Nuceriam iter, olim per scapham, unde ei aliud *Scaphati* nomen inditum, et deinceps per pontem ligneum, quadam turri munitum, trajiciebatur. Anno 1132 ad eiusdem ripas acerrimo inter Rogerium regem atque Rainulphum comitem et Robertum Capuae principem commisso praelio, rex fusus fuit; at biennio post ipse ad bellum reversus, « turrim praedictam suscepit, atque ad coercendum fluvialem transitum custodibus praemunivit, ita ut Rainulphus non pauco constipatus numero galearum ad praememoratum *Scaphatum* pergens frustra ibi transvadium tentaret » (4); unde eruitur Sarnum tunc temporis navigabilem fuisse. — Ad *Sarni* ostia est parva insula, quae a Romanis *Petra Herculis* et per haec tempora **Robilianum** vel **Revilianum**, uti nunc, dicebatur. Ibi tunc monasterium S. Angeli, cuius abbas presbyter memoratur in instr. an. 938 (5).

II. **Territorium Nolanum vel Cymiterense** — Regio haec, cui vel **Nola**, nobilis Campaniae urbs, vel **Coemeterium** iuxta positum, S. Felicis ep. et aliorum sanctorum sepulchris insigne, ubi postea oppidum ac priscorum Nolae episcoporum sedes appellationem in chronicis et veteribus chartis promiscue dederunt (6), nec continuo nec integre ad Neapolitanum ducatum pertinuit. Eam primo inter Langobardos et Neapolitanos communem fuisse, ut de Liburia etiam cognoscimus, ex instr. a. 703, cuius supra memini, facile erui potest. Hoc enim instrumento Selberada quaedam et eius filii de gente Langobardorum vendunt medietatem cuiusdam tertiatoris, in fundo *materno* de territorio Nolae adscripti, monasterio Ss. Theodori et Sebastiani Neapolis, cuius erat alia eiusdem tertiatoris medietas. Deinceps cum talis rerum status frequentes inter utrumque populum discordias gigneret, tota regio saepe praeliis lacessita et *diutina oppressione* a Langobardis *fatigata* fuit, donec circa an. 780 Arechis primus Beneventanorum princeps pacem Neapolitanis tribuit atque eis quaedam iura *(diaria)* in Coemeterio scil. in hac regione concessit (7). At non longo post tempore iterum utrisque ad arma reversis, Nolanum territorium nunc ab his, nunc ab illis occupatum extitit, unde an. 850 in divisione principatus Beneventani et Salernitani huic in limitibus adsignatum (8) invenimus. Denique saeculo X firmiter ad Neapolitanum ducatum accessit, quibusdam tamen locis, uti *Laurum*, *Palma*, *Domicella* etc. (9) ad Salernitanos remanentibus. Tunc Comes Nolanus sive Comes castri Nolani primo in nostris docc. occurrit.

(1) Cf. diploma Richardi principis an. 1072, datum ap. Gattula, *Access. ad hist. Casin.* p. 117. P. di Meo dubitat de eius fide; at id ipsum memoratur etiam in *Chron. mon. Casin.* L. III, c. 37.

(2) R. N. A. M. t. V, p. 117; Remondini, *Della Nolana eccles. istor.* t. I, p. 346; Pepe, *O. c.* p. 23.

(3) *Cod.dipl.Cav.*t. III, p.12; IV, p.28 et 152; VI, p. 156; *Protoc. del mon. de' Ss. Severino e Sossio*, p.87; Pepe, *O. c.* p. 37.

(4) Telesini abb. *Chron.* L. II, c. 30, 57, 58.

(5) Plinii, *Hist. nat.* L. XVII, c. 2; Milante, *De Stabiis*, p. 8.

(6) *Reg. Neap.* nn. 388, 482, et 177, 178, 244, 277, 312, 359, 594.

(7) Erchemperti, *Hist. Lang.* n. 2.

(8) *Pactum divisionis princ. Benev.* c. 9.

(9) Cf. R. N. A. M. t. IV, p. 320, 325, V, p. 4, 303.

Regionem vero et loca eiusdem ad Neapolitanos pertinentia nunc describens, ab urbe **Nola,** uti par est, ordior, ac pauca quae per haec, de quibus agimus, tempora, de ea habeo, summatim refero. Et primum ex epitaphiis Boni ducis Neapolis et Ausentii Langobardorum militum praefecti elicio ipsam an. 832 a Neapolitanis captam, et contra an. 851 a Langobardis detentam fuisse (1). Deinceps saeculo X in possessionem Neapolitanorum iterum devenit; an. enim 946 a Landulfo Beneventi atque a Gisulfo Salerni principibus contra Ioannem Neap. Ducem simul congregatis, obsessa, capta et solo aequata fuit, ut ex *Anon. Salernit.* c. 161 eruitur. Ex eo tempore nusquam amplius, ut videtur, a Neapolitanorum dominio discessit. Quoad vero huius urbis aedificia attinet, unam tantum ecclesiam S. Crucis, postea dirutam, ibi memoratam in docc. invenio; in diplomate scil. an. 1022 quo Henricus imp. dictam ecclesiam beneventano monasterio S. Sophiae cum omnibus suis pertinentiis concedit (2).

Prope urbem ad ortum extabat Castellum de **Cicala,** oppidum in collibus positum, nunc *Castelcicala,* ubi ecclesiae SS. Trinitatis juxta munitiones castri, atque S. Georgii *de ipsa arce castelli* cum archipresbytero rectore et congregatione monachorum, utraeque ad monasterium Cavense, ex episcopi Nolani concessione, pertinentes (3). Ibi Ioannes admiratus regis Rogerii cum Apuliensi exercitu contra principem Capuae an. 1135 fortiter se praemunivit (4). Ibi docc. memorant fundos *de Paulinum* et *de Rojolum.*

In viciniis *Nolae* etiam ad ortum erat sub unco, ut Ambrosius Leo inquit, Cicalanorum collium locus seu pagus, **S. Paulus de Cicala** dictus (5), nunc *Santopaolo*, et deinde in ipsa planicie ad meridiem, nongentos circiter passus ab urbe, loci sive pagi **Siricum,** nunc *Sirico,* et **Saviana**, vel **Sabiana**, nunc *Saviano* (6). Heic memorantur plures petiae de fundo, cuius medietas ad monasterium Ss. Theodori et Sebastiani pertinebant, quarum nomina vel pagos ibi postea erectos et nunc destructos, vel regionis situm indicant et declarant. Dicuntur enim *at porcosanum at illum catabulum* vel *parcaranum,* verisimiliter deinceps pagus *Pernosano* (7); *at S.Erasmum,* nunc *S. Erasmo* vel *Santermo*; atque *at via Lauritana,* illa scilicet quae ad *Laurum* oppidum ducebat, *at via francisca* et *at via de monte,* quae verisimiliter ad pagum qui *Pedemontis,* eo quod ad radices Viscianorum collium situs, dicebatur, pergebat, tempore Ambrosii Leonis fere deletum (8). In *Saviana* memoratur etiam *fossato vetere publici* juxta viam quae nominabatur *de S.Iasone* (9). Ad septentrionem vero erat **Coemeterium** tunc Nolanorum episcoporum sedes, nunc *Cimitile,* et ultra pagus **Cutinianum,** nunc *Cutignano;* ubi loci *Koranum* et *Mila* (10), mihi penitus ignoti. Ibi memorantur **Ciccianum** seu **Circanum** et **Sassum** (11) nunc *Cicciano* et *Sasso.* Ibi quoque locus **Munianum** ubi terra *ad auriolum, at cepollari,* et *at casa* (12) nunc *Mugnano.* Ibi denique vel haud longe forsitan ponendi sunt loci *Carchanum* sive *Caschanum at illi muti* atque *at illi baronacci* et *Barcanum* ac *Mejana,* vel *Miiana,* ubi terrae *at casale* et *at griptulae,* de quibus locis verba faciunt illius aevi documenta (13), nec non casale *maternum* in monte positum, quod ab an. 703 usque ad saeculum XI ad monasterium Ss. Theodori et Sebastiani spectare videmus; et casale *urbanum* qui erat in monte et *at lamma* vocabatur iuxta positum. Documenta denique in territorio Nolano memorant locum *Forrianum* cum ecclesia S. Michaelis Archangeli, atque ecclesiam S. Paulinae virginis ad monasterium Ss. Severini et Sossii pertinentem (14).

(1) V. t. I, p. 78 et infra in *Inscriptionibus.*

(2) *Chron. monasterii S. Sophiae* ap. UGHELLI, t. X, p. .

(3) *Reg. Neap.* nn. 376, 465, 539, 540.

(4) TELESINI abb. *Chron.* L. III, c. 6.

(5) *Reg. Neap.* n. 465.

(6) *Ibid.* nn. 391, et 594.

(7) *Ibid.* n. 594. Cf. REMONDINI, *O. c.* t. I, p. 268.

(8) *Ibid.* n. 391, Cf. LEONIS *Ambr. De urbe Nola.* L. I, c. 6.

(9) *Ibid.* n. 594.

(10) *Ibid.* nn. 354, 388, et 165, 244.

(11) *Ibid.* nn. 129, 165, 177, 178, 277.

(12) *Ibid.* nn. 319, 331.

(13) *Ibid.* nn. 354, 388, et 277.

(14) *Ibid.* n. 594; R. N. A. M. t. VI, p. 75.

III. **Territorium Puteolanum** — Liburiae, quae ex locorum ordine heic ponenda esset, descriptione, ob eius speciales conditiones, ad extremum reiecta, nunc de Puteolano territorio, qui ad Neapolitanae urbis occidentem protenditur ac de insulis eidem adiacentibus verba faciam. Et primum quidem animadvertendum est praesentem eiusdem territorii statum ac adspectum aliquanto diversum esse ab illo, quem nedum Romanis imperantibus sed etiam Neapolitanis sub ducibus, regio ipsa habuit. Frequentes enim terrae motus et vulcanicae conflagrationes, a quibus toties vexata fuit, et praesertim annis 1196 et 1538, ita pluribus in locis soli faciem et litoris terminos mutaverunt, ut alibi novus mons, ubi olim planities, exsurgeret, alibi terra aliquandiu a maris fluctibus obrueretur, vel aliquandiu magis in mare protenderetur. Id vero praecipue in causa fuit cur aliquorum locorum sive a graecis latinisque scriptoribus, sive in nostris documentis memoratorum situs, quamvis haud levi diligentia expetitus, aliquando praefiniri non possit. Ceterum, quae de ipsa regione per haec tempora in monumentis habeo, haec sunt.

Primus, qui post Pausilypum locus ad mare in territorio Puteolano tunc memoratur, est **Gipeum;** de quo in dipl. an. 1129 supra relato est mentio. Ipsum ex situ et ex aliis quibusdam rationibus ego in insula Neside recognoscendum esse conieci, nunc vero ad illam coniecturam meam firmandam aliud argumentum addo ex quadam charta, in quam scripturas monasterii S. Sebastiani evolvens nuper offendi (1). Ibi abbas monasterii S. Archangeli de insula *Gipei* commutat et tradit abbati monasterii S. Salvatoris in insula maris integram terram, quae vocabatur *pappa porco* in territorio Bajae.

Contra Nesim insulam in continenti, ubi olim via *Antiniana* ad mare versus Puteolim detorquebat, extat **Olibanus** mons, de quo verisimiliter agitur in doc. an. 1087. Ibi memorantur terrae in loco *Burgaursi* territorio puteolano, cum *scapulis* et *montes* seu *planum* iuxta *campum de libanum* (2).

Hinc dextrorsum ad pendices montium, qui a veteribus Leucogaei vocabantur, per haec tempora forsitan erant *S. Germani Sudatoria* seu thermae *Anguianae* vel *Angulanae,* ac si diplomati a. 1054 fides habenda, amnis (ita enim eum vocant qui lacus dicendus esset) *Anglane* (3), postea *Anglanum* (*Agnano*) a Iamsilla primum sine ulla dubitatione dictus (4).

Ultra nunc occurrit *Sulfataria* sive Vulcani forum, ubi, si vocum similitudo non me fallit, locus *Subfretarii,* in doc. an. 978 memoratus, in quo terrae *ad Atranum*, recognosci potest (5).

Ad occidentem supra mare sequebatur castrum **Puteoli**, olim celeberrimum Romanorum emporium. De eo nihil per haec tempora a chronologis nostris proditum; verum ex *Vita S. Severi* elicimus ipsum an. 1046 a Iohanne, Neapolis magistro militum et Campaniae duce, obsessum fuisse; at qua ratione id evenerit et quis obsidionis exitus fuerit omnino incompertum (6). Fortasse, ut olim suspicatus sum, tunc temporis castrum *Puteoli* adhuc in Langobardi cuiusdam comitis dominatione erat iam inde ab an. 1028, quo Neapolitanus ducatus a Pandulfo IV principe Capuae invasus fuit, unde Iohannes dux hoc anno 1046 ipsum castrum expugnare nisus est, etsi frustra, cum in doc. an. 1075 Adenulfus, qui ex nomine Langobardum se prodit, ibi comes inveniatur. Ceterum utcumque sit, id saltem pro certo habendum est comitem ipsum, quamvis Langobardus fuerit, ducum Neapolitanorum et imperatorum Byzantinorum principatum

(1) Documentum ad a. 2 imp. Constantini (Monomachi vel Ducae? i. e. a. 1043 vel 1061?) pertinet, et est summatum in *Scritture del monastero di S. Sebastiano*, vol. 24, fol. 361.

(2) *Regest. Neap.* n. 541.

(3) V. dipl. Comitis Francorum Riccardi monasterio S.Laurentii datum, in quo memoratur ecclesia sive monasterium S. Archangeli Terraczani in *partibus Neapoli foras cripta situm in monte, qui est desuper amne qui vocatur Anglane.* R.N.A.M, t.V, p.8.

(4) Iamsilla in R. I, S. t. VII, p. 504 Cf. Martuscelli et Moltedo, *Sul lago di Agnano*.1870 et 1871.

(5) *Regest. Neap.* n. 216.

(6) V. t. I, p. 275.

agnovisse, ut ex eodem doc. an. 1075 et alio an. 1126, in quibus notae chronologicae ipsorum imperatorum apponuntur, (1) argui potest.

In ipso castro **Puteoli**, quod aliquando vocatur *caberium*, cujus vocis significationem non assequor (2), memorantur ecclesia S. Proculi, quae saec.XI erat episcopium, et ecclesia S.Petri, quae erat iuris monasterii S. Sebastiani et iuxta ipsum episcopium posita, platea *at S. Celsum* et alia quae vocabatur *curtense*, atque in vicinia casale seu locus *Lauritum*, campus *serrana* seu *sessana*, loci *campellono* et *ad arcum borrana* et terrae *ad argentarium*, *villa rustica*, *at vitica*, *at agellum*, *at senauba*, *at mollentiana*, et *at cinacclum at cavallara* iuxta viam publicam *quae fuit silice* (3).

Super castrum vero ad boream erat locus **Campana,** ubi *silice* publica, scilicet via vetus strato silice, quae Capuam docebat, unde nomen quod adhuc superest, et terrae *at silice*, *at aviana*, *sambucara*, *at illis arboribus* et iuxta viam mons monasterii S. Sebastiani qui *salit*, *at Campilione* (4). Nunc etiam inter montes *Corbarae* et *Barbaro*, olim Gaurus, quidam locus extat qui *Campiglione* vocatur.

Ad occidentem castri tunc temporis erat locus **trispida,** ubi ecclesia S. Nicolai **at triperule**, unde postea pagus *tripergule*, ibi terrae *at corrigia* de S. Thedoro et *at caballara* (5). Omnia nunc ex *Montis novi* eruptione vel omnino mutata vel destructa.

Ultra per viam campanam procedendo ad planitiem **Quarti** devenimus, quae tunc **Quarto maiore** vocabatur. Ibi memorantur terrae et campi *ad illa balnearia*, *cicanellum*, *catitianum*, *casa arsita*, *campus baccuni* ac *gualdum* Neapolitani episcopii et ecclesia S. Mariae *ad scandola* (6), nunc *Madonna di Quarto*. Ibi etiam memoratur in vertice montis *Burii* castrum *de Serra* cum ecclesia S. Nicolai, via *silice*, quae ascendebat ad ipsum castrum, et via publica quae veniebat a *Campana* in *Quartum* (7).

In eo dominationem anno 1119 habebat Robertus Capuae princeps. Verisimiliter castrum hoc deinceps *Belvedere* dictum fuit, qua appellatione usque ad nostra tempora extitit.

Iuxta *Quartum* erat **Gualdum** Neapolis, in quo documenta memorant campum *ad palmula* et *de illi ciriari* et *ad canne*, petiam terrae vocatam *ad ciurbina*, et locum *patruschanum* et *gualdum de illi pecorarii* (8).

Hinc haud longe ad occidentem erat **Cumanum** castrum munitissimum nec ad expugnandum facile. Ex nostris chronologis scimus ipsum a. 717 a Romualdo II Beneventanorum duce occupatum, sed non multo post a Iohanne Neapolis magistro militum reciperatum fuisse, 300 circiter Langobardis inibi necatis, Gregorio V papa auxilium et pecuniam praebente (9).

Subsequentibus temporibus ibi comites invenimus (praeter alios quorum nomina temporis vetustas obliteravit) Sergium scil. (I), qui deinceps Neapolis dux electus fuit, et Marinum a. 1044 filium Sergii ducis postmodum monachi. Habemus etiam episcopos a primis temporibus ibi con-

(1) *Regest. Neap.* n. 521, 632.

(2) *Ibid.* n. 381.

(3) *Ibid.* nn. 381, 406, 441, 521, 525; *Catasto di S. Pietro a Castello*, nn. 237, 301.

(4) *Ibid.* nn. 91, 130, 293, 406, 425.

(5) *Ibid.* n. 375. Ecclesia S. Nicolai erat obedientia S. Salvatoris in insula maris. *Catasto di S. Pietro a Castello*, n. 236. Cf. LOFFREDO, *Antichità di Pozzuolo*, c. 15.

(6) *Ibid.* nn. 58, 123, 131, 143, 154, 159, 163, 351 De ecclesia S. Mariae *ad Scandola* vide sis inscriptionem anni 1245 a Tutinio in suis Mss. relatam, et nuper editam a Cantèra, *Memorie storiche della chiesa Puteolana* p. 15.

(7) Cf. diploma Roberti Capuae principis a. 1119 datum ap. UGHELLI, *It. sacr.* t. VII, p. 176.— Nusquam alibi hujus castri Serrae notitiam ego inveni, verum, uti SCOTTI (*Dissert. corografica-istorica di Miseno e Cuma* p. 133) testatur, fauces montis, qui nunc *montagna spaccata* dicitur, adhuc *vado di serra* appellantur, et verisimiliter ab ipso castro nomen habuerunt.

(8) *Regest. Neap.* nn. 172, 305, 369, 461, 468, 506.

(9) V. t. I, p. 43.

stitutos et cathedralem basilicam S. Maximo martyri dicatam. Memorantur etiam in ipso castro ecclesiae S. Laurentii, S. Simeonis, et S. Canionis, atque in agro eiusdem terra quae vocabatur *pede de Icola* et locus ubi dicebatur ad *S. Helenam* (1).

Sequebatur inde **Bajarum** litus sive Bayense, ubi erant thermae, ad quas *pro fovendis corporibus* plurimi accurrere solebant (2) et ecclesia S. Petri *ad pertusum*, quam saec. XII Gulielmus de Petrolio (3) cum pluribus terris monasterio S. Mariae *ad cappellam* dono dedit (4). Locus nunc *torre di gaveta* dicitur.

Misenum castrum vel oppidum, in quo primis medii aevi temporibus et comes et episcopus invenitur post annum 845, cum a Saracenis eversum fuisset, habitatoribus fere destitutum remansit; unde de eo, si unam ecclesiam cathedralem divo Sossio martyri dicatam, quae in *Actis trans.* eiusdem (5) memoratur, excipias, nulla in nostris documentis occurrit mentio. At ad litus ipsum forsitan ab hostium incursionibus custodiendum deinceps sive in monte, qui a veteri castro nomen olim habuit, nunc *monte di Procida*, sive potius in parva insula, quae ipsi adiacet, quoddam castrum **S. Martini** dictum, cum ecclesia et paucis mapalibus extructum fuit

(1) *Regest. Neap.* nn. 425, 480; *Catasto di S. Pietro a Castello*, n. 239 et n. 198.

(2) *Acta transl. S. Sossii*, n. 29. V. t. I, p. 305.

(3) Cf. Chioccarelli, *O. c.* p. 131, ubi cognomen Gulielmi est: *de Prioldo*. In diplomatibus Riccardi et Roberti principum Capuae a. 1097 et 1106 occurrit inter testes *Guillelmus de Pirolo*. R. N. A. M. t. V. p. 225 et 305. An in doc. quod infra dabo, ita legendum?

(4) *Reg. Neap.* n. 66. Situm hujus ecclesiae mihi olim ignotum, deinceps a Scotti, *O. c.* p. 40 didici: *Il luogo di S. Pietro* ad pertusum, ibi dicitur, *è senza contrasto quello che al presente dicesi* la Gaveta *ed anche* pertugio della gaveta. Heic autem pro re nata documentum ad eandem ecclesiam pertinens referre juvat, quod est hujusmodi:

« In an. dom. incarnationis MCXXXIIII ind. XII et sexto anno principatus d. n. secundi Roberti filii secundi Jordanis gloriosissimi principis Capuae et Comitis Avers e. Ego Gulielmus de Petrolio filius q. Alexandri eiusdem cognominis, qui sum unus ex baronibus civ. Averse previdens utilitati anime mee et parentor. meorum per ammonitionem, quam ante recipi, d. Petri vener. abbatis monasterii S. Dei genitricis semperque virginis Marie quod ad Cappella dicitur et est sita foris civitatis Neap. proposui in animo meo habere partem cum justis; qua de causa pro amore Dei *etc.* et pro redemptione anime mee *etc.* concedo et confirmo vobis et suprascripto monasterio vestro S. Marie ad Cappellam, id est integras ecclesias, vocabulo S. Petri, que dicitur ad pertusum, regione bayense, que sita esse videtur in territorio castri nostri Cumarum cum omnibus *etc.* quomodo in superscripto vestro monasterio obtulit per firmissimam concessionem suam d. Johannes bone memorie Consul dux atque magister militum insimul cum domino Sergio ven. Neap. archiepiscopo; ideoque concedo omnes terras *etc.* quae ipsa ecclesia in jam dicta regione bayense habet et possidet per terminos *etc.* hos habet fines: a parte orientis est finis via publica que dicitur de mercatibus piscium et ab inde vadit revolvendo in parte septentrionis ad unam columnam marmoream, que est terminus inter praedictam terram dicte ecclesie S. Petri et S. Soxii et que vadit etc. et ab inde *etc.* et ab inde qualiter vadit usque ad murum anticum, ubi tres cripte iuris dicte ecclesie vestre esse videntur et exinde qualiter vadit ad comidam? antiquam cum fusario veteri et a scripta comida usque ad alium columnellum *etc.* et fossatum vetus exfinat et a parte meridie est terra S. Iohannis majoris *etc.* et ab inde est via de mercato que pergit ad mare mortuum et terra monasterii S. Marie que dicitur ad Positanum.... concedo ut licentiam abeatis omnes bestias vestras pascere in suprascripta regione bagiense sive in monte Miseno et in toto tenimento suprascripti castri *etc.* Signum crucis manus predicti Guilielmi de Pirolio. Signum crucis manus domini Iohannis ven. Cumani episcopi—Roberti Politerico? — Berti Raymi filii q. Rogerii — Philippi de Surrento — Riccardi filii Draconis — Gulielmus cler. et notar. permanens in Aversana civ. mense iulio rogatus. a predicto *etc.* manu prop. subscripsi. — Ex apographo in *Processu* n. 6284 f. 236 inter *Processus R. Camerae Summariae* in Neapolitano archivo.

(4) *Acta trans. S. Sossii* n. 24. Cf. t. I, p. 303.

ut ex diplomate a. 1129 supra relato erui possumus. Nomen, monti etiam olim inditum, nunc ipse scopulus adhuc servat. (1)

Contra *Messani* sive *Misenatis* territorii notitiam pluries in ipsis docc. habemus. Ibi enim memorantur *mons Misenae, mons Marinus,* ubi monasterium S. Salvatoris de *monte marino* sive monasterium *Marinum* (2), iuris S. Salvatoris in insula maris et locus *Bacula,* nomen a veteri *Bauli* corruptum, ubi tunc idem monasterium et sequentibus temporibus monasterium Ss. Petri et Sebastiani in ipsius iura successum, amplas terrarum possessiones obtinuit. (3) Ibi etiam plura habuit Neapolitana Ecclesia iuxta montem, qui dicebatur *Grillus,* nunc *monte rillo,* atque etiam monasterium S. Mariae *ad cappellam.* (4) In ipsis etiam docc. habetur notitia *maris mortui* (5), loci *forum de die sabbati* dicti, nunc *mercato di sabato,* (6) et loci *pennata,* nunc *punta dei pennati o pennata* (7).

Ad meridiem promontorii Misenensis exstat insula **Prochita**, ubi ecclesiam S. Angeli tantum nostra documenta memorant, (8) et ultra *Prochitam* **Insula maior** sive **Iscla** apud graecos et

(1) Cf. Scotti *O. c.* p. 65, et supra, p. 159.

(2) Mons *Misenus*, et mons *Marinus* cum monasterio S. Salvatoris in monte Marino memorantur in cit. instr. cujus summarium extat in *Scritture del monasterio di S. Sebastiano* vol. XXIV. p.361. Ut autem horum locorum situs aptius cognoscatur, juvat heic transcribere summarium alterius instrumenti a.1334, quod est hujusmodi: «Instrumentum unum notariscum scriptum continens quomodo Priorissa et conventus dicti Monasterii exposuerunt in Curia Vicarie Regni, quod cum ipse habuerint, tenuerint et possederint, et nunc etiam habeant, teneant ac possideant iuste et rationabiliter per se et alios earum nomine tenentes et possidentes quasdam terras eorum contiguas sitas in pertinentiis Putheoli, in loco qui dicitur Baja, quorum fines hii sunt, ab una parte est Arcus Bacule. cum omnibus aliis terris eiusdem Monasterii, ab alia parte est Mons Misene, ab alia parte sunt terre Episcopatus Civitatis Neapolis, ab alia parte est Monasterium Marinum, quod est eiusdem Monasterii, ab alia parte est ripa maris includendo podium, sicut protenditur ab introitu maris mortui, usque ad Arcum Bacule, et ultra per quatuor balistratas, ab alia parte est mare mortuum pro medietate usque ad tertiam arborem terrarum dicti Episcopatus, et si qui alii predictarum terrarum sunt confines, certi homines de Neapoli et de Putheolo turbabant et multipliciter inquietabant, et proinde factum fuit, Conservatorium in Curia Vicarie, et mandatum fuit eis, quod ad penam unciarum auri 25 non turbarent nec deberent turbare indebite dictum Monasterium de possessione dicti Monasterii. Quod instrumentum factum est in anno domini 1334 Regnante Rege Roberto » *Catasto di S. Pietro a Castello* n. CCCLXXIII.

(3) Rogerius Pappansugna in inventario bonorum monasterii S. Petri ad castellum a. 1523 facto cujus autographum in bibliotheca *Societatis hist. Neap.* nunc adservatur, adnotat *in Bayis ecclesiam unam quae dicitur ecclesia S. Marini cum duabus starciis iuxta mare et iuxta terras archiepiscopatus Neapolitani et sunt modii 300.* In hoc monasterii Ss. Petri et Sebastiani latifundio visebantur plurima veterum aedificiorum rudera, et praesertim quae vulgo *Piscina mirabile* et *cento camerelle* vocantur. Ea ipsius monasterii abbatissae ipsum sibi semper reservabant, cum saec. XVI et XVII terras ibi positas in emphyteusim dabant. *I censuarii*, ibi stipulabatur, *non habbino azione alla piscina mirabile e cento camerelle et altre antichità, quali restano a beneficio del detto monastero, acciò in quelle si possa andare a vedere ogni sorta di persone che a detto monastero parerà e piacerà. Scritture cit.* vol. XXIII f. 103; XXIV f. 693 etc.

(4) Terra *montis grilli* ad Neap. Ecclesiam pertinens memoratur in *Regesto* imp. Friderici ad a. 1239. Huillard-Bréholles, *Hist. dipl. Frid.* II, t. V p. 969. In pertinentiis Bayarum loco dicto *Monterillo. Scritture* cit. t. XXIV, f. 519.

(5) R. N. A. M. t. VI, p. 240. Documentum ad monasterium S. Laurentii de Aversa pertinens nullam habet notam chronologicam, sed ex contextu recte ad regis Rogerii tempora adsignari potest.

(6) *Ibid.* t. V, p. 117.

(7) Instr. tempore Constantini imp. factum, quo Nicolaus subdiaconus et Leo germani filii q. d. Sergii Greci imperialis .... hoc est dispensatores monasterii Ss. Clerici et Iacobacii vendunt et tradunt d. Iohanni ven. abbati monasterii S. Salvatoris in insula maris omnes terras cultas et incultas in territorio Messano et nomen Pennato. *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 234.

(8) *Reg. Neap.* n. 408.

romanos *Aenaria* sive *Inarime*. In ea exstabant, praeter episcopatum S. sedis ipsius insulae, monasterium S. Mariae in monte, qui dicebatur *cementaria*, ubi a. 1036 Marinus comes eiusdem insulae, et Theodora *regalissima* comitissa eius coniux effigies b. Virginis Mariae, S. Benedicti, S. Restitutae et sanctae Iannae pingere fecerant, monasterium S. Constantii vel S. Constantini iuris monasterii S. Salvatoris, et monasterium S. Angeli *alloquio;* praeterea casale et mons *at bicum*, in quo oratorium S. Restitutae, terrae *at calquie*, mons *at bicum et lamma*, casale dictum *cala et sala* atque casale *at simplignana*. (1) Exstabat etiam in ipsa insula castrum **Gironis**, cuius quoque comitem saeculo XIII invenio (2).

4. **Territorium Liburianum** sive **Liburia**, quae et **Liguria** — Restat nunc ut de Liburia verba faciam, in cujus situ, finibus, atque conditionibus describendis ac determinandis neque certa, neque constans est patriorum scriptorum opinio. De ea primus ex proposito satis ample disseruit Franciscus Maria Pratillius (3); qui duas hac appellatione regiones notatas excogitavit, alteram scil. peculiarem Neapolitanorum cis Clanium, quam *ducalem*, sive a partibus militiae, alteram trans Clanium Langobardorum, quam *langobardicam* sive a partibus Langobardorum cognominatam fuisse putavit (4). Post Pratillium Carolus Franchi et alii, qui occasione diuturnae acerrimaeque inter Neapolitanos atque Aversanos litis decertantes, de utriusque urbis territorio disputarunt, omnes ejusdem sententiam aut plene aut ex parte secuti sunt (5). Quin etiam Carolus Magliola, qui casalium Aversanae urbis iura tuebatur, magis causae quam historicae veritati consulens, Liburiam sive unam sive duplicem, totam Langobardis adtribuit et Neapolitanis vix pomoerium urbis reliquit (6); quod quam absurdum quidem sit nemo non videt. Subsequentes denique scriptores, qui de hac re egerunt, vel unam vel alteram sententiam amplexati sunt; nihil vero novi, quamvis non paucis novis documentis dudum locupletati fuerint, in medium afferunt (7).

Argumentum igitur tum antiquorum monumentorum defectu vel obscuritate, tum recentiorum scriptorum discrepantia haud sane facile et multis dubitationibus obvolutum, ego iterum ad trutinam revoco, et solo veritatis studio, quantum possum, explico.

Et primo unam, non duplicem esse Liburiam contendo, cujus fines erant a septentrione Clanius fluvius sive Laneum, nunc *i lagni*, et aliquanto ulterius etiam mons Cancelli supra Suessulam, ab ortu ipsius Lanei scatebrae et ager Nolanus, ab occidente tyrrhenum mare, et a meridie, ubi fines aliquando incerti, ager Neapolitanus et Cumanus sive potius *fossatum pubblicum* (8) quod

(1) *Ibid.* n. 458.

(2) *Ibid.* et supra p. 159. *Catasto* cit. n.280.

(3) PEREGRINIUS-PRATILLI, *Hist.princ.Lang.* t. III, p. 242 et ss.

(4) *Ibid.* p. 247.

(5) FRANCHI, *Dissert. sull' origine sito e territorio di Napoli* 1754, et magis ample in *Dissertazione istorico-legale sull' antichità sito ad ampiezza della nostra Liburia ducale* 1756, atque iterum: *Brieve ristretto di ragioni per la città di Napoli contro Aversa* 1757. Alios, qui post Franchium de hac re scripserunt, cum nullum novum sive documeutum sive argumentum in quaestione proferant, ego, praeter Magliola, de quo infra, libenter missos facio.

(6) MAGLIOLA, *Difesa della terra di S. Arpino e di altri casali di Atella*, Nap. 1755 et *Continuazione della Difesa*, Nap. 1757. V. in cit. *Continuazione* etc. p. 62, 65, 153.

(7) Ut alios praeteream, R. N. A. monumentorum editores memoro, qui in adnotationibus ad t. V n. 2 Magliolae sententiam ambabus ulnis exceperunt.

(8) Id eruitur ex diplomate a. 1009, quo Robertus I Capuae princeps ac Aversae comes concedit cuidam militi privilegium *tinctae* in urbe et territorio Aversae exercendae, et sic eiusdem territorii fines describit: *infra hos terminos scil. sicuti vadit a laneo Acerrano et usque Patriam et a fossato Neapolis et usque aquam lanei, que decurrit infra Capuanam civitatem nostram et memoratam Aversanam urbem*. RINALDI, *Mem. stor. di Cap.* t. II, p. 226. Hic vero nesciens acceptionem, quam tunc temporis vox *fossatum* apud nostrates habebat, atque situm, ubi ipsa *fossata* exstabant, agrum Aversanum, usque ad fossas, quae muros Neapolis cingebant, extendit.

erat apud Grumum et Casandrinum, apud Melitum, Panequoquli, et Quartum (1). Nominis origo satis explorata. A campis, quos Romani Leborios, Phlegraeos Graeci vocaverunt, et qui in *Quarti* planicie ab eruditis viris recogniti fuerunt, regionis appellatio desumpta, atque inde ad conterminos agros ac ad fines usque superius descriptos explicata (2).

At praeter hanc Pratillius aliam quoque Liburiam ultra Clanium proposuit, quae inter istum et Vulturnum fluvium statuit, et aliquando etiam usque Nuceriam versus ortum, atque ultra Vesuvium usque ad mare versus meridiem prolatavit. Postquam enim de *ducali* Liburia, quae a Puteolis, Cumis, Literno cis Clanium amnem Atellam usque protendebatur, verba fecisset, subjungit. « Inde (quod quidem haud proprie) per Acerrani Nolanique agri terminos occiduasque Vesevi montis radices ad tyrrhenum mare Leucopetram usque (ubi nunc villa *Portici* vocata) se latius explicabat: licet sequiori aevo Nuceriae et Sarni urbium, quae Neap. parebant ducibus peculiaris ager, antequam a Langob. occuparentur, etiam abusive Liburia appellitabatur, ut in charta quadam donationis sub Guaiferio I Salerni principe an. 869, in qua *Massa* quaedam *de Formata* (forte *Scafati*, ut alibi notatum) *Leburia pertinente in fines Nucerie* designatur, quod item in alia an. 899 observatur, et utraque charta in Cavensis monasterii tabulario prostat. At quum a Bono Neap. duce Acerra e Langobardorum jugo erepta fuerit, Suessula item, atque Abellani castri Nolaeque urbis vicinia, et Cancelli (quorum agris Langobardi primitus Liburiae nomen tribuerunt) ipsi Ducalem Liburiam protenderunt ad Caudinas pene Furculas occasum spectantes, quae loca cum diu neutiquam ipsi retinere possent, Langobardi paulo post illuc irruentibus, Liburiae ibidem nomen retentum est ».

Deinceps novis inter Neapolitanos et Langobardos, pro suis quosque finibus decertantes, bellis obortis, haec regio Leburina saec. X « vel, ut ipse inquit, a Neapolitanis subigebatur ipsique eam ducali Liburiae adjungebant, vel ipsam Langobardi vindicabant, et, ut suam Liburiam ad aemulationem protenderent, eodem quo illi, nomine vocitabant . . . . sicque regionem hanc trans Clanianam et cis Vulturnensem parum a Capua nova urbe extenderunt. » Ut autem hanc suam sententiam firmaret, quorumdam locorum mentionem facit « quae revera adhuc intra Vulturni et Clanii cursus exstant et cum adjuncto in Liburia cognominantur in veteribus chartis ». Praeterea quaedam Pandulfi IV. Capuae principis verba in charta pro bonorum ad Capuanam ecclesiam pertinentium confirmatione anno 1039 data affert: ubi memorantur terrae, curtes etc. *in Atelle finibus et in Acerre et Cancellis et in finibus Calactu et Sessulu; nec non in Calbu et Calinulu. . . . .* et *gualdora cum pascuis suis Bolturnu et Arnoni, in Graczanisu, in Ferrajanu, in ponte veteri in Staffilu . . . . . que sunt omnes pertinentes nostre Leboree.* (3) Haec ille.

At, quae de ista nova Liburia Pratillius asserit, omnia vel haud probata, vel minus recta, vel omnino falsa sunt. Et primo neque territorium, quod inter Neapolim Vesuviumque extenditur unquam ad Liburiam pertinuit, neque quaecumque vel minima agri Nucerini pars ad eamdem regionem fuit unquam adtributa; territorium enim illud *plagiense,* uti supra monuimus, sive *foris fluvium* dicebatur, atque verba: *Leburie pertinente fines Nucerie,* quae ipse e chartis archivi Cavensis ad aa. 869 et 899 pertinentibus affert, e suo quidem ingenio protulisse dicendum est, cum neque ea verba in *Cod. dipl. Cav.*, ubi omnes illius aevi chartae typis datae fuerunt, minime reperiantur, et e contra in quodam doc. a. 868, ibidem relato, inter *pueros* ecclesiae S. Maximi in urbe Salerni positae a principe Guaiferio oblatos, *Asprandus subdiaconus de Liburie* et *Arripertus clericus de Liburie,* scil. de partibus Liburiae, tantummodo habeantur. (4)

(1) *Chartar. S. Blasii* n. 40, ubi 1132 *in territorio villae Casandrini et Grumi* memoratur *locus qui dicitur fossa de lu fossato Neapolis;* et *Regest. Neap.* nn. 143, 404, 680.

(2) Sanfelice, *De orig. et situ Campaniae* p. 7; Pellegrino, *Campania*, disc. II c. 19; Pratilli *l.c.*

(3) Pratilli, *O. c.* p. 247, 248, 258, 259.

(4) *Cod. dipl. Cavensis* t. I, p. 79.

Quod autem ipse addit de locis trans Clanium, quae in Liburia posita in docc. dicuntur, id ego penitus abnuo; quoniam ad opinionem suam firmandam aut nullum documentum profert, aut si profert, de eo haud temere est dubitandum, tum ex hominis indole, qui tot monumenta falsa et supposititia vel saltem interpolata in historiam Neapolitanam invexit, tum ex plurimorum, quae in lucem post eum prodita sunt, documentorum collatione, ubi nunquam aliquis trans Clanium vicus in Liburia collocatus legitur. Neque aliter dicendum est de chartis an. 904 et 982, quibus vel comites Vulturnenses qui et Patrienses occurrunt, vel episcopio Capuano *cellam S. Nazarii in partibus nostre Liburie seu Patriense comitatu* concedunt. Nam, praeter quam quod doc. a. 982 notas chronologicas, uti Di Meo adnotavit, (1) erratas habet, qui in eo comites Patrienses et Vulturnenses dicuntur, iidem ipsi paucis post annis in alio instrum. a. scil. 988, nullo alio nisi comitis Vulturnensis titulo decorantur, quod jam a Mastrominico observatum fuit. (2) Alias insuper de ipso dubitationis causas habeo, quas, ne longus sim, praetereo. Nescio autem quomodo charta a. 904 ubi mentio *Gaideri Gastaldei Bulturnensis et Legurie* ad monasterium S. Laurentii Aversae spectare potuisset, cum ipsum nedum Aversae sed nec Capuae adhuc fundatum eo anno fuerit, neque aliunde eo invecta suspicari poterit, cum in Chartario ejusdem monasterii, cuius exemplar saec. XVII transcriptum ego habeo, non inveniatur; quod etiam de charta a. 1050 (*Ibid.* p. 260) ad idem monasterium pertinens, ubi Arnonu, Traconaldu, et castrum de Bulturno memorantur, observari potest. Denique de diplomatis a. 1039. a Pandulfo IV Capuae principe Ecclesiae Capuanae dati fide, cuius nullam aliam notam chronologicam, nisi annum, Pratillius profert, recte dubitari licet. Pandulfus enim jam a mense majo a. 1038 a Capua ob Conradi II imp. adventum aufugerat, et a mense augusto eiusdem anni Guaimarius Salerni princeps ab ipso Conrado in principatum Capuanum suffectus fuerat. Quomodo igitur Pandulfus a. 1039, qui de se magis quam de Capuana ecclesia sollicitus esse debuerat, et ibi nullam tunc dominationem habebat, diploma a Pratillio allatum dare poterat?

Una igitur Liburia cis Clanium sic contra Pratillii opinionem statuta, nunc ad alteram Magliolae contrariam sententiam expendendam, qua Liburia integre Langobardis tribuitur devenio. Et primo animadvertendum esse censeo Liburiae sive Liguriae nomen regioni, de qua agimus, datum, circa a. 780 in scriptoribus et documentis audiri inceptum. Tunc primum occurrit in Pacto Arechis Beneventi Principis cum Neapolitanis icto et qui dicitur *communis inter partes*. Quae vero hae partes fuerint, supra in notis ad ipsum Pactum aperui, scilicet ipsas tum rempublicam, tum privatam personam significare. At quomodo eadem communitas evenerit, et quomodo se explicaverit incertum est (3). Fortasse cum propter Langobardorum contra Neapolim incursiones, quas monumenta ad a. 581, 592-602 vel 645 memorant, territorium Liburianum, non secus ac Nolanum, a Langobardis ex parte nunc pervasum, nunc a Neapolitanis ex parte item redemptum saepe fuisset, aliquando visum est utrisque, ut ad quemdam vivendi modum devenirent, et sic fundos et terras, servos, et ancillas, atque praesertim tertiatores inibi degentes vel agrum laborantes, quos vel quas unaquaeque pars sibi vindicaverat, ambo inter se ex quadam conventione dividerent, ita ut territorium ambobus commune fieret. Sed cum nec certi agrorum fines, nec stabiles communionis modi statuti fuissent, post novos aliorum bellorum eventus, in quibus maior terrarum vis Langobardis cessit, saec. VIII Arechis Beneventi princeps, foedere cum Neapolitanis inito, quamdam

(1) Di Meo, *Annali* ad a. 982 n. 10.

(2) Mastrominico, *Ricerche stor. crit. sull' antico vico Fenicolense*, Nap. 1862, p. 60 — Doc. a. 988 habetur in *Chron. Vult.* ap. R.I.S. t. I, p. 2. p. 468.

(3) Supra in hujus dissertationis initio (p. 161) privatum dominium Langobardorum et Neapolitanorum in Liburia, ubi communitas, cum publico et supremo minus recte permiscui. Quapropter, errore animadverso, heic lectorem rogo ut pro *ex pacto communis fuit*, ibi: *disputata et divisa fuit*, reponere velit.

agrorum partem a suis possessam iis concessit atque in limitibus legitime adsignavit; quod Erchempertus illis verbis satis incertis et obscuris, in quibus *diaria Neapolitanis sancita dispensatione* concessa dicit, forsitan significari voluit. Deinceps idem Arechis consuetudines, quas inter utrumque populum ex occasione introductas ac per longos annos in mutuis negotiis observatas invenit, pacto cum Neapolis duce statuto, quod *consuetudo Liburiae* dictum fuit, rite firmavit. Deinceps an. 900 et 933 pactum ipsum, paucis permutatis vel additis, renovatum exstitit.

Ex his igitur, nì fallor, erui potest hanc Liburiae communionem minime supremum eiusdem regionis dominatum, sed agrorum et hominum servilis vel quasi servilis conditionis possessionem sive proprietatem respicere. Id et pacta super memorata satis aperte ostendunt et ratio ipsa expedit: nam absurdum certo est duos et diversae ac inimicae quidem gentis principes summa atque pari auctoritate praeditos in eadem regione ex aequo imperasse. Quapropter, si peculiarem, quae in suos agros, servos ac tertiatores unaquaeque pars habebat, iurisdictionem excipias, urbes et loca non minus ac liberi homines, cum inter utrumque populum pax haberetur, sub Neapolitanorum Ducum imperio fuisse dicendum est. Supervenientibus vero novis inimicitiis, quod frequenter accidere solebat, Liburia, quae praecipue contentionum causa ac praeliorum sedes utique erat, maxima ex parte, uti belli fortuna ferebat, nunc in Langobardorum, nunc in Neapolitanorum dominium veniebat. Hac ratione, quae ex monumentis saec. IX habemus et praecipue Erchemperti dicta, quae Magliola parti suae studens minus recte interpretatus est, ego explico et compono. Exempla ex ipso chronologo ad verbum transcribere iuvat. An. 881 Pandonulfus, uti ille tradit, tunc Comes Capuae, qui cum Athanasio episcopo et duce Neapolitanorum sociatus erat, generaliter motionem faciens cum suis Neopolitis et Saracenis super colossum (i. e. amphiteatrum capuanum), quo filii Landonis, patrueles sui, degebant, insedit, atque illis in amphitheatro circumseptis pacem concessit, accipiens ab eis Liburiam cum sacramento (Erch. c. 44). Paulo post an. scil. 884 Athanasius, qui post quam callide cum Capuanis pace facta eos ad vindemiam occupatos ex improviso adortus fuisset una cum theatralibus viris, depraedavit totam Capuam et ab illo tempore omnia circumquaque devastans Liburiam vindicabat sibi (Erch. c. 56). Eodem an. 884 Guido Guidonis filius, qui super Saracenos ad Garilianum castrametatos veniebat, Capuam appropinquans et ultra transvadens ad pontem Theodemundi castrametatus resedit et ablato ex Liburia frumento aliisque victualibus, Capuanos refocillavit. (Erch. c. 58) Deinceps Athenulfus, cum castaldatum Capuanum singulariter suscepisset et se comitem appellari iussisset, filium suum Athanasio obsidem direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, (forsitan quia ad capessendum imperium ab eo adiutus) atque Liburiam et Capuam sub iureiurando illi concessit. (Erch. c. 65) Post haec Athanasius in tantam elationem prorupit ut etiam Beneventi fines praedari faceret, unde Aio (Princeps Beneventi) super Neopolites, qui Capuam obsidebant, adventare studens, et, cum eos illic non invenisset, Liburiam ingressus cum Athenulfo, ea exusta et depraedata, amphitheatrum etiam expugnavit; unde moti Materenses (Saraceni) et aliquot Capuani Liguriam circumeuntes, Suessulam depraedarunt, sed ab Athanasio juxta rivulum lanei devicti fuerunt. (Erch. c. 72) Tunc Athenulfus contra Athanasium apud Atellam praelium expediturus venit, at, Neapolitanis ibi non inventis, reversus est ad sua.

Haec vero omnia nullo quidem pacto Liburiam integre et continue his temporibus Langobardos dominatos fuisse, uti Magliola (1) contendit, probare possunt. Praeliorum siquidem inter utramque gentem vicissitudines atque alterna proinde nunc Langobardorum, nunc Neapolitanorum in ipsa regione potestas, tantummodo inde elicitur; quod reliquum Magliola asserit, id ipse ex suo arbitrio deprompsit. Quin immo si quid ex eis ad rem deduci potest, id tali sententiae certe contrarium est. Erchempertus enim pluries Liburiam a Capuanis funditus deprae-

(1) Cf. Magliola, *Continuaz.*, etc. p. 73 et ss.

datam et frumentum ex ea ablatum fuisse tradit; quod, si ad Langobardos tunc pertineret, minime ipsi id in ca certe fecissent. Alibi Erchempertus expresse dicit Athenulfum cum Atellae, quae procul dubio in Liburia erat, frustra Athanasium expectavisset, reversum esse ad sua. Atella igitur non erat in regione Athenulfo vel Langobardis subiecta. Nec me movent *dominicalia*, quae ad palatium pertinentia, Principes Beneventani in Liburia monasterio Casinensi concesserunt (1), haec enim erant vel iura specialis eorum camerae vel quae in fundis et terris vel in servis et tertiatoribus communibus pars Langobardorum habebat. Praeterea plura alia sunt argumenta quae eiusdem auctoris opinionem oppugnant, videlicet: 1.° Iudicia in controversiis sive inter Neapolitanos, sive etiam inter Langobardos et Neapolitanos de rebus vel hominibus in Liburia positis acta, quae apud hos fiebant. (2) 2.° Notae chronologicae impp. Byzantinorum in instrumento Suessulae i. e. in Liburia celebrato. (3) 3.° Et praecipue ipsa pacta inter Langobardos et Neapolitanos tum saec. VIII tum saec. X conventa; nulla enim causa fuisset cur haec pacta fierent, si Liburia integre ad Langobardos pertinuisset. (4)

Scio equidem aliquot instrumenta in terris Liburiae celebrata exstare, quae notas chronologicas principum Langobardorum praeseferunt scil. 1. instr. a. 820, actum in S. Elpidio, 2. instr. a. 977 actum Liguriae in plebe S. Donati, et 3. instr. a. 1048 actum in plebe S. Georgii. (5) At si ea accurate expenduntur, nullam validam oppositionem contra sententiam meam afferent. Anno enim 820 Sico princeps Beneventi Neapolim stricte obsidebat, ita ut Langobardi certe in Liburia et verisimiliter apud S. Elpidium residere potuissent, unde instrumentum Siconis nomine insignitum fuit. Alterum instrumentum a. 977, etsi in Liburia actum in plebe S. Donati dicatur, tamen re vera apud Capuam scriptum fuit, ut ex illis contextus verbis arguere licet. ubi quidam e contrahentibus dicuntur habitare *intra hanc Capuanam civitatem*. Tertium denique instr. a. 1048, quod ad pagum Luxanum in Liburia prope Aversam pertinet, nihil probat, tunc enim celebratum fuit cum Rainulfus Aversae comes, mortua uxore sua, quae Sergii IV ducis soror erat et novis cum nepte Pandulfi principis Capuae nuptiis initis, comitatus Aversanus i. e. illa Liburiae pars sub huius imperio cessit.

Ex hoc tempore Liburiae status quodammodo immutatus fuit. Nam primo Raynulfus, cui, praeter locum, ubi Aversa fuit condita, Sergius IV Neapolis dux plura etiam casalia in eius territorio exstantia concesserat, et inde Riccardus eius successor modis omnibus dominium eorum in Liburiam et in finitimam regionem prolatare studuerunt. Et quidem ubi Raynulfus veterem cum Sergio coniunctionem dirempsit atque in Pandulfi Capuae principis ditionem, uti iam innui, se redegit, tum satis verisimiliter Northmanni agrum Neapolitanum aliquando occupaverunt, cuius facti meminit quoddam instrumentum a. 1043 illis maledicens. (6) Postea tributo conlato, Neapolitani ipsum territorium in libertatem vindicarunt. (7) Deinde Riccardus I., ut plurimum, se Liguriae Comitem appellavit: ita ut vici et loci, quos in viciniis conquirebat vel occupabat, quamvis ad Liguriam minime spectarent, tamen quia sub ipsius dominio erant, amplificati tituli gratia, ad

(1) Leon. Ost. *O. c.* c. 60; Gattola, *Acc.* p. 58; Magliola, *Continuazione*, p. 77.

(2) Id passim videre est in documentis Neapolitanis et praesertim in docum. aa. 942, 960, 1028, etc. V. *Reg. Neap.* nn. 48, 114, 418, et alibi.

(3) *Reg. Neap.* n. 416.

(4) Pratillius (*Ibid.* p. 252) ex quodam instrum. a Sabatinio (*O. c.* t. V, p. 30) allato, quo memoratur fundus in *Ferrumano pittulo* positus et pertinens ad monasterium S. Michaelis arch. ad Bajanum *a partibus militiae et a partibus Langobardorum*, colligit non tantummodo citra (*Capuam respicit*) sed ultra Clanium flumen Liburia Langob. aliquandiu extendi, quum villa (vulgo *Casale*) *Ferrumani* (*Frignano minor*) satis ultra Clanii cursum sita sit. Quod quam falsum sit, ex se patet, pars enim Langobardorum non eorum dominium, sed proprietatem denotat.

(5) R. N. A. M. t. I, p. 8; II, 248; IV, 327.

(6) *Reg. Neap.* n. 478.

(7) Cf. t. I, p. 135.

Liguriam adtribuebantur. Sic de Grumo, Casandrino aliisque huiusmodi pagis, qui in aliquibus docc. in *Chartario* S. Blasii memorantur, dicendum est (1). Male igitur Magliola ex his et ex aliis docc. post a. 1048 celebratis hanc regionem ad principatum Capuanum pertinuisse contendit.

His praepositis, ad Liburiae sive territorii Liburiani descriptionem aggredior et ab ea, unde ipsa nomen accepit parte, initium sumo. Haec regio tunc temporis **Massa Patriensis** appellabatur et a Cumano Neapolitanoque agro inter viam campanam, quae a Puteolis Capuam ducebat, et mare usque ad **Clanium** sese protendebat. Locorum pagorumque, quibus undique tunc referta erat et quorum plurimi deinceps interiere, notitiam e documentis elicio et sigillatim recenseo.

Et primum notanda est **Casa Gentiana**, in ipsis campis Leboriis, vel saltem in finitimis posita, ubi monasterium Casinense ecclesiam sive cellam S. Benedicti habuit, quam tum Langobardi saec. VIII et IX, tum Neapolitani saec. IX et X, plurimis rebus et privilegiis auxerunt. Gisulfus enim iunior dux (742-750) ibi concessionem b. Benedicto *satis liberaliter* fecit, et Arechis princeps (758-788) *partes maiores* concessit atque denique Grimoaldus eiusdem filius (789) *gualdum sacri palatii beneventani quod situm erat in territorio Gentiane una cum omnibus dominicaliis et totum territorium Gentiane* (2). Praeterea a. 796 quidam Guacco nobilis beneventanus, homo ditissimus, obtulit in eadem ecclesia *servos et ancillas suas cum filiis et nuruis et nepotibus suis, qui erant commanentes in eodem loco cum fundora et terris seu cespitibus eorum* (3). Deinceps Athanasius episcopus et dux Neapolis (866-898) *manifestavit se in Casa Gentiana ut nulli ibi potestatem neque ipse neque successores sui haberent vel licentiam in ea aliquid ordinandi.* Johannes denique dux (933-968) *suo praecepto* monasterio Casinensi *ipsam cellam cum gualdo et terris et silvis et omnibus omnino eidem in eodem territorio pertinentibus confirmavit* (4). Juxta ecclesiam memoratur etiam curtis a Petro Diacono (5) ad a. 1085.

Hinc per viam, quae *Vicana* vel *Cumana* (6) dicebatur versus boream pergendo, occurrebat et occurrit adhuc **lacus Patriensis**, in cujus ora ad mare vetus Literni oppidum, Scipionis Africani exsilio et sepulcro celeberrimum, exstabat; ab eiusdem magni viri epitaphio, uti opinio est, dein **Patria** appellatum. Post saeculum VIII ob barbarorum incursiones, habitatoribus fere omnibus destitutum intercidit. Ibi e ruinis ecclesia S. Fortunatae (7) reaedificata superfuit, unde saec. VIII exeunte, eiusdem sanctae virginis lipsana a Stephano episcopo et duce Neapolitano in urbem fuerunt translata.

(1) Ex ipso *Chartario* doc. hoc MAGLIOLA (p.155) breviatum affert: *An. 1132 et quinto an. domini secundi Roberti filii secundi Jordani principis Capuae et comitis Aversae. Ego Haymericus filius q. Hugonis de Casandrino unus ex militibus Aversae una cum fratre meo Ugone consilio et assensu domini mei Haimonis de Argentia in perpetuum do et trado et super altare hujus monasterio* (*S. Blasii*) *offero in Liguriae tellure fore in territorio praescripto villae Casandrini integras petias duas terrae meae et in territorio villae Grumi integra una petia terrae meae alla piscina juxta bona ecclesiae S. Tammari.*

(2) LEONIS OSTIENSIS, *Chron.* L. I, c. 6 et 14; *Chron.Vult.* ap. MURATORI, R. I. S. t. I, P. 2, p. 348; GATTOLA, *Acc. ad Hist.Casin.* p. 17 — Gualdus heic memoratus dicitur *Patriensis* in dipl. anni 986. R. N. A. M. t. III, p. 65, nunc forte *bosco del Varcaturo.*

(3) GATTOLA, *ibid.* p. 20.

(4) LEO. OST., *O. c.* L. I, c. 40 et 56. Cf. supra p.94.

(5) PETRUS DIAC. *O. c.* L. III, c. 64, ex L. I *Dialogorum* abbatis Desiderii refert *satis insigne miraculum* factum in ipsa curti de rustico, qui saccum tritici furare frustra conatus fuit.

(6) Dipl.Gisulfi a.733 et Sicardi a. 833 in *Chron. Vult.* ap. MURATORI, R. I. S. t. I, P.2, p. 348 et 386.

(7) In dipl. Aloarae principissae, de quo iterum infra, memoratur ecclesia *destructa et edificata in propriis territoriis* ejusdem *justa aqua de lacu nostro, que dicitur patriense, cui vocabulo eidem ecclesiae videtur esse b. Fortunate cum 20 modiis de terra de ipsis territoriis.* R. N. A. M. t. III, p. 65.

Lacum Patriensem saeculis IX et X integre in principum Langobardorum possessione fuisse (1) ex docc. argui potest. In *Pacto* enim a Sicardo Beneventi principe cum duce Neapolis a. 836 confecto, capite 33, cujus rubrica tantum nunc superest, statutum fuit *non licere militi* (qui non alius debet intelligi nisi Neapolitanus) *in ipso lacu piscari absque conscientia principis* et c. 37 itidem sancitum quid agendum *si absconse piscaverit* (2). Praeterea in dipl. anni 986, quo Aloara Capuae principissa cum consensu et voluntate Landenolfi principis et Gisolfi, filiorum et mundualdorum eius, plura monasterio S. Laurentii in urbe Capuana exstructi concedit, eidem ejusque abbatibus et custodibus *licentia et potestas* datur *habere duos lontres* in ipso *lago de Patria et piscare in tota ipsa aqua qualiter illi voluerint* absque contrarietate (3). At paulo post, nescio qua ratione modoque id advenerit, ipsius lacus media pars ad Neapolitanos duces pertinebat; Sergius enim dux a. 998 Roccio abbati monasterii Ss. Severini et Sossii licentiam et potestatem tribuit habere *una paraturia cum duos lontres ad piscandum in ipsius lacus medietate sua a partibus militie* (4). Quum Northmanni principatu Capuano denique potiti sunt, totus ipse lacus ad eos pervenit, ut, praeter concessiones Aversanae ecclesiae a. 1056 et 1121 factas (5), ex diplomatibus aa. 1087, 1097 et 1109 eruitur, quibus semel Jordanus et Richardus filius eius atque iterum Richardus et Robertus, omnes Capuae principes, monasterio S. Laurentii de Aversa lacum Patriensem cum *lontribus et paraturis et piscationibus et diversis pertinentiis suis et quicquid jure pertinebat in canalibus et toto lacu largiuntur* (6).

Hinc inde ad orientem extabat locus *Cree*, ubi aqua, quae dicebatur *Montebibus*, exiebat, deinceps *Fontana di creta* (7). Aliquanto ulterius etiam versus orientem pergendo secus viam publicam memorantur loci *Matiana* et *Scarafea* (8) et in confinio agri Neapolitani vicus **Iullanum** vel **Iulianum** maius (9) cum gualdo, nunc **Giugliano**, oppidum florentissimum (10).

Dextrorsum per *viam antiquam*, quae de *Ducenta* ad *Pantanum* veniebat (11), iter vertenti occurrebat vicus sive locus **Puli**, corrupte **locopuli** dictus, inde **Cupoli** et postea *licupuni* (12). Ibi memoratur ecclesia S. Renati (14), ac locus *campus floranus* (14). Ad trivium in ipsa via

(1) Veterem meam sententiam, quam supra p. 148 not. (4) emisi de lacus Patriensis possessione, quem jam a saec. IX et X communem utrique *parti*, Neapolitanorum scil. et Langobardorum, dixi, nunc, re melius perpensa, revoco. Si recte enim verba *Pacti* an. 836 perpendere volumus, *tota aqua lacus*, ut in doc. an. 986 expresse adfirmatur, ad principes Langobardos pertinuisse dicendum est. Ibi enim sola *conscientia principis* in Neapolitanis ad piscandum requiritur, et de Langobardis nihil statuitur, quod si aliter fuisset, de his etiam loquendum foret atque aliquid simile statuendum. Neque contra suspicari possumus partem, quae ad Neapolitanos spectare debuisset, in rubriea fuisse omissam; nam obstant huic conjecturae verba dipl. a. 986 de quibus supra.

(2) Cf. supra p. 147.

(3) R. N. A. M. t. III, p. 66.

(4) Cf. supra p. 18.

(5) PARENTE, *Origini e vicende eccl. della città di Aversa*, t. I, p.199 et 265.

(6) R. N. A. M. t. V, p. 117, 232 et 337.

(7) *Ibid.* t. III, p. 65. PARENTE, *O. c.* p. 188.

(8) Dipl. anni 833 et anni 986 in *O.* et *l. c.*— Liguriae locus, qui dicitur *Scarafina*, memoratur in doc. a. 1093. R. N. A. M. t. V, p. 228. In doc. anni 1292 memoratur *starcia* quae dicitur *Scarafia* in gualdo Aversae. *Reg. Ang.* n. 170 (*olim* 1292, A) f. 14. Cf. MASTROMINICO, *Ricerche intorno all'antico vico Fenicolense*, p. 67.

(9) *Regest. Neap.* n. 353. — In *Chartario* monasterii S. Blasii de Aversa, doc. n. 44, anni 1061, habetur *habitator in vico qui nominatur Iullano.* Alibi in dipl. Richardi II Capuae princ. a. 1120, dicitur *Iulianum majus.* R. N. A. M. t. VI, p. 63.

(10) De eo egit BASILE, *Mem. stor. di Giugliano*, Nap. 1800.

(11) Dipl. cit. a. 703 et 833 in *Chron. Vult.* ap. MURATORI, *O.* et *l. c.*

(12) *Regest. Neap.* nn. 328, 418. Saec. XV obsolevit. Cf. MASTROMINICO, *O. c.* et PARENTE, *Ibid.* p. 189.

(13) Instr. a. 797 ap. GATTOLA, *Acces.* p. 21; Dipl. aa. 1097 et 1109 in R. N. A. M. t. V, p. 233 et 337 Ibi deinceps ecclesia S. Mariae *ad cubitum.*

(14) In *Chartario* monasterii S. Blasii de Aversa legitur donatio facta eidem monasterio in a. 1107

haud longe a Ducenta erat vicus **Centura** vel **Centuria** (1), ubi ecclesia S. Petri, ac loci *ad cavam* et *campomanum* (2) et juxta vicus **Turricella** (3). Ibi extat adhuc vicus **Parete** (4), in cuius viciniis memoratur villa **Cerbano**, ubi campus *ad vigintiquinque* (5), villa seu **Casale cuniana** vel *Casa cugnana*, (6), villa **Casa cellere** (7), deinceps *Casacella*, et villa **Arbustulum** (8).

Supra lacum ad boream erat **Pantanum** cum alio gualdo quod saeculo IX ad monasterium S. Vincentii ad Vulturnum pertinebat, ubi cella S. Vincentii, quae vocabatur *Tremojola*, et loci *Vivani* et *Trasanglu* ac cella S. Sossii (9), cuius memoria usque ad patrum nostrorum tempora pervenit in loco dicto *S. Sosso*. (10) Ibi deinceps saec. X memorantur in ipso gualdo Patriensi loci *Pauranum* et *casale Iohanni* (11).

Ex eadem parte in confiniis **Liburiae** prope **Clanium** vel *Laneum* memorantur terrae, quas monasterium Casinense ex concessione Landenolfi Capuae principis habuit iuxta ipsum laneum. iuxta aquam, quae dicebatur *verulana*, iuxta aliam aquam quae *pelliavicana* vocabatur, quam et alia *pellia* dicti monasterii iuxta viam *et qualiter pervadit in predicto laneo ad ipsu portu qui dicebatur de monachi* (12). Nomen *Peglia* ibi quidam rivulus Lanei usque adhuc servat. Memoratur etiam palus conjuncta cum *laneo* ad monasterium Vulturnense pertinens et *Frigidus* flu-

a Richardo principe Capuae cujusdam *petie de terra*, *que est intra Ligurie, scil. in loco ubi dicitur Campo Florano prope villa que nuncupatur Cupuli*, doc. 27. In a. 1121 habetur *Landulphus de Quatrapane qui maneo in Ligurie tellure scil. in villa Cupuli* doc. n. 34 Item in anno 1143 memoratur terra in *Ligurie tellure* territorio *ville Cupuli* doc. n. 8.

(1) *Regest. Neap.* n. 171; Dipl. cit. a. 833 l. c. et an. 1109, R. N. A. M. t. V, p. 337. *Libel. mirac. S. Agnelli* in t. I. p. 307. Cf. PARENTE, *Ibid.* p. 187.

(2) Dipl. cit. a. 1109; *Catasto di S. Pietro a Castello*, nn. 453, 455, 457, 471.

(3) Hic vicus memoratur in dipl. principis Pandulfi a. 1022. V. *Reg. Neap.* in praef. — In *Catasto di S. Pietro a Castello* breviatur instr. in quo continetur « quomodo Martinus presbiter et dispensator hospitalis S. N. E. tam pro vice sua quam pro vice quidem Palumbi presbiteri cii sui, qui una secum in predicto hospitali dispensator esse videtur, renunciaverunt dicto monasterio (*S. Petri*) petias duas terre qui nominatur ad S. Petrum constituta vero intus campum pertinentem ipsius monasterii qui nominatur Campum vianum positum vero intus loco qui nominatur Centuria et Turricella territorio Liboriano una cum arboribus et fructibus suis et omnibus intus se habentibus. Quod instr. factum est in tempore imp. Basilii signatum hoc signo CCCCLXVIIII. »

(4) Dipl. a. 964 infra in *App.*—In *Reg. Neap.* n. 236 habetur *pariete at illi graniarii*; nescio an idem sit.

(5) In instr. a. 1068 VIII anno comitatus d. Richardi Francorum comes in urbe Aversa et IV anno principatus ejus Capue cum d. Jordano ejus filio mens. jan. VI ind. memoratur *campus qui nominatur vigintiquinque non procul a villa que dicitur Cerbano. Chartar.* S. Blasii n. 43. Locus, *ubi dicitur ad vigintiquinque in finibus Liburie*, memoratur etiam in instr. a 986. R. N. A. M. t. III, p. 61.

(6) *Reg. Neap.* n. 98.

(7) R. N. A. M. t. VI, p. 63; *Villa Casacellari in Ligurie tellure* habetur etiam in instr. a. 1144 ind. VI et VII anno principatus d. Anfusi filii d. Rogerii excellentissimi regis Dei gratia principis Capue et ducis Neapolitanorum. *Chart.* S. Blas. n. 6. PARENTE, *Ibid.* p. 182.-Uterque pagus *Casacugnana* et *Casacelle* in tabula chorographica Rizzi-Zannone adnotatur.

(8) *Reg. Neap.* n. 170; *Chartar.* cit. n. 5. Cf. PARENTE, *Ibid.* p. 176.

(9) Dipl. Gisulfi ducis a. 703 in *Chron. Vult.* ap. R. I. S. t. c. p. 348; dipl. Sicardi a. 833, *ibid.* p. 386; dipl. Johannis Neap. ducis a. 944, supra p. 5.—In doc. a. 1016 habentur *homines de vibanum. Reg. Neap.* n. 370. Memoratur praeterea *Casale Vivani* in doc. a. 1310. GIUSTINIANI, *Diz. geogr.* II, 95. PARENTE (p. 212) hunc pagum juxta Gricinianum collocat, de quo ego dubito. In instr. a 1133 memoratur *Gualdus S. Sossii in loco qui dicitur Ferrarula. Chartar.* cit. n. 5. Cf. PARENTE, p. 209.

(10) Ponitur juxta veterem cursum Clanii in tabula chorographica Campaniae a Regente Barrionuevo peracta.

(11) Dipl. cit. a. 986 et 1010. R. N. A. M. t. III, p. 66, et t. IV, p. 41. *Poranum* occurrit etiam in tabula reddituum monast. S. Laurentii de Aversa. *Ibid.* t. VI, p. 241.

(12) Dipl. an. 986, ap. GATTOLA, *Access.* p. 86.

violus, nunc *Fridio* (1) ac magis ad orientem locus **S. Donatus ad felice**, ubi plebs, nunc fundus item *S. Donato* dictus (2). Ibi praesertim adnotandus est **Vicus** olim **feniculensis**, nunc *Vico di Pantano* (3). Fortasse heic vel in viciniis exstabat locus *Amulianum* sive *at Mulianum*, in quo plurimi campi et terrae ad Neapolitanos pertinentes ac ecclesia destructa S. Januarij (4) atque loci *Narrectianum*, *Trefone*, sive *ad trifone*, *Casa pascati* et *ad pectole* (5).

Haud procul inde exstabat ad orientem vicus **Casale** in finibus *Lanei*, nunc *Casal di Principe*, ubi memoratur ecclesia S. Mauri ad Cavenses pertinens (6) et vici **Quadrapane** (7), **Balusanum** (8) ac **Cesaranum** (9), nunc destructi. Fortasse ibi etiam erant **Mairanum**, **Paternum, Planca, Polbeca, Rizzanum, Linianum** et **Sancta Maria**, in quibus habitatores sive homines rusticos fuisse testatur diploma Pandulfi et Landulfi a. 964, quod ad hanc descriptionem addidi (10). Item ibi erat villa **Feczata** vel **Feczatum** (11) cum ecclesiis S. Salvatoris et S. Mariae (12) et cum fundo et terris ad monasterium S. Salvatoris in insula maris pertinentibus, vicus **Casaferrea** cum ecclesia S. Petri (13) et vicus **Garillanum** (14), exstant

(1) Dipl. cit. an. 703 et 833 l. c. Cf. Mastrominico, *O. c.* p. 65.

(2) R. N. A. M. t. II, p. 248.

(3) V. Capasso, *Topogr. descr. di Vico Fenicolense* ecc. Nap. 1800, e Mastrominico, *O. c.*

(4) *Reg. Neap.* nn. 36, 48, 102, 116.

(5) *Ibid.* n. 370., et R. N. A. M. t. III, p. 76. — Gattola, *Access.* p. 57, ac *Reg. Neap.* n. 63. Parente de villa *Casapascati* verba facit in *O. c.* p. 134.

(6) *Ibid.* nn. 259, 297. — Homines de Casali occurrunt in instr. a. 977. R. N. A. M. t. II, p. 248. et a. 998. *Ibid.* t. III, p. 184. *Casale* in finibus lanei habetur in instr. a. 1113 in *Chart.* cit. n. 31.

(7) R. N. A. M. t. III, p. 184 et 195, ac t. V. p. 1 et 12. In doc. a. 1314, vocatur adhuc *Casale* (*Reg.* 1314 B, f. 190); at in alio an. 1417 simpliciter feudum (*Reg.* 1415, f. 74). Situs eiusdem describitur in territorio Aversae, juxta villam S. Cipriani, juxta villam Frignani majoris, et juxta laneum. Cf. *Atti della Commissione feudale*, vol. 33 in Regio Archivo Neapolitano.

(8) Leon. Ost. *Chron.* c. 17; Gattola, *Access.* p. 20. *Reg. Neap.* n. 153, 440; *Reg. Neap.* n. 153, 440. Cf. Parente, *Ibid.* p. 179.

(9) R. N. A. M, t. II, p. 248.

(10) *Mairani* casale extat in doc. a. 1310, ap. Giustiniani, *l. c.* et memoratur ap. Costa, *Rammemorazione istor. di S. Maria di Casaluce*, et a Parente, *Ibid.* p. 203. De aliis vero locis, qui tunc temporis certo habitabantur, nihil adhuc inveni.

(11) De hoc pago habetur notitia in pluribus instr. ante Siculi regni institutionem confectis, quorum aliqua heic breviata adnotare juvat. In instrum. tempore Basilii imp. Sergius filius quondam Boniti presbiteri habitator in *Ferruniano pizzolo*, per absolutionem d. Marini filii d. Anastasii renunciavit dicto monasterio (S. Salvatoris in insula maris) fundum unum et omnes terras ex ipso fundo pertinentes sito in *Fazzata* quas quondam Alayenus (?) et d. Teodorus germani dederunt ad responsaticum ad quondam Barbatum bisavum suum . . . Ita ut abbas eiusdem monasterii et posteri eius responsaticum de ipso fundo et terris non quesierint. Insuper promittit quod si de ipso responsatico per qualecumque modum abbas et posteri eius molestati fuerint, ipse et posteri sui eos supertollere debeant. » *Catasto di S. Pietro a Castello*, n. 468.—Alio istr. tempore comitis Riccardi principis Capuae confecto Ciccus vicecomes d. Riccardi magnifici Princ. Capuae promittit d. Urso humili presbitero et abbati monasterii S. Salvatoris pro redemptione peccatorum suorum non molestare nec dationem ponere hominibus *Faczatae*. *Catasto cit.* n. 371. — Tempore denique Jordani princ. Capuae mense Majo, VIII indict. quidam Gulielmus, qui nominabatur *Cecadiabolo*, per auctoritatem senioris sui Riccardi Gaudemi f. ex genere Francorum, unius ex militibus de civitate Aversae obtulit d. Urso ven. abati d. monasterii petias terre positas in vico *Faczata*, qui est in Liburia. *Catasto cit.* n. 122. Memoratur insuper in instr. a. 1097. R. N. A. M. t. V, p. 228.

(12) Dipl. cit. an. 1022 et instr. post obitum regis Gulielmi (I aut II?). *Catasto cit.* n. 297.

(13) *Reg. Neap.* nn. 50, 112, 267; dipl. an. 1022, in praef.

(14) *Ibid.* n. 85. R. N. A. M. t, V, p. 117 et 337. Memoratur in doc. an. 1310 inter Apranum et Casaluce, ap. Giustiniani, *l. c.* Cf. Parente, *Ibid.* p. 193.

adhuc et incolis vigent vici **Ferrunianum majus**, ubi memoratur ecclesia S. Nazarii (1) et **Ferrunianum pictulum** (2), **Piponum**, vel vicus **Piponis** (3), **Apranum**, **Casaluce** (4), **Casapisenna**, **Isele** seu **Isola** (5), **S. Marcellinus** (6), **Ducenta** (7), et **Luxanum**, ubi olim plebs S. Georgii (8); omnes ad occidentem Aversanae urbis positi, et antequam haec fundata fuisset saec. IX et X in documentis memorati.

Heic territorium versus *Laneum* aliquando *Liburianum*, aliquando *padulanum* appellatur (9), et ibi non modo *Casaferrea*, de quo mentionem feci (10), sed etiam *Faibanum* (11) *Pinum* (12), *S. Benedictus*, *S. Petrus ad padule* et *S. Vitus* (13), sive loci sive ecclesiae, ponuntur, de quibus fere nihil habeo.

Ex alio latere viae, quae Capuam ducit, et loci, ubi Aversa fuit condita, exstabant tunc temporis **Casa aurea raviosa** (14), **Pastoranum** (15), **S. Georgius ad Clabaczanum,** (16) **Decazanum** (17), et fortasse etiam **Cereliana, Campus maris, Nucitum, Maranula, Marcianum, Mianum** (18) ac **Pontianum** et **Fulinianum** (19). Estant adhuc **Casolla S. Adjutori** (20), habitatoribus fere destituta, **Teborola** (21), **Savinianum** (22), et **Pirum**, nunc *Casalnuovo a Piro* (22), atque aliquanto ulterius ad orientem **Paschariola** (23), **Casa puczana**, (24) **Casolla**, ubi ecclesia S. Mariae (25), **Valenzanum**, ubi ecclesiae S. Angeli et S. Severini (26), nunc *Casolla Valenzana*. Huius pagi territorium *massa valentianensis* erat appellatum (27).

In hoc agro feracissimo, quem via Capuana dirimit, et in meditullio fere pagorum casaliumque, dequibus supra dixi, ad septimum (28) ab urbe Puteoli lapidem, anno 1030 ortum habuit **Aversa**. Locus tunc temporis *S. Paulus de Averze* (29) verisimiliter dicebatur, ob quamdam ecclesiam eidem sancto Apostolo dicatam et paucis, uti mos erat, rusticorum casis circumdatam. Ipsum cum continenti agro Sergius (IV) dux Rainulpho Northmannorum Comiti, qui ei ad re-

(1) *Ferrunianum in finibus Liburie* habetur in doc. an. 920 ap. GATTOLA, *Access.* p. 47. In instrum. a. 1120 memoratur passus de Forignano majore R. N. A. M. t. VI, p. 63, qui nunc *passo Aversano* dicitur. Ecclesiae memoria habetur in loco *Campo di S. Nazaro*. MASTROMINICO *O. c.* p. 57.

(2) R. N. A. M t. V, p. 228, 234, 239, 339, 346.

(3) Doc. a. 1087. in *O. c.* t. V, p. 117. Cf. PARENTE, p. 206.

(4) Memorantur ambo in dipl. cit. a. 964 in *App.*

(5) Duos hosce vicos memorat dipl. a. 1023, ap. MONACO, *Recognitio sanctuarii capuani*, p. 101. De *Insula* videndus etiam PARENTE, *Ibid.* p. 193.

(6) Extat in dipl. an. 964. V. *App.*

(7) Dipl. *cit.* Gisulfi a. 703 in *Chron. Vult. Ibid.* p. 348.

(8) R. N. A. M. t. IV, p. 323. Nunc titulus ecclesiae parochialis est S. Mariae in caelum Assumptae.

(9) *Reg. Neap.* ut infra; ibi enim palus coniuncta cum laneo memoratur. Dipl. cit. a. 833.

(10) *Ibid.* n. 112.

(11) *Ibid.* nn. 146, 198.

(12) *Ibid.* n. 198.

(13) *Ibid.* n. 395 et 688.

(14) *Ibid.* nn. 215, 229, 236.

(15) Dipl. cit. a. 1022; *Reg. Neap.* n. 229. PARENTE, *Ibid.* p. 205.

(16) Dipl. cit. a. 1022;

(17) *Ibid.—Decatitianum* in *Reg. Neap.* n. 247.

(18) Omnes hi in cit. dipl. a. 1022 tantum inveniuntur.

(19) In *Reg. Neap.* n. 102 occurrunt *homines de Pontianum*, qui locus memoratur etiam in cit. dipl. a. 1022, et homines *de Fulinianum*.

(20) Dipl. a. 944 supra p. 6, et dipl. a. 1022 in praef. ad *Reg. Neap.* Cf. GIUSTINIANI, *O. c.* et PARENTE, *Ibid.* p. 186.

(21) Dipl. a. 964 in *App.*, nunc *Teverola*.

(22) *Ibid.* PARENTE, *Ibid.* p. 250.

(23) *Ibid.* n. 49. In instr. a. 1073 habetur locus *qui dicitur Poczanese non longe a villa qui dicitur Pirum. Chart. S. Blas.* n. 53, Cf. PARENTE, *Ibid.* p. 204.

(24) *Reg. Neap.* n. 482. Dipl. cit. a. 1022.

(25) Dipl. cit. a. 1022. R. N. A, M. t. V, p. 229.

(26) *Ibid.* n. 311 et cit. dipl. an. 1022.

(27) *Reg. Neap.* n. 311.

(28) Fortasse heic erat *Casale in Septimo* a LEONE OSTIENSE (L. I, c. 18) memoratum.

(29) Dipl. cit. a. 1022.

cuperandam a Pandulfo IV Capuanorum principe Neapolim dudum opem tulerat, grati animi ergo concessit (1). Paulo post, exaedificata ac statuta urbe, moenibus ac turribus munita, incolis aucta et episcopatu exornata, Rainulfus a ducis Sergii fide defecit, et cum eiusdem hostibus se coniunxit, deinde, omni subjectione abnegata atque a Conrado II et ab Henrico IV Alemanniae imperatoribus comitatus investitura petita et accepta, solam imperii auctoritatem recognovit (2). Sic Richardus Rainulfi nepos deinceps Liguriae, et Campaniae comitem, atque, Capua potitus principem Capuanum sese praetitulavit (3).

Agro, ubi a. 1030 Aversa fuit condita, contermina ad orientem erat *Massa Atellana,* (4) in qua vetus urbs **Atella**, Oscorum sedes, et haud ignobilis olim Romanorum colonia. Saec. VI et VII episcopalem sedem habuit (5) ac subsequentibus saec. VIII et IX praecipuum Liburia oppidum fuit. At, cum frequentissime a Langobardorum et Neapolitanorum incursionibus vexaretur (6) et paulatim habitatoribus destituta esset, saec. XI fere omnino intercidit. Tunc in veteri oppido memoratur ecclesia S. Canionis (7), deinceps *S. Maria delle grazie*; sed iam olim ibidem an. 877 exstabat ecclesia S. Elpidii cum congregatione sacerdotum, cuius meminerunt *Acta transl. S. Athan.* et prope eam etiam pagus eiusdem nominis, de quo habetur, notitia in doc. a. 820 (8).

In viciniis Atellae memorantur vici **Pumilianum** in *Massa Atellana,* (9) nunc *Pomigliano d'Atella,* **Fractula piczola,** (10) nunc *Fratta piccola,* **Russicium** sive potius **Sussichium** (11) nunc *Succivo,* **Vollitum** (12), quì obsolevit et **Caucilione ad S. Stephanum** (13) quì tunc erat in confinio agri Neapolitani, et aliquando in Liburia ponitur. Haud longe erant vici **Nolitum**, nunc destructus, et **Carditum**, qui adhuc exstat, ubi via publica, quae descendebat ad **Caivanum** (14) sive **Caibanum**, (15) pagus alter qui adhuc viget atque adhuc etiam servat ecclesiam S. Mariae *Campisonis* vel *ad Campilionem* (*Campiglione*), de qua egit S. Papa Gregorius in epistolis (16).

Massam Atellanam excipiebat **Laneum** et ager *Acerranus*, ubi **Suessula** et **Acerra,** urbes vetustissimae, vicus **S. Nicandri**, casale quod nominabatur *la lama de S. Nicandro*, et locus *Calabricitum.*

Suessula urbs, per quam via a Neapoli Beneventum transibat, iuxta *rivulum lanei* exstabat (17). An. 854 ad quemdam Landenolfum pertinebat, cum ab eo ipsam abstulerunt eius consanguinei filii Landulfi comitis Capuae, et paulo post in dominio Landulfi filii Landonis pervenit, quì Sergii ducis Neapolis gener erat, unde comes Suessulae vel Landulfus Suessulanus appellabatur (18). Deinceps a. 863 a Pandenulfo capta ac an. 880 et 888 a Saracenis Christianorum fraude

(1) Aimé, *Hist. de li Norm.* I, 40; Leon. Ostiensis, *Chron.* L. II, c. 58; Cf. t. I, p. 632.
(2) Aimé, *O. c.* Leon. Ostien. *O. c.* L. II, c. 65 et 80.
(3) R. N. A. M. t. V, p. 9.
(4) *Reg. Neap.* nn. 28, 53, 110.
(5) De Atella urbe agit De Muro, *Istoria di Atella.* Nap. 1840; Magliola, *O. c.* p. 87 et ss., Maisto *Mem. della vita di S. Elpidio* etc. *e carmi intorno ad Atella* Nap. 1884.
(6) Erchempertus c. 60.
(7) *Reg. Neap.* n. 355. Maisto, *O. c.* p. 162.
(8) R. N. A. M. t. I., p. 8.
(9) *Reg. Neap.* n. 10, 28, 40.
(10) *Ibid.* n. 53.
(11) *Ibid.* n. 355.
(12) Doc. a. 820 in R. N. A. M. t. I. *l. c.*
(13) *Reg. Neap.* nn. 56 et 57.
(14) R. N. A. M. t. V, p. 389.
(15) *Reg. Neap.* n. 50.
(16) S. Gregor. Pp. *Epist.* L. II. ep. 13. Cf. Scherillo. *La terra di Caivano e S. Maria di Campiglione.* Nap. 1852.
(17) Erchempertus c. 36; *Ign. Casin* in Peregr. Prat. t. I, p. 200; Leon. Ostien, p. 312. L. I, c. 36— In *Catal. feud. Northmannico* n. 806 vocatur *Suessula Pantaui*, et est feudum 8 militum.— De ea, ut et de Acerra, videndus est liber viri clarissimi Caietani Caporale, qui inscribitur: *Dell'Agro Acerrano.* Nap. 1860 et nuperum, quod edere incepit opus: *Memorie storico-diplomatiche della città di Acerra.* Nap. 1889, ubi novis curis et plurimis documentis ea urbs erudite illustratur.
(18) Erchempertus c. 23 et 27.

miserabiliter suffossa, ac itidem ab Athenulfo comite Capuae depraedata fuit (1). Sic incolis deficientibus *Suessola vetere* fuit dicta, neque comitatus honore privata. Tunc ducibus Neapolis parebat, ut ex instr. a. 1028 *in civitate Suessula* celebrato et notis chronologicis imperatorum Byzantinorum signato conjici potest. (2) Non multum longe ab ea memoratur ecclesia S. Petri (3), quae verisimiliter eadem est ac S. Petrus ad *cancellata* (4); unde emersit villa S. Petri ad *Cancellum* sive *Cancelli* (5).

Communem cum **Suessula** fortunam **Acerra** his temporibus fere semper habuit, donec sub finem saec. XI utraeque in unum coaluere comitatum. Habetur igitur saec. XII ineunte Bernardus sive Leonardus, qui fuerat comes Suessulae et Acerrae, Gaufridus filius Roberti de Medania comes Suessulae et Acerrae in docc. a. 1114, 1118 et alibi, atque Rogerius in a. 1130 (6).

Acerra in nostris docc. intus *laneum* dicitur posita (7). In ea memorantur ecclesiae S. Cononis, S. Severini et S. Mariae, atque in eius territorio ecclesia S. Laurentii inter Suessulam et Acerram in *pantano* iuxta *boscum qui dicitur de Mareglano*; (8) fortasse ita appellatum a pago juxta posito qui **Marilianum** sive **Marinianum** dicebatur nunc *Marigliano* (9), Ibi etiam habentur loci *palude at illo ponte* et *padule intus bena de laneum*, atque terrae *intus et foris laneum*, et quae dicebantur *palma* et *fossa.* (10). Prope Acerram et proprie inter ipsam et Suessulam erat vicus **S. Nicandri**, qui ab ecclesia Ss. Nicandri et Marciani inibi erecta nomen accepit. Ad monasterium S. Salvatoris in Insula maris, et postea Ss. Petri et Sebastiani, ut et casale *de la lama*, usque ad huius saeculi initia pertinuit. (11) Vulgo dicebatur *S. Neranto*, nunc *S. Nereto.* Locus denique *Calabricitum* memoratur in doc. a. 1077. Nomen adhuc superest eo loco, ubi nunc illustris Comitis Acerrarum Francisci Spinelli ager cultissimus cum optima villa.

(1) *Idem* cc. 30, 44, 72.

(2) *Reg. Neap.* n. 416.

(3) R. N. A. M. t. VI, p. 38.

(4) *Reg. Neap.* nn. 364, 426.

(5) *Ign. Casin.* n. 11 Cf. Di Meo *Annali*, *Indice* ad v.

(6) R. N. A. M. t. V, p. 390, et t. p. 38; De Meo *Annali* ad a. — In instr. a. 1224 memoratur « *brebilegium*, quod fecit Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul et Dux (sic) atque Domini gratia (sic) magister militum ad nomine q. Petri cognomento Caracculo dilecto parenti suo *vacuum in membrana* de dicto genitore meo et Filippo cognomento Caracculo dilecto parenti suo, genitore filio et nepote q. d. Marini qui iterum Caracculo vocabatur dilecto parenti suo et q. Riccardo b. f. parenti suo filio q. d. Iohanni comit. Suessule et Acerre ». *Not. script. S. Gregor.* n. 566. Forte is est Iohannes ille filius q. Leopardi (al. *Bernardi)* qui fuit comes Suessulae et Acerrae et memoratur in instr. a. 1113 absque titulo comitis. *Notam. Scriptur. S. Gregorii n. 566* Cf. R. N. A. M. t. V, p. 363.

(7) *Reg. Neap.* p. 350.

(8) R. N. A. M. t. V. p. 233.

(9) *Reg. Neap.* nn. 49, 76, 152, 672.

(10) *Reg. Neap.* n. 350, 392 et 20; R. N. A. M. t. I, p. 28.

(11) *Ibid* in praef.; supra p. 30 et *Catasto di S. Pietro a Castello.* n. 272, 270, 274. Primo diplomate a 1036 dato « Riccardus Francorum Comes pro remedio anime sue et avunculi sui Rainulfi comitis et fratribus suis Aschentini et Rodulfi concedit atque tradit cenobio monasterii S. Salvatoris in insula maris qui situm esse videtur non longe ab urbe Neapolis quasi milliaria tria sub d. Adelperto Abbate ecclesiam Ss. Nicandri et Marciani... qui inter avellum? parte positum est oppidi Acerrani et Suessulam..... cum omnibus etc. Altero diplomate absque ulla nota idem Riccardus Dei gratia Capuanorum princeps concessit Urso ven. abbati dicti monasterii S. Salvatoris ecclesiam bb. Nicandri et Marciani, que constructa esse videtur inter Acerram et Suessulam cum omnibus etc. cum silvis atque paludibus qualiter dividitur in medietate Lanei et vadit usque ad locum qui vocatur Contrara et deinde per terminos terrarum Suessule et terrarum predicte ecclesie etc. Tertio diplomate mense marcii XIII ind. a. 1119 dato Goffridus de Medania et Sicelgarda ejus uxor concedunt sive confirmant Mansoni abbati dicti monasterii integram ecclesiam Ss. Nicandri et Marciani cum omnibus etc. ejus villam et tres homines ibi habitantes predicte ecclesie remittunt etc. »

Liburiani territorii descriptionem *Clanius* fluvius, qui his, de quibus agimus, temporibus *Laneum* dicebatur, claudat. Is, si a documento magis antiquo, quod de eius cursu loquitur et nobis nunc superest, arguere licet, tunc e montibus, qui inter Abellam Nolamque assurgunt, et proprie a situ, ubi quaedam turris *Felline* (1) exstabat, oriebatur. Inde fontes, quae dicebantur *Gorgonis* (2) et *Mephitis* (3) prope Suessulam excipiebat atque, cursu aliquando gemino, aliquando tortuoso et in campos effuso, per territorium Acerrarum defluebat. Hinc versus occidentem progrediens inter territorium Capuanum et Liburianum per milliaria fere centum et triginta (4) decurrebat et in lacum Patriensem sese immittebat. Nunc ob mutationes iussu Comitis Lemensium Neapolis proregis et ex industria Iulii Caesaris Fontana architecti saec. XVII in eo inductas novis scil. alveis extructis per duo milliaria supra ac per quatuor apud Acerras et per sex milliaria versus Liternum recto fere itinere per Gallinariam silvam in mare se exonerat (5).

De co plura in scriptoribus et in monumentis per haec tempora habemus. In Erchemperto enim saec. IX memoratur *rivolus lanei non procul a Suessula* et alius *rivolus iuxta S. Carsium* (c. 56, 72) ac *pons Theodemundi*, super eum satis verisimiliter stratus, cuius meminit etiam *Chron.* sive *Catalogus Com. Capuae*. In Leone Ostiensi etiam circa a. 1052 habetur *curtis in Laneo ad pontem ruptum,* (6) ac in bulla episc. Casertani a. 1113 data *pons ruptus qui est in Laneo.* (7) Item in dipl. a. 1087 dono dantur monasterio S. Laurentii de Aversa a Iordano principe *duo molendina in laneo ad pontem silicis,* ubi scil. via consularis silice strata (8) atque in dipl. a. 1122 a Roberto item Capuae principe *silva quae dicitur ad monumentum, quae est iuxta silicem et iuxta lanqum* (9) *cum monumento.* Nunc usque exstant adhuc *ponte rotto* et *ponte a selice.* Praeterea in agro acerrano

(1) In dipl. Roberti regis a. 1311 dato dicitur: « alveus per quem defluit aqua Lanei a turri Fellini de districtu Nole per territoria Cicale, Nole, Mariliani, Acerrarum, Neapolis Capue et Averse, tortuose et non libere dilabentis ». *Reg. Ang.* n. ap. CHIARITO, *O. c.* p. 155. Locus *Filline* memoratur in instr. tempore imp. Basilii confecto, quo quidam Petrus et Magnus uterini germani, filii q. Martini, qui nominabatur adiperti habitatores in loco *Pusilli?* qui esse videtur in castello Lauretano, tenebant a d. Abbate monasterii S. Salvatoris integra duo fundora dicti monasterii, quorum unum ex eis nominabatur ad pede de illa bolla quod est suptus de illo castro Lauretano, et reliquum fundum positum in suprascripto loco *Felline* etc. *Catasto di S. Pietro a Castello* n. 224.

(2) In instr. a. 1288 memoratur in villa S. Nicandri « petia de terra modiorum duorum ad illa padula, et modium unum de terra ibidem ad illa gorguna ». *Catasto di S. Pietro a Castello,* n. 172.

(3) Gaufridus de Medania Suessolanorum et Acerranorum comes in a. 1116 offert ecclesiae S. Laurentii de Aversa inter alia « quae erant in territorio Acerrano » tota et integra *fusaria,* que cognominantur *mefite* et ec fusara sub hac videl ratione ut nullus de hominibus nostris Suessole aut de Acerre nec de tota terra paludis audeat linum mittere vel ponere in alia aqua nisi in predicta *fusara* ». R. N. A. M. t. VI, p. 38. Nominis rationem Ambrosius Leo dat inquiens: « A radicibus dextri cornus, qua spectat agrum nostrum (Nolae) aquae sulphure putentes emanant, unde ab eorum putore nomen loco inditum est Mephitim. Haud procul item a Mephiti sunt fontes Clanii fluvii ». LEO, *De Nola,* L. I, c. 1.

(4) In inscriptione ad *Pontem Silicis* supra Laneum a. 1695 posita ipsum 288 stadiorum spatio a valle Cicalana per Nolanos Campanosque agros silvamque Gallinariam usque ad Africani tumulum fluere dicitur. V. PARENTE, *O. c.* p. 251.

(5) *Misure dell'Architetto Fontana negli Atti del R. Fisco con diversi partitarii dei rr. Lagni.* Proc. n. 7443 in Process. R. Camerae Summariae in Neapolitano Archivo. BARIONUEVO, *Panegyricus,* pag. 129, 130.

(6) LEON. OSTIENS. *Chron.* L. II, c. 83.

(7) MONACO, *Sanct. Cap.* p. 586.

(8) R. N. A. M. t. V, p. 117.

(9) R. N. A. M. t. VI, p. 67. Nescio an heic de loco *ad monumentum* in cit. dipl. a. 964 adnotato (V. infra) vel de alio *ad monumentum q. Trafaceri* ab Erchemperto (c. 27) memorato dicatur. In cit. relatione Fontanae notitia cujusdam monumenti etiam habetur sic. *a la pietra di sotto a lo Gorgone insino al monumento anticaglia di fabbrica trovata vicino la detta pietra. Atti* cit. f. 84.

memorantur terrae *culte et inculte intus laneo pontis Acerre*, *fusara* quae cognominabantur *Mephiti*, (1) molendinum in aqua Lanei ad *Calabricitum*, *bena de Laneum* et *plena de aquas Lanei.* (2)

Haec de variis Ducatus Neapolitani voce, proprio et restricto sensu accepta, locis saeculo XI et XII, quae dicerem, e scriptoribus et monumentis habui; at cum ad eum Surrentina etiam regio praecedentibus saec. IX et X pertinuerit, pauca, quae de ipsius regionis eodem tempore statu nunc scimus corollarii loco addere iuvat. Amalphis autem, quae itidem Neapolitanis ducibus aliquandiu subiecta fuit, tum ob eius magnitudinem, quae specialem scriptorem desiderat, tum propter breve ipsius subiectionis intervallum, tacita mihi omnino relinquenda videtur.

Regio igitur Surrentina, tempore quo a Neapolitano ducatu disiuncta fuit, a Sarno flumine usque ad promontorium, olim Minervae nunc *della Campanella* dictum, protendebatur. Litus paludosum et arenosum, quod adhuc inter Sarnum et Stabias excurrit; *plagia maior* (3) dicebatur; ubi vero circumflectitur et sinum ad *montis Aurei* radices efficit, *Stabiarum* nova urbs, in docc. illius aevi **Stabi** vel **Estabi** (4) dicta occurrebat, quae nunc est *Castellammare di Stabia.* Arabicus scriptor Edrisius, qui sub rege Rogerio vixit, eius portum ab accessu ventorum tutum et commeatibus celebrem ac dulcium aquarum in ea abundantiam laudat. (5) E docc. praeterea cuiusdam viae publicae *maioris* notitiam habemus, quae dicebatur *Staviana* atque ad *Angre* vel *Nuceriam* (6) ducebat, sed quamvis episcopos ab antiquis temporibus habuerit, praeter ecclesiam cathedralem, in qua curtis et passus mensura, (7) ecclesiae et monasteria ibi erecta nos omnino latent.

Supra montes, qui urbi imminent et *Lactarii* a veteribus vocabantur, exstabat **Castellum** de **Litteris** sive **Stabiense** (8) vel de *territorio Stabiano*, nunc *Lettere.* Ibi praeter locos *Fusculum comparatum* et *casola* memoratur ecclesia S. Laurentii a. 1113 fundata, (9) ecclesia cathedralis quae, saec. praecedenti, cum urbs ad episcopalem dignitatem evecta fuisset, originem habere debuit. Castella de **Graniano** et de **Pino** in proximo sita an ad Surrentinum vel ad Amalphitanum ducatum pertinuerint nescio.

Ultra Stabias post **Montem Aureum**, in cuius fastigio oratorium sive ecclesia (10) S. Angeli *ad* **Montem Aureum,** Catelli episcopi Stabiensis et Antonini abbatis Surrentini opus, saec. VI surrexit, sequebatur **Massa Aequana**, ubi episcopus Aequanus, (11) nunc *Vico Equense*, inde **Planities** (12), nunc *Piano di Sorrento.*

In ipsius **planitiei** extremitate **Sirrentum** vel **Sorrentum** (sic enim in nostris chartis vocatur) urbs a veteribus scriptoribus saepe celebrata sequebatur, (13) et adhuc sequitur (*Sorrento*). Eam habitatorum frequentia, aedium decore, ac rerum ubertate praeditam, nec non ob navium constructionem laudatus Edrisius extollit. (14) Ibi per haec tempora memorantur cella S. Severi, (15) ecclesia S. Nicolai (16), monasterium S. Martini monachorum ordinis S. Benedicti,

(1) *Reg. Neap.* n. 392.

(2) R. N. A. M. t. V, p. 232. *Reg. Neap.* n. 392.

(3) Territorium de *plagia majore* memoratur in bulla Barbati archiepisc. Surrentini. Milante, *De Stabiis.* p. 211. In *Capitulari* Sicardi vocatur *plagia* sine alio ullo adiuncto.

(4) Docc. aa. 866 et 870 in *Cod. Dipl. Cav.* t. I, pp. 78, 91.

(5) Amari e Schiaparelli, *L' Italia descritta nel* Libro del re Ruggiero *compilato da* Edrisi, Roma, 1883, p. 95.

(6) Doc. a. 1018 in *Cod. dipl. Cav.* t. IV, p. 282.

(7) Instr. a. 1085 ap. Milante, *O. c.* p. 193.

(8) Doc. aa. 1031 et 1033 ap. Camera, *Mem. stor. dipl. del Ducato di Amalfi*, t. II, p. 665.

(9) Inscr. ap. Camera, *O. c.* p. 667.

(10) Milante, *O. c.* p. 211.

(11) Bulla Barbati *ibid.*

(12) *Reg. Neap.* n. 40.

(13) *Ibid.* n. 40.

(14) Amari e Schiapparelli, *O.* et *l. c.*

(15) V. supra p. 94.

(16) *Reg Neap.* in praef p. 11.

monasterium puellarum S. Pauli ejusdem ordinis a Stephano episcopo fundatum, oratorio S. Agrippini, et S. Martini ac ecclesia S. Felicis nunc S. Baculo Surrentino ep. dicata (1).

Post Surrentum versus occidentem sequebatur **Massa publica**, (2) ubi episcopatus *Lubranus*, nunc *Massa Lubrense* atque in territorio memoratur locus *S. Viti* (3). Ex alio latere promontorii, quod sinum Paestanum respicit, exstabat in littore monasterium benedictinum S. Petri *de Capreolis*, postea *a Crapolla* (4). Templum saec. XVI columnis marmoreis erectum, undique depictum, vermiculato pavimento stratum ac praecelsa turri communitum a Capacio describitur (5). Nunc vix rudera supersunt.

Sirenusae, nunc *i Galli*, quae e conspectu visuntur, ut et Caprearum insula promontorio Minervae objecta, per haec, de quibus agimus tempora, Amalphitanis ducibus parebant.

(1) *Acta S. Antonini et S. Baculi*, ac vetus inscriptio ap. CAPASSO, *Mem. stor. della Chiesa sorr.* p. 33, 45, 51, 223.
(2) *Reg. Neap.* n. 40.
(3) *Ibid.* n. 80.
(4) Cf. PANSA, *Istor. di Amalfi*, t. II, p. 12 et 13.
(5) CAPACCIO, *Hist. neap.* t. II, p. 162.

ADDITIO

Ex castri Puteolani descriptione mihi, nescio quomodo, exciderunt curtis et palatium Comitis, ecclesia S. Ioannis et puteus aquae vivae ad publicum dicti castri pertinens. Horum omnium fit mentio in doc. a. 1122. Cf. *Reg. Neap.* n. 626.

APPENDIX

Diploma Pandolfi et Landolfi Principum Capuae, quo plures terras in finibus LIBURIAE *concedunt monasterio S. Vincentii ad Vulturnum anno DCCCCLXIV.*

(Ex *Chronici Vulturnensis* cod. Barberiniano (1) a p. 224 ad 233)

DE TERRA AD PATRIAS MODIA.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. XXI Principatus Domini Pandulfi, quam et VII anno Principatus Domini Landolfi gloriosis Principibus, mense Magio VII. Ind. Ideoque supra nominati Pandolfus, et Landolfus Domini gratia Langobardorum gentis Principes, et filii b. m. Domini Landolfi gloriosi Principis, comparsi sumus Dei omnipotentis misericordia pro mercede anime nostre ut hic et in eterna vita de peccatis nostris requiem inveniamus per hanc cartulam offeruimus in monasterio Sancti Vincentii situm super fontem Vulturni fluminis ubi nunc Dominus Paulus ven. Abbas preest, hec CCC. modia de terra de ipsa terra nostra, que commune habemus filiis, et Nepotibus Domini Antenolfi Principis in finibus **Patrie** habente per singulum modium rationabiliter in longitudine passus XXX, et per singula capita per traversum passus XXX ad mensuram de passus Landoni seniori Castaldei mensuratos, quam et pro nostra anima offeruimus in eodem Sancto Monasterio, idest quartam partem de L et VI petiis de terris (2) que **commune habemus cum Neapolitanis in finibus Liburie:** una petia in loco PIRU finis habet de uno latu terra Boniti aliu latu et unu capu tenet in terra Leoni, aliud caput in via habet per singula latera passus XXVIII, et per singula capita habet passus IV. Alia petia ibique de uno latu et unum caput in terra dicti Leoni, aliu latu tenet in terra de homines da PLANCE, alii casu tenet in terra Ursi Lutini, habet in longitudinem per singula latera pars? XX et per singula capita passus VI. Tertia petia ibique de uno latu terra de ipsi homines de PLANCE, aliu latu tenet in supra scripta terra et terra Petri Neapoli, unu capu tenet in terra de Neapoli, aliu capu tenet de Mauro Praesbitero habet per singula latera passus LXXVII et per singula capita habet passus XXXXII. Quarta petia ibique de uno latu et unu capu terra S. Archangeli, aliu latu tenet in supra scripta terra, et Petri Neapoli, aliu capu tenet in terra Mauri, habet per singula latera passus LXXIX; et per singula capita passus IX. Quinta petia de uno latu, et unu capu vie, aliu latu in supra scripta terra nostra, et Petri Neapoli, aliu capu tenet in terra predicti Mauri habet per singula latera passus LXXXVI et per singula capita passus X. Sexta petia ibique in fundo de uno latu terra subscripta, et Petri Neapolis, aliu latu tenet in terra Benedicti, unu caput tenet in via, aliu capu tenet in Terra supra scripta nostra et Petri Neapoli, habet per singula latera passus LXXXV, et per singula capita habet passus XI. Septima petia finis habet de ambo latera terra Iohannis Boniti, et Mauri habet per singula latera passus CL unum capu terra Iohanni, et Gemmoaldi et Iohanni Rattecausi, et Angeli de Garilianu, habet exinde per traversum passus XLIV, aliu capu tenet

(1) Huius diplomatis exemplum, aliquibus in fine mancum, olim habui a viro amicissimo d. Vincentio Cuomo, et exscripsi. Ipsum saec. XVIII ineunte exaratum et e quodam apographo in bibliotheca Ss. Apostolorum adservato transcriptum fuisse tum caracteres eiusdem, tum titulus in fronte inscriptus satis aperte indicabant. Apographum autem verisimiliter ad p. d. Eustachium Caracciolum pertinebat. (PEREGRINIUS-PRATILLI, t. III, p. 247). *Chronicon* vero, in quo diploma exstat, MURATORIUS, uti notum est, primum edidit in R. I. S. t. I, p. II, sed ipsius documenti, quod in c. 464 legitur, maximam partem omisit. Ego exemplum meum cum autographo cod. Barberiniani contuli et diploma integrum heic edendum curavi, interpunctionibus, ut ejus lectura facilior fieret, uti oportebat, additis.

(2) Quae inde sequuntur usque ad verba: *ad mensuram de predictis passibus Landoni Seniori Castaldei* (p. 209) in Muratorio desiderantur.

in via, et inde habet passus lii. Octava petia de unu latu terra Boniti, de aliu latu terra Iohanni, unu capu tenet in terra Mauri, aliu capu tenet in linea, habet per singula latera passus lii, et per capita passus xxxiii. Nona petia de unu latu terra Iohannis, aliu latu terra de homines de Teborola, habet per singula latera passus lxiii; unu caput tenet in ipso limite habet exinde passus xix, alio capu tenet in Terra de homines de Paternu, ct inde habet passus xx. Decima petia finis habet de unu latu via, de aliu latu in terra Donati, et Decorati de Apranu, unu capu tenet in terra Iohannis, aliu capu tenet in terra de homines de Apranu, et in supra dicti petia habet passus il: et per singula capita habet passus xxxxii. Undecima petia ibique de unu latu via, aliu latu et unu capu tenet in terra de homines de Apranu, aliu capu tenet in nostra petia, habet per singula latera passus lxxv, et per singula capita passus x. Duodecima petia de unu latu subscripta terra et terra S. Marie, et terra de neapoli, aliu latu tenet in subscripta terra nostra, et Sergi, et Petri Neapolis, unu caput tenet in terra Aliperti et Leoni, aliu capu tenet in via, habet per singula latera passus cxviii, et per singula capita passus xxxi. Decima tertia petia de unu latu terra nostra Leoni et Aliperti, aliu latu tenet in subscripta terra nostra, et Petri Neapolis unu caput tenet in terra de homines de Casaluci, aliu capu tenet in terra nostri Leoni, habet per singula latera passus xxxxvi, et per singula capita passus xvii. Quarta decima petia finis habet de unu latu subscripta terra nostra et de Neapoli, aliu latu terra Iohannis Lubini, unu capu tenet in via, aliu capu terra nostri Aliperti et de Fratribus ejus, habet per singula latcra passus lxxxiii; et per singula capita passus xx. Quinta decima petia habet finis de unu latu ipsa terra nostra, et nostri Petri Neapoli, aliu latu terra predicte ecclesie Sancti Archangeli, unu capu tenet in via, aliu capu tenet in subscripta terra nostra et Sancte Marie. Sexta decima petia in loco commune inter nos, et ecclesia Sancte Marie habet fines de amba latera terra Mauri unum capud in subscripta terra, que est fundo, aliud capud de Mauro Praesbitero habet per singula latera passus lxxvii, et per singula capita passus xi. Septima decima petia de unu latu terra Ursi Lubini, aliu latu tenet in via, habet per singula latera passus liv, unum caput tenet in ipsa terra nostra, et supra scripti Petri Neapoli, alij capu tenet in via, et per singula capita passus xviii. Octava decima petia ibique finis habet de unu latu terra Ursi supra scripti Iohannis Lubini, et terra supra scripte ecclesie S. Marie, aliu latu tenet in ipsa terra nostra, et supra scripti Petri Neapoli, unu capu tenet in via, aliu capu tenet in supra scripta terra, habet per singula latera passus lxxxv et per singula capita passus iii. Nona decima petia ibique de unu latu terra supra scripte ecclesie S. Archangeli, et in supra scripta terra nostra, et subscripta terra nostra et Petri Neapoli, aliu latu terra Aliperti, habet per singula latera passus cvi, unum caput tenet in terra Leoni habet exinde passus xiv, alij capud tenet in supra scripta tcrra, et inde habet passus xi. Vigesima petia ibique de unu latu terra Mauri et Leoni, et suprascripti Iohanni Lubini, aliu latu tenet in supra scripta terra, unum caput tenet iterum supra scripta petia de terra, aliud capud tenet in via, habet per singula latera passus cxviii, et per singula capita passus xi. Vigesima prima petia in jam dicto loco Piru, habet finis de unu latu terra Leonis, alij latu in supra dicta terra de Stephano, unum capud tenet in via, aliud capud tenet sub scripta terra S. Mariae, et terra nostra, habet per singula latera passus xxxviii et per singula capita passus xxxvii. Vigesima secunda petia ibique de unu latu tenet in supradicta terra de Stephano, aliu latu tenet in terra suprascripte ecclesie S. Archangeli, unum capud tenet in terra, que tenet Urso, et Iohanni Lubini, alij capud tenet in via, habet per singula latera passus cxii, et per singula capita passus xxii. Vigesima tertia petia ibique de unu latu terra ipsorum Leoni et Ursi, aliu latu tenet in terra ejusdem Ursi, unum capud tenet in terra S. Arcangeli, aliud caput tenet in terra subscripti Leoni, habet per singula latera passus xxxxvi; et per singula capita passus xii. Vigesima quarta petia ibiq. habet finis de unu latu terra Nostri Aliperti, et jamdicte ecclesie Sancti Archangeli aliu latu tenet in predicta terra de Stephano, unum capud tenet in terra de homines de Casa-

LUCI, aliud caput tenet in terra suprascripti Leoni, habet per singula latera passus XXXXVI; et per singula capita passus XVII. Vigesima quinta petia ibique habet finis de unu latu supradicta terra de Stephano, aliu latu tenet in terra subscripti Aliperti, unum capud tenet in via, aliud caput in terra suprascripti Aliperti, et de fratribus ejus, habet per singula latera passus LXXXIII, et per singula capita passus XX. Vigesima sexta petia ibique tenet finis de unu latu in subscripta terra de Stephano, aliu latu tenet in terra suprascripti Ursi, et Iohannis Lubini unum capud in terra NEAPOLI aliud capud in terra de Mauro Praesbitero, habet per singula latera passus LXXVI, et per singula capita passus XV. Vigesima septima petia ibique de unu latu supra scripta terra de Stephano, aliu latu, et unu capu tenet in terra Mauri, aliud caput tenet in terra praedicte ecclesie S. Archangeli,. habet per singula latera passus LXXIX, et per singula capita passus IX. Vigesima octava petia de unu latu terra Sancti Archangeli, aliu latu tenet in terra de Stephano unum capud tenet in via, aliud capud tenet in terra Mauri, habet per singula latera passus LXXXVI; et per singula capita passus X. Vigesima nona petia de unu latu et unu capu vie, de aliu latu terra Mauri et Boniti, aliu capu tenet in terra suprascripta terra nostra, et Sancte Marie habet per singula latera passus XXII, et per singula capita passus XVIII. Trigesima petia fundo de unu latu in predicta terra de Stephano, alio latu in suprascripta terra nostra et Sancte Marie, unum capud tenet in via aliud capud in terra suprascripta Mauri, habet per singula latera passus LXXXV et per singula capita passus XVII. Trigesima prima petia de Civatolo dicitur ipsa terra longa finis habet de ambo latera terra Sadiperti, et Ursiricci, et Mauri, et habet per singula latera passus XXXVI, unum capud tenet in via, habet exinde passus XII. aliud capud tenet in terra ipsorum Sadiperti et Ursiricci, et Mauri, et inde habet passus XIII. Trigesima secunda petia habet finis de unu latu terra de filiis Aczafis, aliu latu tenet in terra Sancte Marie de Cappella unum caput tenet in terra suprascripti Sadiperti et Ursi Ricci et Maurini, aliud capud in terra de homini de MAIRANU, habet per singula latera passus LXXXVIII, et per singula capita passus VIII. Trigesima tertia petia finis habet de unu latu terra de Apranisi, de aliu latu terra de filii Andari, unum capud tenet in fabrica terra nostra de Petri gemolo, aliud capud in terra Trasobi, habet per singula latera passus XXVI, et per singula capita passus XVI. Trigesima quarta petia ibique de unu latu, et unu capu terra Sellicti et Arzafi, aliu latu in terra de Filii Mauri, aliu capu in suprascripta petia, habet per singula latéra passus XVI, et per singula capita passus XII. Trigesima quinta petia de Agimundo in loco proprio de SANCTO MARCELLINO finis habet de unu latu terra de Neapoli, aliu latu terra Sigenolfi, unu capud tenet in fundo fascari, aliu capu tenet in terra fascari de S. Marcello, habet per singula latera passus LI, et per singula capita passus IX. Trigesima sexta petia habet finis de unu latu terra Ursipennampede, de aliu latu fine suprascripte terra nostra de Tauro, unum caput tenet in terra de filii Boni, alio capu in terra de NEAPOLI, habet per singula latera passus XXII et per singula capita passus XVI. Trigesima septima petia de uno latu terra que tenet Pietro Toccolo, aliu latu suprascripta terra nostra de Tauro, unum capud tenet in terra heredum Boni, aliud capud terra Iohanni de FERRUNIANU PITTULU, habet per singula latera passus XXXXIX; et per singula capita habet passus XIV. Trigesima octava petia de unu latu terra heredum Boni, de alio latu terra suprascripti Sigenolfi, unum capud tenet in terra suprascripta Iohanni, aliud capud terra suprascripta Pennampede habet singula latera passus XXXVI; et per singula capita passus IX. Trigesima nona petia de unu latu terra suprascripti Ursi, de aliu latu terra que fuit Martinoli, unum capud terra heredum Boni, aliud caput terra de NEAPOLI, habet per singula latera passus XXII, et per singula capita passus XIV. Quadragesima petia habet finis de unu latu terra que fuit Martinoli, aliu latu et unu capu tenet in terra suprascripti Ursi, aliu capu terra S. Nazarii, habet per singula latera passus XXX, et per singula capita passus XIII. Quadrogesima prima petia de unu latu terra Desiderii, aliu latu tenet in supradicta terra nostra, et de NEAPOLI, unum caput tenet in terra de Filii Rufi, aliud caput in terra Sancti Nazarii, habet per

singula latera passus xxxxii et per singula capita passus xii. Quadragesima secunda petia de Agimundo in loco Polbeca finis habet de unu latu via, de aliu latu terra Liuprandi, unum caput terra Leoni clerici, aliu capu tenet in terra Neapoli, habet per singula latera passus xxx; et per singula capita passus xii. Quadragesima tertia petia de unu latu in subscripta terra nostra de ipsa Filiastra Sparanelli, aliu latu in subscripta terra habet per singula latera passus x, unum caput tenet in via, aliud caput in terra subscripto de Petru Gemolo, habet per singula capita passus octo. Quadragesima quarta petia ibique de unu latu terra S. Petri Apostoli , aliu latu tenet in terra Liuprandi , unum caput in terra Cimini, aliud caput in terra Neapoli, habet per singula latera passus xxxix, et per singula capita passus vi. Quadragesima quinta petia fuit de Civittolo finis habet de unu latu, et unu capu terra decibili, alio latu tenet in terra Leoni Aliperti, aliu capu terra de homines de Apranu, habet per singula latera passus lxxxx; et per singula capita habet passus xii. Quadragesima sexta petia ibique de unu latu et unu capu terra suprascripti Leoni , aliu latu terra de homines de filii et Nepotis domini Atenulfi Principis , aliud caput tenet in via, habet per singula latera passus xxx, et per singula capita passus vi. Quadragesima septima petia de unu latu, et unu capu terra de homines de filii, et nepotes domini Atenulfi, alio latu terra de Filii Landerani clerici, et de homines de filii et Nepotes domini Atenulfi, alio capu tenet in via, habet per singula latera passus lxx, et per singula capita passus xiii. Quadragesima octava petia de Amba latera terra Leoni, et de consorti ejus, unum caput tenet in via aliud caput in terra de Mairanis, habet per singula latera passus cl; et per singula capita passus x. Quadragesima nona petia in ferrunianu habet finis de unu latu terra S. Benedicti, aliu latu, terra que fuit Saliperti clerici, unum caput tenet in terra Ciceni, aliud caput in via, habet per singula latera passus xxxvi ; et per singula capita passus xiv. Quinquagesima petia de Petro Gemmulo, finis habet de unu latu terra Liuprandi, aliu latu terra subscripti Ursi Pennanpede, unum caput tenet terra Dunoli, aliud caput terra Leoni Clerici, habet per singula latera passus xxx; et per singula capita passus xiv. Quinquangesima prima petia dicitur ad *Cirasa*, de unu latu terra Domini Salvatoris , aliu latu terra Iohanni Neapolis, unum caput tenet in terra subscripti Ursi , aliud caput tenet in terra suprascripta de Agimundo, habet per singula latera passus xxxxi; et per sigula capita passus viii. Quinquangesima secunda petia ibique de unu latu et unu caput tenet in terra de Neapoli aliu latu in suprascripta terra de Agimundo, aliud caput in via, habet per singula latera passus xx; et per singula capita passus viii. Quinquagesima tertia petia ad limite de uno latu terra de homines de Ferrunianum Pittolum, alio latu terra suprascripti Ursi, unum capud tenet in via pubblica, alio capu tenet terra de homines de Ferranianu majore, habet per singula latera passus lxxxxviii; et per singula capita passus xix. Quinquangesima *quarta* (a) petia ibique de unu !atu terra Petri Bonischi ; alio latu terra Leoni Arni Petri, amba capita tenet in terra de homines Sancte Marie habet per singula latera passus lxxxxiv; et per singula capita passus xv. Quinquagesima quinta petia habet finis de unu latu terra de homines de Apranu, aliu latu terra de filii Andari, unu caput tenet in via, aliud caput in subscripta terra de Ciuttulo, habet per singula latera passus xxvi ; et per singula capita passus xviii. Quinquangesima sexta petia de unu latu terra sparanu , alio latu terra Barusi , uno capu in limite, aliud caput in terra Landolfi et de fratribus ejus, habet per singula latera passus lxxxxvii, et per singula capita passus xxxviii ; igitur et pro nostra anima offeruimus in prefato Monasterio medietatem de lxi petio de terre nostre que habemus in ipsis finibus *Liburie* , una petia dicitur in scarupitu finis habet de unu latu terra filii Sparani et Carrocci, et latera de filii Landenolfi , et Gemmoaldi , et terra de Neapoli , aliu latu tenet in terra de homines de Apranu , unum caput tenet in via, aliud caput tenet in terra de filii Hermogardi, habet per singula latera

(a) In autographo deest *quarta*.

passus ccxxvii, et per singula capita passus xx. Alia petia de predicto Carazzolo in Ferruniano, habet finis de unu latu terra Paulo, aliu latu terra de filii et Nepotes domini Atenulfi Principìs, unum caput tenet in limite, aliud caput tenet in terra de homines de Linianu, habet per singula latera passus liv, et per singula capita passus vi. Tertia petia nomine ad croce habet finis de uno latu terra Pepini Pracsbiteri, alio latu tenet in terra Riconi presbiteri, unum caput tenet in terra de homines de Mairanu, aliud caput in via, habet per singula latera passus lxxxx, et per singula capita passus x. Quarta petia finis habet de unu latu terra de homines de filii Domini Atenulfi, aliu latu tenet in subscripta terra, unum caput terra suprascripti Pauli, aliud caput in terra Sicoli, habet per singula latera passus xxi; et per singula capita passus xiv. Quinta petia ibique de unu latu suprascripta quarta petia, et terra suprascripti Sicoli, aliu latu terra pergoaldi, unum caput tenet in supradicta terra, aliud caput terra de Bonisco, habet per singula latera passus lxxii, et per singula capita passus x. Sexta petia finis habet de unu latu ipsa terra de homines de Majranu unum caput in terra Pergoaldi, et de Confrati ejus, aliud caput tenet in terra Antiparti, habet per singula latera passus lxxxxiv; et per singula capita passus x. Septima petia de unu latu ipsa terra de Carazzolo, alio latu, et uno capu terra subscripti Pauli, aliud caput tenet in via, habet per singula latera passus lxxxii; et per singula capita passus x. Octava petia finis habet de unu latu, et unu capu in ipsa terra de Carazzolo, alio latu tenet in terra suprascripti Pauli, alio capu tenet in terra de Filii Altiperti. Decima *(sic)* petia finis habet de unu latu in ipsa terra de Mauro, alio latu tenet in supradicta terra de Agimundo, et confratribus ejus, unum caput tenet in via, aliud caput in terra suprascripti Pauli, habet per singula latera passus xxxvii; et per singula capita passus octo. Undecima Petia de unu latu terra Adelperti, alio latu in terra de Bonisco, unum caput in terra Agimundo, aliud caput tenet in terra Cotunii, habet per singula latera passus xxxi, et per singula capita xxiii. Duodecima petia finis habet de unu latu et unum caput terra de filii Leoni Delitiosi, aliu latu in ipsa tenet terra de Agimundo aliud caput tenet in terra Iohannis Magistri, habet per singula terra passus xviii; et per singula capita passus viii. Tertia decima petia habet finis de unu latu ipsa terra de Agimundo, alio latu terra subscripti Liuprandi, unum caput in terra Adelperti, aliud caput terra Caccioppoli; habet per singula latera passus lxvi; et per singula capita passus ix. Quarta decima petia de agimundo finis habet de una latu terra Sparani, de alio latu Sergi Neapolis, unum caput tenet in via, aliud caput tenet in terra Iohannis Pandoni, habet per singula latera passus xxxviii; et per singula capita passus xi. Quinta decima petia nomina ad Parete de unu latu terra de homines de Rizzanu, aliu ud capud in terra Petri, Alici aliu latu in terra de homines de filii Rodiperti, tenet in terra Petri Scavis, habet per singula latera passus viii; et per siugula capita passus xxviii. unum caput Sexta decima petia in Ferruniano majore habet finis de unu latu terra Sigenolfi, aliu latu terra Ruti unum caput tenet in via aliud caput tenet in terra de Neapolis, habet per singula latera passus lii; et per singula capita passus v. Decima sexta petia ad *ipsa monumenta* finis habet de Amba latera terra de Neapoli, unum caput terra Petri Neapoli, aliud caput tenet in terra de homines de ipsi Filii et Nepotes Domini Atenulfi habet per singula latera passus xvi, et per singula capita passus octo. Decima septima petia ibique de unu latu terra subscripti Petri Neapoli, aliu latu terra de ipsi homines de filii et Nepotes Domini Atenulfi unum caput tenet in terra suprascripti Pergoaldi aliud caput tenet in terra de filiis Antari, habet per singula latera, et per singula capita passus xiv. Decima octava petia de unu latu terra Leoni Arniperti, alio latu tenet in via, unum caput tenet in terra de homines filii et nepotes Domini Atenulfi, aliud caput tenet in terra Arniperti, habet per singula latera passus lxvi: et per singula capita passus xxxii. Vigesima petia fuit de filia Carrozzoli habet finis de uno latu terra desiderii, de aliu latu terra suprascripti Pauli, amba capita tenet in terra de homines de filii et Nepotes Domini Atenulfi habet per singula latera passus cviii, et per singula capita passus xx. Vi-

gesima prima petia de unu latu terra Leoni, alio latu in suprascripta terra unum caput tenet in terra Pergoaldi, aliud caput tenet in suprascripta terra habet per singula latera passus xxxxvi; et per singula capita passus xiv. Vigesima prima petia de unu latu in terra jam dicti de Leussolo, aliu latu tenet in terra suprascripti Pergoaldi, unum caput terra Sparani, aliud caput in via, habet per singula latera passus cxxiii; et per singula capita passus xvi. Vigesima secunda petia habet finis de unu latu terra Lioni, alio latu in suprascripta terra, unum caput tenet in via, aliud caput terra de filii Altiperti, habet per singula latera passus lxxxxvi; et per singula capita passus xvi. Vigesima quarta petia ibique de unu latu tenet in suprascripta vigesima tertia petia, alio latu in suprascripta terra de Tauro, unum caput tenet iterum in alia suprascripta terra, aliud caput tenet in via habet per singula latera passus xxxxviii: et per singula capita passus xvi. Vigesima quarta petia de Ursu Graeco finis habet de unu latu terra Leoni Adelperti et de confratribus ejus, aliu latu tenet in terra de homines filii domini Atenulfi, habet per singula latera passus xxxiv. et unum caput tenet in via publica, aliud caput in terra de homines, qui ibi ad fines habent, et per singula capita habet passus xxii. Vigesima quinta petia ibique de unu latu, et unu caput terra Sellicti, aliu latu tenet in terra Antiperti aliud caput tenet in terra de filii Landeradi Clerici habet per singula latera passus xxx; et per singula capita habet passus xii. Vigesima sexta petia de Pardi nomina ea in Pertusa habet finis de unu latu, et unu capu terra Sigenolfi, aliu latu, et aliu capu tenet in terra de Neapoli, habet per singula latera passus xxxiv, et per singula capita passus xxx. Vigesima octava petia ibique de unu latu, et unu caput terra de Neapoli aliud et de aliud caput terra Fuscari, habet per singula latera passus xxx; et per singula capita passus ix. Vigesima nona petia ibique de unu latu via, de aliu latu, et amba capita terra de Neapoli, habet per singula latera passus xxxvi; et per singula capita passus v. Trigesima petia ibi propinquo finis habet de unu latu terra Sigenolfi de alio latu et unu capu terra de Neapoli, aliud caput tenet in terra heredum Arniperti habet per singula latera passus xxii; et per singula capita passus xiii. Trigesima petia de unu latu terra Iohanni Cutardi, de aliu latu terra Petri Fuscari, unu caput in terra Stephanu, alio capu tenet in terra Sigenolfi, habet per singula latera passus xxi; et per singula capita xi. Trigesima secunda petia de unu latu et unum caput terra de Neapoli, alio latu et alio capu in terra de filii et Nepotes domini Atenulfi habet per singula latera passus lxx; et per singula capita passus ix. Trigesima secunda petia finis habet de unu latu terra de Neapoli, aliu latu tenet via, habet per singula latera passus xxi; unum caput tenet in terra Sigenolfi, aliu capu terra de Neapoli, et per singula capita habet passus xvi. Trigesima tertia petia ibique de unu latu terra Sigenolfi, de aliu latu, et unu capu terra de Neapoli, aliud caput tenet in terra Stefanu Calbusu; habet per singula latera passus xiv, et per singula capita passus viii. Trigesima quarta petia de unu latu et amba capita tenet in terra de Neapoli, aliu latu in terra suprascripti Sigenolfi habet per singula latera passus lxiii; per singula capita passus v. Trigesima secunda *(sic)* petia de Lepsulo finis habet de unu latu terra suprascripti Pauli de aliu latu, et unu capu terra de Neapoli, aliud caput tenet in terra Sichelfrid, habet per singula latera passus xxxi; et per singula capita passus x. Trigesima septima petia de ipso Leussulo de unu latu et amba capita terra de Neapoli, aliu latu tenet in terra suprascripti Pauli habet per singula latera passus l; et per singula capita passus xiv. Trigesima octava petia de Tauro in loco Macerato finis habet de unu latu terra Petri Toccoli, de aliu latu terra de Neapoli habet per singula latera passus lxviii unum caput tenet in subscripta terra et terra de Filii, et nepotes domini Atenulfi habet exinde per traversum passus xxxiv aliud caput tenet in subscripta terra de Agemundo et inde habet passus xxii. Trigesima nona petia ibique de unu latu terra de homines de Filii et nepotes domini Atenulfi, aliu latu tenet in terra de homines Sancte Marie habet per singula latera passus liv, unum caput tenet in subscripta petia, et terra Petri Adeguli, habet exinde passus xxvi; aliud caput tenet in via, et inde habet passus xxiv. Trigesima nona petia ibique de unu latu terra de homines de ipsi filii domini Ate-

nulfi, aliu latu in terra de Neapoli, unum caput in subscripta terra habet per singula latera passus XXXIV, et per singula capita passus VIII. Quadragesima petia de ipsa Filiastra Sparanelli habet finis de unu latu terra de Filii Leoni Delitiosi, aliu latu et unu capu terra de NEAPOLI, aliud caput via, habet per singula latera passus LVI; et per singula capita passus VIII. Quadragesima prima petia de unu latu terra Leoni Clerici, aliu latu et unum caput Terra suprascripti Ursi Pennampede, aliud caput tenet in via habet per singula latera passus XXXVIII; et per singula capita passus XVI. Quadragesima secunda petia de unu latu et unum caput terra suprascripti Ursi, aliu latu terra suprascripti Pauli, aliud caput tenet in via, habet per singula latera passus XXXXIX; et per singula capita passus IV. Quadragesima quarta *(sic)* petia ibique de unu latu et unum caput via, aliu terra Monasterii S. Salvatoris, aliud caput in terra Leoni, habet per singula latera passus XXXXVI et per singula capita passus XXXXII. Quadragesima quarta petia ad POLBECA de unu latu et unum caput tenet in terra predicti Monasterii Domini Salvatoris, aliu latu terra de homines S. MARIE, aliud caput in via habet per singula latera passus XXXII, et per singula capita habet passus VIII. Quadragesima sexta *(sic)* petìa ad *ipsa monumenta* finis habet de unu latu terra de ipsi Leoni delitiosi, aliu latu terra Domìnici; unum caput de terra NEAPOLI, alium caput terra Leoni et Grimoli, habet per singula latera passus XXX; et per singula capita passus X. Quadragesima septima petia de amba latera terra subscripti Pauli unum caput tenet in via, aliud caput tenet *Magistri Militi* habet per singula latera passus XXX, et per singula capita passus VI. Quadragesima octava petia in CASAFERRE de unu latu terra Liuprandi, et Cimini, unum caput terra de Neapoli, aliu capu terra de homines de CASAFERRE habet per singula latera passus XXVIII; et per singula capita passus V. Quadragesima nona petia de Agimundo finis habet de unu latu terra Sparani, aliu latu terra suprascripti Monasterii Domini Salvatoris, amba capita tenet in via, habet per singula latera passus XXXIV; et per singula capita passus VIII. Quinquagesima petia in CASAFERREA de unu latu terra de NEAPOLI, aliu latu et unu capu tenet in subscripta petia, et terra Cimini, aliu capu terra subscripti Ursi Pennampede, habet per singula latera passus XXVIII; et per singula capita passus XXIV. Quinquagesima prima petia de unu latu et unu capu terra subscripti Cimini, aliu latu terra S. Rufi, aliud caput in terra subscripti Ursi, habet per singula latera passus XXXIV; et per singula capita passus IV. Quinquagesima secunda petia ibique de unu latu et unu caput terra suprascripti Cimini, aliu latu terra subscripti Ursi, aliud caput in subscripta petia, habet per singula latera passus XXX: et per singula capita passus XII. Quinquangesima tertia petia ibique de unu latu terra Ciminu de aliu latu terra, quae fuit Guisenolfi, unum caput in via, aliud caput in suprascripta habet per singula latera passus LVI; et per singula capita passus XVI. Quinquangesima tertia petia ibiqùe de uno latu terra suprascripti Ursi aliu latu Terra Leoni de modo, unum caput in suprascripta terra, aliud caput terra de Neapoli habet per singula latera passus LVI; et per singula capita passus VII. Quinquangesima quinta petia ibique: de unu latu terra suprascripti Ursi, aliu latu in Terra Leoni de modo unum caput Terra de Neapoli aliud caput in terra de homines de FECCIATA habet per singula latera passus XXX; et per singula capita passus V. Quinquangesima quinta petia ibique de unu latu Terra Liuprandi, aliu latu Terra Sancti Petri, unum caput in terra Landolfi Guiselgardi, aliud caput in terra de homines FECCIATA habet per singula latera passus LII; et per singula capita passus XV. Quinquangesima sexta petia ad *ipsa monumenta* de unu latu terra de Filii Leoni Delitiosi, aliu latu terra per homines de FECCIATA, unum caput terra de NEAPOLI, aliud caput terra *Sancti Petri*, habet per singula latera passus LXIV et per singula capita passus III. Quinquangesima octava petia ibique de unu latu terra Grimoli, aliu latu terra Petri, unum caput terra de NEAPOLI, aliud caput terra Sparanu, habet per singula latera passus XXXXVI; et per singula capita passus VIII. Quinquàngesima nona petia ibique de unu latu terra Sadiperti, aliu latu et unum caput terra de Monachi *de Cappella*, aliud caput terra Andoaldi, habet per singula latera passus LXII; et per singula capita passus V. Sexagesima petia de Leussolo ibique finis habet de unu latu

terra Alfani, de aliu latu terra supra scripti Pauli, unum caput tenet in via, aliud caput terra Gennari habet per singula latera passus XXVIII et per singula capita passus septem. Sexaginta prima petia finis habet de uno latu et unum caput terra supra scripti Pauli, aliu latu terra Petri Sclavi, aliud caput terra Magistri Militi, habet per singula latera passus XXX et per singula capita passus x. Ad mensuram de predictis passibus Landoni seniori Castaldei tote predicte terre mensurate sunt, ideo nos supra nominati Pandolfus et Landolfus Domini gratia Principes integra supera scripta CCC modia de dicta terra quae commune habemus cum Filiis et Nepotes Domini Atenulfi Principis in finibus PATRIA per passus mensuratos ut diximus habentes per unum quemque modium rationabiliter per singula latera passus XXX; et per singula capita passus XXX ; ad mensuram de supradicto passus mensurato seu et integra supra dictam quartam partem de superius dicte LVI petie de terris que commune habemus cum Neapolitanis, sicut supra diximus, insimul cum integra supradicta medietatem de jam dictae sexaginta et una petia de terris, qualiter superius per fines indicatae et mensuratae sunt, una cum rivis, et aquis, et semitis suis, cum septis et limitibus, et cum pertinentiis suis, et cum omnia inferiora et superiora sua, cunctum et integrum ipsos in prefato S.° monasterio B. Vincentii offerimus ad possessionem ejusdem monasterii et de ejus Abbatibus atque Rectoribus habendi et possidendi et faciendum exinde omnia quae eorum placuerint. Unde nec nobis nec uxoribus nostris nec alii cuilibet nullam servavimus, sed cunctum et integrum ipsas in praefato Monasterio offeruimus sicut supra diximus. Et obligamus nos qui supra Pandolfus et Landolfus Domini gratia Principes nos, et nostris haeredibus ad partem praedicti Monasterii et ad ejus Abbatibus atque Rectoribus integra supra dicta offertiones defendere et antestare semper a parte uxoribus nostris, et ab omnibus illis hominibus et Partibus qui pro parte vel datum nostrum per veracem scriptionem exinde aliquod tollere vel diminuere voluerint, eo quod in tali tenore et ratione ipsos in predicto Monasterio offeruimus unde obbligavimus nos qui supra Pandolfus et Landolfus Domini gratia Principes nos et nostribus haeredibus ad partem suprascripti Monasterii et ad ejus abbatibus atque rectoribus tali tenore ut si quocumque adveniente tempore nos aut nostris haeredibus hanc nostram offertionis cartulam per qualecumque ingenium dirumpere aut removere quaesierimus et si non fecerimus et non compleverimus exinde in eodem Monasterio, et ad eius Abbatibus atque Rectoribus ca omnia, sicut supra diximus, tunc ubi hec cartula nobis, et ad nostris haeredibus ostensa et relecta fuerit in publico judicio usque ad tertiam et quartam vicem et nos in eantea (*sic*) causando perseverare voluerimus centum bizantinos solidos pena nos et nostris haeredibus in jam dicto sancto et ven. monasterio, et ad ejus Abbatibus Rectoribus componere obbligavimus, et omnia supra dicta ibidem nos et nostris heredibus compleamus, et hec cartula nostre offertionis in omnibus sicut continet firma et stabilis permaneat in perpetuum. Et taliter nos qui supra Pandolfus et Landolfus Domini gratia Principes pro mercede animarum nostrarum fecimus; et ita tibi Adenolfo Notario scribere precepimus. Capua. Ego Adelmundus Judex. Ego Madelmus Imperialis Protospatarius. Ego Petrus Notarius. Ego Iaquintus Notarius.

VII.

NEAPOLITANI DUCATUS

INSCRIPTIONES QUOTQUOT SUPERSUNT

ACCEDIT

DE EIUSDEM AEVI SIGILLIS ET NUMMIS

MANTISSA

PRAEFATIO

E quamplurimis, quae olim in ecclesiis urbis nostrae ac praesertim in coemeterio aut in basilica S. Ianuarii extra moenia exstabant, inscriptionibus ad aevum ducale pertinentibus, paucae tantum nunc nobis quidem supersunt. Earum aliquot ad altarium mensas plerumque constituendas, aliquot ad ipsarum sacrarum aedium construendarum materiam praebendam ex adverso adhibitae fuerunt; plurimae vero marmoribus dissectis ad eiusdem basilicae S. Ianuarii pavimentum efformandum aptatae, velut Absyrti membra, adeo disiectae atque humi stratae iacuerunt, ut saepe docti viri in illis conciliandis vel integrandis frustra operam impenderint, et ex compositis fragmentis magis. reliquorum deperditorum iacturam dolere debuerint. Id non sine lacrymis canonicus Celano, Pelliccia aliique nostrates conqueruntur. Plurimum igitur debemus illis de patria historia benemerentissimis viris, qui eas quae ipsorum temporibus habebantur posteritati tradiderunt, et in primis Caesari d'Eugenio, qui saeculo XVII tum ipsas tum alias infimi aevi omnes in opere: Napoli sacra *collegit et nobis servavit.*

Has itaque monumentorum hujus generis ad aevum ducale pertinentium reliquias, sive ab autographis ipsis, sive a patriorum scriptorum apographis transcriptas heic ego excipio, ordine topographico dispono, atque notis et varietate lectionis, ubi opus erit, exorno. De eis vero pauca tantum habeo quae hoc loco praemoneam. Et primum notandum est earum alias graeco sermone, alias graecis tantummodo litteris scriptas, quasdam carminibus vel rhythmis, quasdam denique acrostichis compositas esse. Ut plurimum sepulcrales sunt et aetatis incertae, nam imperatorum Byzantinorum notis chronologicis carent, nec ex formulis adhibitis, nec ex lapidum palaeographia, cum originales desint, aliquid certi desumi potest. Quapropter non inficior aliquas ex eis ad tempora quae proxime aevum ducale antecesserunt, pertinere forsitan potuisse; sed in dubiis, judicium ferre nolui et magis abundare quam deficere constitui. Neque contra Surrentinas et Litterenses, quarum aliquot certo ad illud tempus, quo ista regio Neapolitanis ducibus se subduxerat, spectant, ab hac sylloge excludere volui, quippe quae a nostro argumento non sunt omnino alienae et patriis scriptoribus penitus ignotae nunc primum in publicam lucem prodeunt.

I.

Inscriptiones Neapolitanae scil. ad urbem et agrum Neapolitanum pertinentes.

(1)

ΘεοδΩΡΟCΥΠΑΤΟCΚΔΟΥΞΑΠΟΘΕΜΕλιων
τοΝΝΑΟΝΟΙΚΩΔΩΜΗCΑCΚΤΗΝΔΙακο
νιανΕΚΝΕΑCΑΝΥΞΑCΕΝΙΝΔΤΕΤΑΡΤΗΥπο
λΕΟΝΤΟCΚΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΥΤΟΝΘΕΟΦυΛΑΚΤΟΝΒΑCΕΙΛΕΟν
εΝΤΕΠΙCΤΗΚΤΡΟΠΩCΕΠΤΟCΜΕΤΕCΤιΤΟΥΒΙΟΥΕΝΘΑΔΕΖΗCΑCΧΡΙCΤΩ
ΕΤΗ ΚΑΙ Μ

(Θεόδ)ωρος (1) ὕπατος καὶ (2) δοῦξ ἀπὸ Θεμε(λίων)
(τὸ)ν ναὸν οικοδὸμησας (3) καὶ (4) τὴν δι(ακό)
(νιαν) ἐκ νέας ἄνυξας (5) ἐν ἰνδ (6) τετάρτῃ (7) ὑ(πὸ)
(Λ)έοντος (8) καὶ Κονσταντίνου τῶν θεοφιλάκτων (9) βασιλέω(ν) (10)
(Ε)ν τε πίστι καὶ τρόπῳ σεπτὸς (11) μετεστὶ (12) τοῦ βίου ἐνθάδε ζῆσας Χρίστῳ
ἔτη...... καὶ...... μ......

Inscriptio haec, quae nunc in ecclesia S. Mariae *Donnaromita* prostat, olim, uti iam alibi dixi, in ecclesia seu diaconia Ss. Ioannis et Pauli in regione Nilensi, exstabat. Postmodum ista ecclesia, ut novum Pp. Iesuitarum collegium exaedificaretur, a. 1592 diruta, eiusque titulo, beneficio et juribus patronatus in proximam S. Silvestri parochialem ecclesiam translatis, ipsa etiam ibi aliquando reposita fuit; donec, ea, paucos post annos, cum parochia aboleretur et sacra aedes gynecaeo Ss. Philippi ac Iacobi aggregaretur, inde ablata atque in alium nec cognitum locum transducta, monumentum omnino deperditum fuisse creditum est, et eius jacturam Summontius et Capaccius enixe conquesti sunt. At bono Neapolitanae historiae fato superfuerat. Anno enim 1629 Ioh. Paulus de

(1) Omnes θεοδορος legunt; at lineolae ex marmoris sectura superstites potius ω quam ο in quinta littera indicant, et proinde ego: θεοδωρος reposui. Ita etiam legit Millin ap. *Corpus Inscr. graec.* t. IV, n. 9542.

(2) Haec vox καί in marmore singulari κ exprimitur: Lineola vero, contractionis nota, ad pedem litterae apposita, quae Martorellii tempore adhuc visebatur, nunc evanuit.

(3) Pro οικοδομησας; ut scribi debuisset, et plerique hac de causa legunt. Hujusmodi permutationes litterarum, prout doctissimus Montfaucon animadvertit, labente linguae graecae usu, fuerunt inductae.

(4) Heic etiam, ut et in vv. 5 ac. 6, in littera κ pro καί adhibita breviationis lineola evanuit.

(5) Al. ανυσας.

(6) Et hic in angulo inferiore dextro littera Δ breviationis notam amisit.

(7) Τεταρτι. Montfaucon.

(8) Ex litterae υ lineis tunc superstitibus Martorellius υπο Λεοντος supplevit; omnes alii ἐπί reposuerunt. Contra ex ingenio Fabius Iordanus, Celano, Montfaucon, Assemani aliique της βασειλιας addiderunt.

(9) Minus recte Montfaucon, Assemani aliique θεοφιλων και των βασιλεων σεμνως βιωσας legerunt.

(10) Millin minus recte legit: ΒΑCCΙΛΕΟ.

(11) Heic magis quam in ceteris locis apud scriptores depravata est marmoris lectio. Fere omnes legunt: εν τω μενσε οκτωβριου *in mense octobris.* Solus Martorelli aliter, nec quidem rectius, vocem σεπτος mancam autumans, σεπτεμβρίος interpretatus est. Contra etiam minus recte legit Millin.... ντε..... σεπτομετεστη τουβιουσποΛΛδεζησας?

(12) Littera ι caractere aliquantulum minore in marmore inscripta est.

Duce veteris ecclesiae Ss. Ioannis et Pauli patronus ac Aloysius Milano rector, quodam sacello in ecclesia S. Mariæ *Donnaromita* conquisito et perpolito, ibi lapidem cum graeca epigraphe parieti affigere, latinam interpretationem marmori incisam addere et inferius arcam marmoream ad Theodori ducis corpus condendum verisimiliter adhibitam collocare curaverunt, atque id lapide contra apposito posteris testatum voluerunt (1). Sic monumentum usque ad nostra tempora pervenit.

Ipsam græcam epigraphen quamplurimi tum nostrates, tum exteri scriptores sive mendose exscriptam, sive parum fideliter sive ex ingenio interpolatam prodiderunt, neque doctissimi quique ex eis viri ab erroribus immunes se se praestiterunt. ut praecipuos recenseam, primi Falco, qui versionem latinam tantum dedit (2), Stefano et Fabius Iordanus (3), atque eos secuti Summontius (4), Capaccius (5), ac D'Engenio (6). Ita deinceps, etsi in pluribus rectius, Celano (7) qui interpretationem Bernardi de Cristofaro adhibuit, Montfaucon (8), qui, ut Martorellius inquit, *vix unam aut alteram vocem binorum extremorum versuum secundum* πρωτότυπον *operi suo inscripsit*, et Assemanius (9), qui quaedam etiam menda graeci textus notare et corrigere curavit. Ita denique Corsinius qui nil novi suppeditavit (10), Mazochius, qui marmor ut ipse fatetur, non vidit (11), nec non Pratilli (12), Troyli (13), Sabatini (14) et Sigismondo (15), qui vel unum vel alterum praecedentium scriptorum exemplar aut interpretationem exhibuerunt.

At dimidio fere pluris quam saeculo superiori cl. vir Martorellius, videns titulum ad Neapolitanam medii aevi historiam illustrandam pretiosissimum, *adeo turpem in tot libris civium atque exterorum inscriptum per urbes volitare*, ipsum patientissime exscriptum ad fidem marmoris aere incidi et operi suo inserere atque exhibere curavit (16).

Martorellii denique lectionem secuti sunt Sparano (17), Pelliccia (18), et Franz (19). Hic praeterea textum in tabulam repetivit, et ex exemplo, quod Millin propria manu in margine libri Sigismundiani adscripsit, quasdam varietates addidit. Alios recentiores, qui nil melius præbent, ne longior ultra quam satis est fiam, libenter praetereo.

His præmissis, nunc monumentum ipsum, quod integrum in tab. lithographice expressum, ad P. I. hujus voluminis apposita exhibui, breviter describere juvat. Exstat, uti jam innui, in ecclesia S. Mariae *Donnaromita*, et proprie in sacello, quod ingredientibus extremum ad lævam se praebet. Ibi etiam ad lævam aspicientis duo lapides, alter cum graeca inscriptione supra, alter inferius cum latina interpretatione, parieti affixi prostant, ita ut unus et idem videri possint. Id certe a. 1629, uti supra dixi, factum fuit, et fortasse tunc, ut utrique lapides inter se concinne aptarentur, marmorarius graecum epitaphium, ubi ob grandiores litteras aliquantulum lineam excedebat, ex utroque latere sed magis ex dextro lapidem dissecuit. Interpretatio latina ab aliquo graecæ linguae et palæographiæ parum gnaro confecta sic se habet.

Theodorus consul et dux qui a fundamentis templum erexit et diaconiam ex novo perfecit indictione quarta regni Asontis et Constantini amatorum Dei et regum qui pie in fide et conversione sexto mense octobris vixit Christo annos XL (20).

Uterque lapis mense majo anni 1880 ex improviso a pariete divulsus corruit et in partes effractus ad solum jacuit; sed, statim ut id innotuit, octoviri ad monumenta Neapolitanae provinciae

(1) Ipsum refert De Lellis, *Aggiunta a Napoli sacra* p. 156.

(2) Di Falco, *Antichità di Nap.*, p. 35 ed. del 1680.

(3) Stefano, *O. c.* p. 27. — Fabius Iordanus, *Hist. Neap.*, Ms. f. 33.

(4) Summonte, *Hist. di Nap.* t. I, p. 394.

(5) Capaccio, *Hist. Neap.* t. I, p. 97.

(6) D'Engenio *O. c.* p. 308.

(7) Celano, *Notizie*, etc. G. III. Adnotator hujus libri in editione a. 1758 addit aliam lectionem et interpretationem lapidis, quam ipse a Martorellio acceperat, antequam is opus suum *De reg. theca calam.* publici juris fecisset. Ubi est notandum quod interpretatio ista omnino immunis est ab erroribus circa indictionem et mensem, in quos doctus vir secundis, ut videtur, curis incidit.

(8) Montfaucon, *Diar. ital.* p. 215.

(9) Assemani, *Ital. Hist. script.* t. III, p. 26 et ss.

(10) Corsini, *De not. Graec.* p. 30.

(11) Mazzocchi, *De cath. eccl. Neap.* p. 252.

(12) Pratilli, *Hist. princ. Lang. Peregr.* t. III, p. 337.

(13) Troyli, *Hist. del r. di Nap.* t. III, p. 183.

(14) Sabatini *Calend. Nap.* t. VI, p. 82.

(15) Sigismondo. *Descr. di Nap.*, t. II, p. 54.

(16) Martorelli, *De reg. theca cal.* p. 530.

(17) Sparano, *Mem. stor. della chiesa Nap.* t. I, p. 161, Hic ipsam etiam Martorellii tabulam repetivit.

(18) Pelliccia, *De Christ. eccl. politia*, t. III, p. II, p. 65.

(19) *Corpus inscript. graec.* t. IV, fasc. I. n. 9542.

(20) Heic pro re nata ut error tabulae lithographicae, ubi n. XI pro XL, irrepsit, corrigatur rogo.

servanda statuti, me efflagitante, utrumque summa diligentia restaurare, et eodem, ubi prius fuerat, loco reponere fecerunt, cura et studio cl. viri Michaelis Ruggiero architecti.

Subter utrumque lapidem parieti etiam affixa, sed ea ratione ut aliquantulum ex ipso promineat exstat arca marmorea, quae olim paganum cujusdam romani viri sarcophagum esse debuit.

Ibi quaedam bacchica (1) fabula, quae in hujusmodi monumentis ethnicae superstitionis tempore factis frequenter occurrit, ex opere anaglypho repraesentatur. In dextro enim spectatoris latere conspicitur Ariadne, quae a Theseo in insula Naxo derelicta jacet humi moerore somnoque gravata, atque juxta aliger Amor laeva facem tenens et dextra vestem puellæ aliquantulum attollens, eam Baccho ostendit, qui contra stat, et eximiam miramque formam stupet. Retro quaedam figura visitur, de qua nil aliud nisi thyrsus, quem in manu gestat, percipi potest. Ab alio latere est Baccha, quae passis capillis tympanizat et se vertit ad capripedem Panem, qui dextra eius pallam per fimbrias apprehendit, ac laeva facem, quam tenet, quassat, et infra haedus humi procumbit atque larva histrionalis jacet. In medio denique visitur aedicula duabus aliquantulum rudibus columnis suffulta, quae supra stylobatem positam cujusdam viri togati usque ad pectus imaginem habet. Ipsum ad eum, qui prius in descripto sarcophago depositus fuerat, mihi pertinere videtur; haud enim verisimile est, saeculo VIII post Christum natum, Neapolis ducem Theodorum toga indutum in tumulo repraesentatum fuisse.

(2)

✠ ΕΓΚΕΝΗCΘΗΤΟCΕπ
ΤΟΝ. ΕΥΚΤΗΡΙΟΝΤΟυ
ΤΡΕΙC. ΟΛΒΙΟVΜΑρ
ΤΥΡΟC. ΟΥΑΡΟΥεπι
ΤΙCΙΕΡΑΡΧΙΑCCΤεφα
ΝΟΥΤΟΥΑΓΙΩΤΑΤου
ΕπΙCΚ. ΤΗCΝΕΑπΟλι
ΤΩΝπΟΛΕΟCΜΗνιοκ
ΤΩΒΡΙΩ.

Ἐγκαινίσθη (2) τὸ σεπ-
τὸν εὐκτήριον (3) το(ῦ)
τρισολβίου μά(ρ)
τυρος (4) Οὐάρου (ἐπὶ)
τ(ῆ)ς ἱεραρχίας Στ(εφά)
νου (5) τοῦ ἁγιοτάτ(ου)
ἐπισκόπου τ(ῆ)ς Νεαπο(λί)
των πόλεος μη(νὶ ὀκ)
τωβρίῳ.....

Inscriptionem hanc e codd. Mss. Marcelli Boniti, viri de regni Neapolitani, et praesertim de Amalphitanae regionis historia optime meriti, exscriptam primus in lucem edidit suisque aliquibus non omnino spernendis adnotationibus illustravit Cajetanus Mansi, civis Scalensis; anno 1771 (6). Olim, ut cl. vir. Matthaeus Camera (7) testatur, Amalphiae in cathedrali ecclesia visebatur. A Mansi eam exceperunt Marini (8), Franz (9) atque ipse Camera (10).

Titulus, uti ex eiusdem verbis patet, appositus

(1) In hoc anaglypho explicando, ut per quos profecerim fatear, mihi praesto fuit clarissimus vir Iulius Minervinius, cujus summa, in quibuscumque antiquitatis studiis, doctrina omnibus explorata est. Ipse materiam hanc erudite, uti solet, post Boettiger, *Ariadne*; Raoul-Rochette, *Choix des peintures de Pompéi* p. 27 et ss. et p. 73 et ss.; Iahn, *Archaeologische Beiträge*, p. 251-290 disseruit in *Bull. Arch. Nap.* N. S. anno II, p. 67 et ss.

(2) Ab 'εγκαινίζειν *dedicare* quae vox etiam mediae graecitatis. Cf. Ducange, *Glossarium* c. 343.

(3) Alia vox eiusdem notae: Cf. eumdem Ducange, c. 446.

(4) Passio S. Vari militis sub Maximino imp. in Aegypto adnotatur in *Martyrologio Romano* ad diem 19 octobris. De eo *Acta Ss. Boll.* t. VIII, octobr. p. 428.

(5) In Menoeis Graecorum, cum de S. Patricio Prusae episcopo est sermo, quidam Stephanus Neapolitanus episcopus occurrit, qui etiam sanctissimi (ἁγιωτάτου) titulo cohonestatur. Ipsum, de quo ibi Vesuvianum iucendium sollemni prece indicta extinxisse narratur, Mazochius, quem haec inscriptio latuit, primum hujus nominis fuisse contendit, duplici potissimum usus argumento: et quia scil. huic antiquiori magis quam posteriori sanctitatis epitheton conveniat, quippe qui *bonitatis studio* a Ioanne Diacono laudatur, et quia ejusdem temporibus illa Vesuvii montis eruptio a. 512, de qua Cassiodorus. accidit, cum nulla similis clades, Stephano II Neapolis episcopatum regente, memoriae prodita fuerit. At nunc utraque ratio aperte profligatur, cum ex hac inscriptione, quae ad Stephanum II certe pertinet, tum ex aliquibus Menoeorum codd. nuper ab abate Cozza Luzi evolutis, unde clare evincitur ibi quoque de Stephano II tractari. Monumentum ex ipsis codd. a doctissimo viro depromptum anxie expectamus.

(6) *Novelle lett. Fior.* a. 1771, vol. II, p. 294.

(7) Camera, *Mem. stor. del duc. Amalf.* t. II, p. 296.

(8) Marini, *Script. vet. nov. collect.* Mai. t. V. p. 194.

(9) *Corpus inscr. Graec.* t. IV. n. 8668.

(10) Camera *l. c.*

fuit cum *oratorium beatissimi martyris Vari dedicaretur sub pontificatu Stephani sanctissimi episcopi urbis Neapolitanorum mense octobri.* Annus vero in marmore desideratur, nec ex re proprie definiri potest; sed, si ad Stephani Neapolitanorum episcopi mentionem inibi factam et ad oratorii encaenia Amalphiae sub eius imperio peracta animum adverteris, facile quo tempore id acciderit, conjici poteris. Is enim neque primus, neque tertius huius nominis Neapolis episcopus esse potuit, quippe qui nullam in regione Amalphitana dominationem habuerunt. Contra tempore Stephani II, qui dux idemque Neapolitanorum episcopus fuit, Amalphis sub Neapolitano ducatu exstabat, ut ex Pp. Hadriani litteris et ex aliis illius aevi testimoniis certo eruitur. De Stephano igitur II, qui Neapolis dux ab a. 755, et episcopus ab a. 768 usque ad a. 800 extitit, inscriptio loquitur; oratorii vero dedicatio inter a. 768 et 800 adsignari debet, cum Stephanus hic dux, episcopali infula accepta, maximam in regionibus Byzantino imperio subjectis et apud ipsum summum Pontificem auctoritatem habuerit.

(3)

CAESARIVS CONSVL TENERIS SVBLATVS IN ANNIS HIC RECVBAT MORIENS VAE TIBI PARTHENOPE
AETERNVM MEDIO GESTAS (1) IN PECTORE VVLNVS (2) MILITIBVS PERIIT MVRVS ET ARMA TVIS
ET MEA QVI HVNC GENVI VOS VVLNERA FLETE PARENTES QVI SOBOLVM CVPITIS TAM BENE SORTE FRVI
SORS MEA DETERIOR DVLCIS IN FVNERE NATI CVJVS FLAMMA MEVM PECTVS VBIQVE CREMAT
APTVS (3) ERAT CVNCTIS VERBO CEV PROBVS IN ACTV CONSILIO SOLLERS FORTIS AD ARMA SIMVL
REX ROMÆ PRÆCELSA NOVAE QVO SCEPTRA REGVNTVR PRÆTVLIT HVNC NOSTRA CIVIBVS VRBE SVIS
ISTIVS AVXILIO LONGÆVA PATERNA SENECTVS TVTA REGEBATVR TAMQVE QVIETVS ERAM
VIRTVS INGENIVM PIETAS PATIENTIA SVMMA VAE CVI CVM GENITO TOT PERIERE BONA
SIC BLANDVS BARDIS ERAS VT FOEDERA GRAIIS SERVARES SAPIENS INVIOLATA TAMEN
CONSVL POST PRÆSVL GENITOR MONVMENTA PARAVI CVI FVERAT CVRÆ CONDERE MEMBRA PATRIS
O MIHI NON PROLES (4) TANTVM SED COLLEGA FIDVS CVI TANTOS LINQVIS QVOS TVVS AVXIT AMOR
NVTRITVS OBSES ARICHIS MODERAMINE SANCTI SERVASTI PATRIAM PERMEMORANDE TVAM
SEX QVATER ET BINOS HIC IAM TRANSCENDERAT ANNOS CVM FLAMEN CHRISTO REDDIDIT AETHRE SVVM
VITA SENIS TENVIS POST NATI FVNVS ACERBVM POST ILLVM PAVCIS CREDO DIEBVS (5) EAM
LVX TE PRAECEDAT CHRISTI KARISSIME FILI SANCTE IANVARI QVOD PETO POSCE DEVM
DEP. EST XII KAL. OCT. IMP. NOVO CONSTANTINO ET EIRENI (6) AVG. ANN. XIIII (7), IND. XII, (8).

Huic, quam supra retuli, alia quandoque inscriptio, quae verisimiliter saec. XVI eidem apposita fuit, subjacebat, et erat hujusmodi:

ARICHIS PRINCEPS SALERNI PRIMUS SECUM E PARTHENOPE DUXIT OBSIDEM CAESARIUM CONSULEM, OB TRIBUTI CAUTIONEM. SICO PR. QUARTUS LAPIDEM SALERNUM TRANSTULIT. LADISLAUS REX POSUIT IN ARA MAIORI AT FLAMINES POSUERE IN SUBLIMI (9).

Lapis igitur, ut plurimi nostrarum rerum scriptores tradunt, et ex invocatione, quae in extremo eiusdem inscriptionis versu legitur, recte argui potest, in coemeterio seu basilica S. Ianuarii extra moenia exstabat. Inde jam pridem ablatus, et forsitan a Sicone Beneventi principe (a. 818-832) Salernum transvectus, in ecclesia S. Francisci fratrum Minorum conventualium a saec. XV usque ad nostra tempora, primum in tabula maximi altaris (10), dein in pariete chori visebatur. Sub initium vero hujus saeculi, conventu ob piorum locorum abolitionem in carcerem traducto, deperiit neque ulla de eo memoria, quamvis summo studio a me sit expetitus, usque adhuc reperiri potuit (11).

Epitaphium egregii juvenis, acrosticho carmine unde nomen et dignitas eiusdem eruitur, compositum primi Fabius Iordanus (12) et quidam Gallus, cui nomen Vallambert (13), medio saec. XVI.

(1) *Gestans*, Vallambert, ap. Mommsen in *Neues Archiv der Gesellschaft für alt. Deutsch. Gesch.* 1878, t. III, p. 403.

(2) Heic, ut et deinceps, inter hexametrum et pentametrum semper corymbum sive hederae folium adnotat Fabius Iordanus; Vallamb. vero ipsum aliquando, scil. vv. 5, 9, 11, 23, 29, omittit.

(3) *Actus*: Vallamb.

(4) *Prolis*: Vallamb.

(5) Heic Iordanus etiam corymbum adnot. Vall. *dieb.* legit.

(6) *Hereni*. Vallamb.

(7) Male Di Meo heic, *malefidum* Ubaldum secutus, pro anno XIIII annum VIII reposuit.

(8) Vallamb. heic addit quoque corymbum.

(9) Mazza, *De reb. Salern.* p. 71, et post eum rectius Di Meo ad a. 789, haec quae supra leguntur, addunt.

(10) Sic Vallambert medio saec. XVI asseruit.

(11) V. dissertationem meam; *L'epitaffio di Cesario console di Napoli* nell'*Archivio Storico Napolit.* anno 1879, p. 537.

(12) Fab. Iordani, *Hist. Neap.* Ms. in bibl. *Nazionale.*

(13) Eius apographum extat. in Ms. cod. vatic. n. 6039,

exscripserunt; primi vero Summontius et Capacius sub initium saeculi sequentis in publicam lucem ediderunt (1). Hos proxime insecuti sunt d'Engenio, Peregrinius, Chioccarelli, Ughellius (2) atque paulo recentior Mazza (3), et saeculo XVIII P. Hieronymus a S. Anna, Troyli atque Di Meo (4). Nostra aetate ipsum repetiverunt Ioseph Fusco (5), qui variantes etiam praecedentium scriptorum lectiones contulit, et alii eidem posteriores, quos ne longus sim, praetereo. His denique addenda est exempli Vallambertiani editio a Mommsenio nuper facta (6) et a me cum collatione lectionum Fabii Iordani post cl. virum repetita. Ex his, qui satis verisimiliter lapidem viderunt, ego ipsius epitaphii textum exprimo; variis aliorum lectionibus, quippe quae ex eorum ingenio propositae fuerunt, libenter praetermissis. Quoad vero eiusdem epitaphii argumentum, Caesarii scilicet consulis historiam et ipsius cum aliis medii aevi fontibus concordantiam atque probabilem carminis auctorem attinet, nihil heic adjicere opus est, cum de his in I vol. p. 67 et in *Archivio storico Napolitano* satis ample disseruerim.

(4)

S*EBA* (7) *CVM FAC*INORIBVS INVASIT ME HORROR MORTIS
T*ELLVS IN P*VLVEREM REDACTA CARO MEA QVIEVIT
EX*PECT*ANS VENTVRVM MEVM DE CŒLIS FACTOREM CVM FIDE
PR*OMISSIONIS* RESVRRECTIONISQVE SVBSTINENS DIEM VT IOSEP
HAE*C* $\overline{XPI}$ *MARTYR* IANVARI DEPOSCO VT PER TE MEIS DELICTIS IGNOSCAT SABAOTH
AT*TENDITE* (8) QVID MVNDI MIHI PROFVIT MISERO GLORIA
NVNC DOR*MIENS* SILEO BAPTISMI HABENS FIDVCIAM TAMEN
VEHEMENTER CONIVX DEFLET ET MERENS LVGET ME DIV
SODALES ETENIM MEI CVNCTI ME SVNT OBLITI VIVENTES
CVM EX ILLIS SIT NVLLVS QVI SENTENTIAM EVADAT HANC
OMNIS ERGO MALEDICTVS CVIVS COR RECEDIT A DEO
NEC VLLVS SALVABITVR VIVENS NISI DEI CREBRO INVOCAVERIT NOMEN
SED DEI GENITRIX VIRGO MERITIS ME TVERE TVIS
VT IN AETERNI (9) EXAMINIS DIE A PERPETVO ERIPIAR INTERITV
LAETARIQVE CVM SANCTIS MEREAR DVM AD IVDICANDVM VENERIT HEMMANVEL

REQVIESCIT HIC STEPHANVS DVX ET CONSVL. VIXIT ANNOS XXXIV
OBIIT XVI (10) MENSIS MAJI IND. OCTAVA SED ET EIVS CONIVX
NON VIT (11) THEODORI NEAP. DVCIS (12) F. PONITUR HIC IMPERANTE D.
CONSTANTINO AN. VI (13) ET LEONE AN. XVIII (14).

De loco, ubi lapis hic olim stetit, haec a Bolvito, saeculi XVI scriptore, habemus « In basilica Sancti Ianuarii extra portam urbis a S. Severo aedificata, est quaedam tabula marmorea antiquissima in superiori gradu altaris, in qua istud *(supra relatum)* epitaphium est inscriptum ». Saeculo insequenti sive casu sive ex incuria effractum ipsum memorat D'Engenio. Nostris vero temporibus eiusdem parvum tantummodo fragmentum ibidem in coemeterio superest, quod supra litteris inclinatis denotatum est.

Inscriptionem , quae primis et extremis acrostichis defuncti nomen et munus scil. *Stephanus consul* repraesentat, iidem nostrates, qui praece-

in fine aliquot litterarum formae in marmore adhibitae exprimutur.

(1) Summonte, *O. c.* t. I, p. 412, ed. 1675; Capaccio, *O. c.* t. I, p. 110.

(2) D'Engenio, *O. c.* p. 635; Pellegrini, *O. c.* t. III, p 333 ed. Pratillio; Chioccarelli, *Ant. Neap.* p. 75; Ughelli *Italia sacra* t. VI, p. 63.

(3) Mazza, *l. c.*

(4) Sant'Anna, *Vita di S. Gennaro* p. 225; Troyli, *Istor. Nap.* t. III, p. 185. Di Meo, *Annali crit. dipl.* t. III, p. 166.

(5) Fusco Gius. *Dichiarazione di alcune iscrizioni pertinenti alle catacombe di S. Gennaro dei poveri* Nap. 1839 in 8°.

(6) *Neues Archiv.* etc. 1878 l. c.

(7) *Sebae* i. e. *saepe* legunt Capacius et D'Engenio.

(8) *Actendite.* D'Engenio.

(9) *In* deest in aliis.

(10) *Fil. Antonii! (Antimi* Iord.) *secundi Comes Castri! Vixit an. XXXIV dies XVI.* etc. Bolvitus. et Iordanus.

(11) Ita Capacius ac D'Engenio; *cum viro* Troyli.

(12) *Nobilis Teodoti* (sic) *nomine I ducis.* Bolvitus et Iordanus.

(13) *Ann. LII.* Bolvitus.

(14) *Ann. XVIIII.* Bolvitus.

dentem, praeter Summontium, Mazzam et Chioccarellium, retulerunt. Ego ipsam, quatenus rhythmum continet, e Bolviti textu cum antiquiorum scriptorum variis lectionibus collato heic repeto; quae vero post rhythmum addita sequuntur, atque apud omnes et praecipue apud Bolvitum corruptissima sunt, neque ulla conjectura vel quavis divinatione emendari possunt, ea a Capacio et D'Engenio depromo. Notae praesertim chronologicae impp. Constantini et Leonis, quae ad aetatem fere integro saeculo duci Stefano superiorem pertinent, aperte obstant quominus ad eius uxorem postrema epitaphii verba tribuantur. Quapropter ego ea ex alio lapide ad istum transducta fuisse et cum ipso in unum coaluisse suspicor. Ceterum utcumque sit, haec certe inscriptionis pars vel male intellecta vel ex arbitrio descripta interpolationem omnino sapit; quod quidem minime ipsum antecedentem rhythmum, ut P. Di Meo acriter contendit, falsitatis insimulare potest; fragmentum enim vetusti lapidis adhuc superest et eius veritatem ostendit.

(5)

BARDORVM BELLA INVIDA HINC INDE VETVSTA AD LACRIMAS PARTHENOPE COGIT SAEPE TVOS
ORTVS ET OCCASVS NORIT QVO SICO REGNAVIT SVADENDO POPVLOS MVNERA MVLTA DABAT
NAM MOX HIC RECVBANS VT PRINCIPATO REFVLSIT EOSQVE PERDOMVIT BELLIS TRIVMPHIS SVBDIT
VT VEREOR AFFATIM NVLLVSQUE REFERRE DISERTVS ENVMERANDO VIRI FACTA DECORA POTEST
SIC VBI BARDOS AGNOBIT AEDIFICASSE CASTELLOS ACERRAE ATELLAE DIRVIT CVSTODESQVE FVGAVIT
CONCVSSA LOCA SARNENSIS INCENDITVR FVRCLAS CVNCTA LAETVS DEPRAEDANS CVM SVIS REGREDITVR VRBEM
OMNIBVS EXCLVSIS ISTO TANTVM RETINEBIT ANTRO METIVM (1) ET ANNVM BREBE DVCATV GERENS
NAM MORIENTE EO TELLVS MAGNO CONCVSSA DOLORE INDE VEL INDE PAVPER LVXIT ET IPSE SENEX
SIBI O QVAM DVRIS VXOR CEDIT PECTORA PALMIS SVBTILI CLAMITANS VOCE MORI PARATA SATIS
VLVLATV POTIVS COMMVNIA DAMNA GEMENTES PAX QVIA NOSTRA CEDIT, SED DECOR IPSE SIMVL
LOQVAX VIGILIS TANTVM HABEBATVR AB OMNI VT MORIENS POPVLI CORDA CREMARET IDEM
EHV TENERI QVAM LACRYMAS POTIVNTVR INFANTVM CLAMITAT IC (2) NOBIS PAXQVE PABORQVE FVIT
TVRMATIM PROPERANT DIVERSI SEXVS ET ETAS FVNERE DE TANTO VOCES VBIQVE GEMVNT
DAPSILIS ET FORTIS SAPIENS FACVNDVS ET AVDAX PVLCHER ERAT SPECIE DEFENSOR VBIQVE TOTVS
VIRGO PRAECIPVA MATER DOMINI POSCE BENIGNA VT SOCIARE DIGNETVR BEATORVM AMOENIS LOCIS
XLVIII HIC VIXIT ANNOS OBIIT DIE NONA MENSIS IANVARII PER INDICTIONE DVODECIMA

Lapis hic exstat adhuc in ecclesia S. Mariae *ad plateam* in regione Furcillensi, affixus in pariete, qui est a sinistris intrantis. Ejusdem ectypon ex *phototypia*, uti dicunt, expressum habetur infra in tab. XIII; exemplum vero in plurimis post Summontium scriptoribus, quos heic enumerare superfluum est; nam, cum archetypum exstet, et qui ipsum exscripserunt fere in omnibus conveniant, nulla de lectionum varietate nobis cura.

(6)

QVISQVIS AD HAEC SANCTI FESTINAS TEMPLA IOANNIS OBSECRO SVBSISTENS CARMINA CERNE MEA
HIC QVOQVE COGNOSCES PEREVNT QVOD REGNA POTENTVM PRAEDIA DIVITIAE VMBRA VELVT TENVIS
HIC EVPHEMIAE REQVIESCVNT MEMBRA BENIGNA NVRVS GREGORII (3) QVAE DVCIS ALTA FVIT
NAMQVE VIRO IVNCTA STEPHANO DVM VIXIT IN ORBE SEMPER AMANDO DEVM AD BONA PROMPTA FVIT
ORPHANVS ET PAVPER HVIVS SOLAMINE VIXIT TRISTIS ET AFFLICTVS COMMODA SENTIT OVANS
SEMPER ERAT VIGILANS MEDITANDO GAVDIA CHRISTI QVALITER IN COELO POSSIT HABERE LOCVM
TANDEM POST MVLTVM FAMVLANDO RITE TONANTI DEBITA PERSOLVENS PERGIT AD ASTRA POLI
INCLYTE PRAECVRSOR DOMINI ET BAPTISTA IOANNES DICITE DEVOTE SAEPE PRECANDO DEVM
CHRISTE SALVS MVNDI HOMINVM PLASMATOR OPIMVS DONA EVPHEMIAE GAVDIA SANCTA TVAE.

HAEC NOS GREGORIVS PRAEFECTVS ATHANASIVSQVE LEVITA TRISTES MATER AMANDA.... (4)

(1) Pro *medium*.

(2) Sic in marmore pro *hic*.

(3) Quis Gregorius iste dux fuerit incertum est. Secundum fuisse autumat Pratillius, illum scil. qui Sergii I filius fuit, et ducatum rexit ab anno 864 ad annum 870. At nil prohibet quin de tertio cogitetur, qui inter a. 898 et 916 imperavit. Ego cum Capacio rem in ancipiti relinquo.

(4) Ingeniosus et eruditus vir Vincentius de Ritis, qui hoc epitaphium refert in scripto, cui titulus : *La Chiesa Napoletana*, feliciter verbo: VALE lacunam istam explet et versum absolvit. V. *Annali Civili*, anno 1844, fasc. 72.

Lapidem olim in ecclesia S. Ioannis *majoris* positum primus a. 1607 protulit Capacius. Post eum exhibuere D'Engenio, et inde Pratillius (1). Recentiores praetereo. Verisimiliter in illa eiusdem templi ruina, quae saeculo XVII accidit, deperditum vel destructum fuisse credendum est.

(7)

HEV QVANTOS LVCTVS RENOVAS GRATISSIME FILI BONITE MORIENS O DECVS ATQVE DOLOR
QVI (2) BENE CVM INGENIO FLOREBAS BARBVLA GRATA MORIBVS ORNATVS PVLCHER ET ACER ERAS
O MIHI (3) QVAM SVBITO REQVIESCIS NATE SVAVIS HEV SPES CLARA MIHI TE SINE VITA GRAVIS
HOC GENITOR CECINIT TAVRVS LACRYMABILE CARMEN CVIVS FLAMMA VRIT PECTVS AMORE PIO.

HIC REQVIESCIT BONITVS QVI VIXIT ANN. XXIII DEP. VII ID. AVGVSTI INDICT. VII

In ecclesia S. Andreae ad Nidum in altari maiori exscripsit Capacius (*O. c.*, p. 117), et post eum protulit d'Engenio, (*O. c.* p. 300).

(8)

VNDE CHRIS*ti plebs nuperque Eccle*SIA GAVDENS, INDE MODO LVGENS TRISTIA CORDA GERIT?
INVIDIA ACCEN*sis stimulis compressa* (4) *re*CEDIS, VINCERE TE CREDIS QVEM PIA REGNA TENENT?
JAM SEMEL ES CHR*isti magnos experta triumphos,* CVIVS PERSEQVERIS FRVSTA INIMICA PIOs.
THEOPHILACT*e metus et mortem spernis* INIQVAM, CELSA POLI SCANDENS ECCE MINISTER OVANS.
AETHRA LICET *teneas letus nunc sorte le*VITA (5) *p*LAGIMVS HEV TECV*M* MVLTA PERISSE (6) BONA
ORNATVS AR*mis fidei cum pectore mi*TI, PRAESVLIS ET PROPRII BLANDE MINISTER ERAS.
NOBILITATE P*uer* (7) *praestans, et probus* (8) *i*N ACTV, TV TENER IN ANNIS, CORQVE SENILE GERENS.
PARTICIPEM S*anctis christus te collo*CET ORO; SIT TIBI PERPETVA SIT TIBI SANCTA QVIES.

HIC VIXIT *annos aetatis suae* VIGINTI ET NOBE DIES XX TERTIA D. (9)
DEPOSITV*s pridie kalendarum Junia*RVM IMPERANTE D. N.
CONSTAN*tino PP.* A. *anno tert*IO CONSVL INDICTIONE XII.

Lapis anno 1863 in ecclesia S. Restitutae Neapoli sub majoris altaris scabello repertus fuit, et nunc in cappella S. Ioannis in trone muro affixus adservatur. Constat tribus fragmentis, nam per totam marmoris altitudinem, uno majore in medio et altero in fine minori frusto mutilus est. Si integrum metieris, altitudinem palmorum septem et latitudinem trium et medium habebit.

Inscriptio characteres haud inelegantes, sed frequenti et aliquando insueta litterarum forma et conjunctione atque minuscularum in majusculis inclusarum usu notandos exhibet. Ad a. 671 ae. vulg. pertinet, uti ex notis chronologicis in fine appositis eruitur. Eam primus supplevit, aere incidi curavit ac edidit cl. vir d. Januarius Asprenus Galante. Supplementa eiusdem, utpote apta et docte excogitata mihi visa, libenter excipio et lapidis exemplum ex eadem, qua ipse usus est tabula mecum liberaliter communicata, repetitum, in tab. XVI iterum prodo.

(1) Capaccio, *O. c.* p. 136; D'Engenio, *O. c.* p. 59; Pratilli in Peregrinii, t. III, p. 339.

(2) *Quam* D'Engenio.

(3) Male ap. D'Engenio: *omnibus.*

(4) Recte hoc supplementum probat Galante collatione cuiusdam versus, qui in epitaphio episcopi Leonis edito ab illustri viro Jo. Bapt. De Rossi legitur sic:

Invidia infelix, tandem compressa quiescis.

(5) *Levita* tunc a nostratibus diaconus antonomasticc dicebatur. Galante apte ad id firmandum quosdam Athanasianae vitae locos in cc. 3 et 5 affert Cf. t. I, huius operis p. 214.

(6) Ita in epitaphio Caesarei consulis, quod supra editur, Stephanus pater moerens, uti a Galante observatur inquit:

Ehu mihi cum genito tot periere bona.

(7) Galante, p. 53 et ss. plurium scriptorum tum veterum, tum ad medium aevum pertinentium auctoritate probat *pueri* vocem lato sensu heic, ut etiam aliquando apud Romanos, acceptam fuisse; ita ut adolescentes et juvenes aliquoties pueri appellarentur. Sic etiam in cit. epitaphio Caesarei, hic *teneris sublatus in annis* dicitur, cum jam 26 annorum mortuus fuerit.

(8) Feliciter heic Galante supplementum *et probus* ante verba: *in actu* e simili epitaphii supra laudati locutione, desumit.

(9) *Tertia ie* interpretatus est Galante.

(9)

+ ΜΝΗCΘΙΤΗ ΚΕ ΤΟΥ ΔΟΥΛΟΥ CΟΥ ΚΑΜΠΟΥΛΟΥ ΚΕ ΚΟΝCΤΑΝΤΗι...
..............ΒΗΟΥΑΥΤΟΥ ΤΟΝ ΚΤΗCΑΜΕΝΩΝ-ΤΟΝ ΝΑΩΝ-ΤΟΥΤΩΝ.

† Μνήσθητι κύριε (1) τοῦ δούλου σοῦ Καμπούλου καὶ (2) Κονσταντίνῆς (3) (συμ)βίου (4) αὔτου τῶν κτισαμένων τὸν ναὸν τοῦτον.

In regione urbis nostrae, quae a *portu* nomen accipit, et in via, quae olim *at media* et nunc *dei Mercanti* dicitur, quidam angiportus occurrit, ubi tinctorum officinae, atque a dextris intrantis aedicula extat divo Aspreno Neapolitanorum protoepiscopo dicata, quae a loco ipso *S. Aspreno ai tintori* vulgariter nuncupatur. Primam de ea notitiam, uti jam t. I, p. 157 not. 2 innui, in *Actis visitationis* archiepiscopi Annibalis de Capua anno 1583 peractis invenio; ubi, verisimiliter, ob aliquod beneficium aliunde inibi translatum titulo etiam S. Iohannis *in cuorpo*(sic) denotatur, et breviter, contra solitum, describitur(5). Ipsam vero d'Engenio a. 1623 in sua *Napoli sacra* praeterit; at sub finem eiusdem saeculi, Celano (6), et magis accurate Sicola (7) e nostris scriptoribus primi recensent. Deinceps Sabatinius (8) inscriptionem, quam supra retuli, a nemine antehac animadversam ex communicatione d. Scipionis de Cristofaro in publicam lucem edidit. A Sabatinio recentiores fere omnes eam exceperunt, et vulgaverunt. Ego vero tum integrum monumentum *phototypia*, uti dicunt, expressum, infra in tab. XVI praesto, tum inscriptionis textum ex archetypo restitutum supra exhibeo, et heic explico.

In duobus igitur septis marmoreis, quae parvam aediculae tribunam claudunt, et variis monstrosorum animalium atque aliarum figurarum anaglyptis opere byzantino caelatis ornantur et proprie in summa eorumdem corona ipsa inscriptio exstat. Primus siquidem versus in tabula a sinistris, alter in alia a dextris legitur; at binae et parvae antae, quae cancellos, unde ad altare majus adytus patet, sustinent, prae extima tabularum parte appositae postremas alterius, et primas alterius litteras occupant, ita ut utrorumque voces integre assequi prohibent. Nec aliter de adversis ipsarum tabularum lateribus dicendum est; muro enim utrinque interclusa sunt. Quapropter cum dubitaverim num inscriptio, quae mutila procul dubio apparet, in angulo, qui parieti defixus est, finem haberet nec ne, et de hoc certiorem me facere voluissem, rev. d. Raphaelem Gargiulo, unum ex aediculae patronis ac ejusdem rectorem beneficiatum, enixe rogavi, ut mihi periculum in parietibus facere permitteret. Egregius vir libenter veniam praebuit. Sic ex ipsa marmorum inspectione ego absque ulla dubitatione elicere potui ibi ab una parte nil nisi signum crucis, ab alia vero verbum τούτων, quo titulus, corymbo etiam addito, completur, contineri, nec praeterea aliquid esse. Sic etiam inferiore eorum extremitate, quae a parvo quodam gradu ex calce structo occulitur, perquisita, nihil in ea inscriptum fuisse patuit.

Ceterum ipsa septa marmorea, quae facile ad saeculum X pertinent, vel ex alio ampliore hujus sacelli loco, vel etiam forsitan ex alio templo heic, ubi nunc sunt, translata videntur. Nam columellae, quae clathros sustinent, et in ipsorum septorum lateris extremitate, uti par erat, poni debuissent, ita contra ante ea appositae fuerunt, ut quasdam inscriptionis litteras, uti supra dixi, occulerent; quod non alia de causa factum puto, nisi ut septa in angustiore spatio aptarentur.

Denique inscriptionem ipsam ego sic explico. *Recordare Domine servi tui Campuli et Costantinae eius conjugis qui aedificaverunt templum istud.*

(1) Κε pro κύριε frequenter in hujus aevi inscriptionibus, sigillis et nummis occurrit. Cf. Franz, *Corpus inscr. graec.* t. IV, nn. 9405, 9406 et alibi.

(2) Heic contra κε pro καὶ ponitur, ut et in inscriptione n. 9413 ap. eumdem Franz.

(3) Extremas hujus nominis litteras una ex duabus columellis, de quibus supra mentionem feci, occupat, at ex litterae, quae vocem mancam sequitur, ductu facile elementum N et ex vocis sequentis restitutione Κωνσταντηνης i. e. Constantinae nomen suppleri potest.

(4) Vox, quae heic ob supra memoratam causam initio caret, et a Sabatinio cuiusdam nominis proprii fragmentum minus recte putatur, syllabae συμ adjectione apte restituitur. De uxore enim Campuli agitur.


(5) *Acta Visit. Ann. de Capua.* Cappellarum an. 1580.

(6) Celano, *O. c.* G. IV. 20

(7) Sicola, *La nobiltà di S. Aspreno* p. 276 e s.

(8) Sabatini, *O. c.* VIII, p. 10.

(10)



Ηιϰ ρεϰυηεσϰηϑ ην παϰε
Ανϑημους εϑ στεφανηα ϰονϊου (ξ)
εϊους εϑ ερεδες εορουμ.

Hic requiescit in pace
Anthimus et Stephania conjux
eius et heredes eorum.

Epitaphium paucis abhinc annis in conventu *Reginae coeli* nuncupato repertum cl. vir d. Ianuarius Asprenus Galante in *Rendiconto delle tornate della R. Accad. di Arch. lettere e B. A.* anni 1887 in publicam lucem protulit. Marmor vero, ubi ex adverso loculus ad continendas reliquias excavatus, et crux insculpta visebatur, olim, uti saepe animadversum, pro tabula altaris adhibitum fuisse constat.

(11)

CONFVGIENTIS AD TVVM SVFFRAGIVM LAETVS AMPLECTERE OSSA PV
TRIDA TABEFACTA APOSTOLE SANCTE QVI OB TVI MERITI DESIDERIVM
AVLAE TVAE MOENIA MIRA FECIT PVLCHRITVDINE CORVSCARE VT TVIS
ADIVTVS AVXILIIS DISRVPTIS VINCVLIS INFERNI HINC RESVRGERE CARO
MISERA POSSIT ET IN DIE EXAMINATIONIS CALCATIS FACINOROSIS PECCA
TIS GAVDIA DIVINA PERCIPIAT TE INTERPRECANTE MARTYR ANDREA

HIC IN PACE MEMBRA SVNT POSITA THEODIMI SUBD. REG. ET RECT.
SANCTAE SEDIS APOST. ET DISP. HVIVS DIAC. BEATI ANDREAE. SI QVIS PRAE
SVMPSERIT HVNC TVMVLVM BIOLARE ERIT ANATHEMATIS VINCVLIS
INNODATVS

Ex Capacio et Baronio, qui uno eodemque tempore eam publici iuris fecerunt (1), hanc inscriptionem habemus. A Baronio ipsam d' Engenio aliique deinceps exscripserunt (2). Olim exstabat in ecclesia S. Andreae *ad Nidum* una ex septem antiquissimis Neapolis diaconiis, nunc *S. Marco dei Tavernari*, vulgo dicta (3). Ejus aetatem quamvis nullis notis chronologicis in lapide designatam, ex *Libri Pontificalis* sive Anastasii bibliothecarii testimonio (4) eruere possumus. Ibi enim traditur Langobardos Cumano castro potitos a Neapolitanis Gregorii II. Pp. iussu et opibus, duce Ioanne, cui Theodimus subdiaconus et rector presto erat, cum multa ipsorum barbarorum caede depulsos fuisse; quod ex pluribus rationibus anno 716 vel 717 accidisse certum est. Ad haec tempora igitur ejusdem Theodimi epithaphium recte adsignari potest.

(1) Capaccio, *O. c.* p. 116; Baronio, *Ann. Eccles.*, t. XII, p. 259.

(2) D'Engenio, *O. c.*, p. 298; Di Meo ad a.; Parascandolo, *Mem. Stor.* etc.

(3) De Diaconiis et praesertim de hac sub titulo S. Andreae ac de Theodimo eius rectore egit nuper cl. P. Taglialatela, Oratorii Neap. sacerdos, in opusculo: *Gli antichi possedimenti della S. Sede nelle provincie della Campania felice, e la Diaconia pontificia nella città di Napoli.* Nap. 1886.

(4) *Lib. Pontif.* ed. Duchesne, t. I, p. 400.

(12)

CONFVGIENTIS AD TVVM SVFFRAGIVM LAETVS AMPLECTERE OSSA PVTRIDA (1)
QVI OB TVI MERITI (2) DESIDERIVM AVLE TVE MENIA MIRA (3) FECIT
. . . . . . CORRVSCARE VT TVIS ADIVTVS AVXILIIS DISRVPTIS VINCV
LIS (4) SVRGERE CARO MISERA POSSIT ET IN DIE EXAMINATIONIS PECCANTIS (5)
GAVDIA DIVINA PERCIPIAT TE INTERPRECANTE PR. . . . . (6) IN SE DICIT QVI
CVMQVE LIGAVERIT SVPER TERRAM ERIT LIGATVS ET IN COELIS
(7) . . . . TERRA ERIT SOLVTVS ET IN COELIS

HIC IN PACE MEMBRA SVNT POSITA . . . . (8) REGIONARII
S. SEDIS APOSTOLICAE ET RECTOR PATRIMONII VNA
. . . . CVM VXORE SVA (9) HVNC TVMVLVM SIBI FECERVNT ET S.
(10) . . . . . . VIOLARI ANATHEMATISQVE VINCVLIS INNODATVS DEPREC.
(11) . . . . . . QVI SEDEM B. IANVARII VT NVNQVAM HVNC TVM. BIO
LARI DIGNETVR . . . . VIS QVI AGERE TENTABERIT
DE ANIMA RATIONE REDDATVR (12)

Hunc titulum, qui olim in basilica S. Georgii Maioris extabat, pluribus vero foedatum erroribus et, quod magis dolendum est, sepulti nomine et quibusdam aliis etiam temporis iniuria obsoletis, primus et solus nobis tradidit laudatus d'Engenio (*O. c.* p. 46). Ex ipsius autem contextu hoc unum eruitur epitaphium scil. cuidam subdiacono Regionario, uti praecedens, positum fuisse. Eiusdem vero lectionem ego, ubi potui, praecedentis collatione emendavi.

(13)

IN NOMINE IESV CHRISTI IMPERANTE DOMINO NOSTRO PP. AVGV-
STO MICHAELIO PORPHYROGENITO AN. V. IND. X. HIC QVIETVS IACET
MAGNIFICO GENERE NOBILIS HADRIANVS HVJVS FVNDATOR ECCLESIE
QVAM SVO DE BONO CONSTRVXIT DEPINXIT ET SVIS PROPRIIS REBVS
DITAVIT PLEBEMQVE CONSTITVIT QVI VIX. AN. LX.

Lapis in veteri Ss. Severini et Sossii ecclesia circa initium saeculi XVII inventus, et ibidem juxta altare majus repositus nunc deperditus est. Inscriptionem vero primus D'Engenio retulit (*O. c.* p. 318) dubius an ex alia ecclesia huc translata fuisset, et post eum Muratori, *Thes. inscr.* t. IV p. 1883 aliique. Ex anno imperii Michaelis, qui temulentus dictus fuit, et ex indictione ibi adnotatis patet ipsam, uti jam Di Meo animadvertit (t. IV, p. 82), ad quatuor postremos menses anni ae. vulg. 846 pertinere.

(1) Heic certe aliquid deest. Verisimiliter ibi invocabatur vel S. Martyr Georgius, cui basilica, ubi sepulcrum extabat, dicata erat, vel potius Sanctus episcopus Severus eiusdem basilicae fundator. Quod si ita est , in lacuna suppleri debet: *Sancte Praesul Severe.* Contra si ea quae inferius leguntur strictim et proprie accipienda sunt, ego marmor, vel in quodam eiusdem basilicae sacello, quod S. Petro Apostolo dicatum erat, positum, vel ex alia ecclesia et facile ex diaconia S. Petri , quae forsitan in viciniis erat , in S. Georgio translatum fuisse suspicor. Verba enim: quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis , nulli quidem alii , nisi Petro Apostolorum principi, cui a Domino dicta fuerunt, melius convenire possunt. Quae mea coniectura si plausibilis videtur, heic supplendum est: *beatissime Petre Apostolorum princeps.* Ceterum de ea iudicium doctis in sacra antiquitate viris relinquo.

(2) Minus recte ap. D'Engenio: *tuis meritis.*

(3) Male omnino ipse d'Engenio: *auge tua memira!*

(4) Supple, ut in lapide praecedenti: *inferni hinc resurgere.*

(5) In praecedenti aliter. An heic etiam: *calcatis facinorosis peccatis?*

(6) Forsitan: *Praesul sancte,* ut e duabis superstitibus litteris *pr...* coniici potest, vel: *Princeps Apostolorum Petre,* ut ego suspicor.

(7) Facile heic lacuna ex Evangelii textu suppleri potest.

(8) Adde hic: *subdiaconi* vocem, de qua, ex eo quod sequitur. dubitari nequit.

(9) Fortasse heic etiam aliquid deest.

(10) Supple: *si quis ipsum* (tumulum) *praesumpserit.*

(11) Reliquis medicinam adhibere nequivi; omnia enim obscura et confusa , et fortasse ad aliam inscriptionem pertinentia.

(12) In hac inscriptione, ut et in aliis ex D'Engenio heic transcriptis, versuum distributionem ab eo factam servo; nescius an ipsae cum originalibus respondeant nec ne.;

(14)

✠ HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS COMITA (1) FAMVLVS DEI QVI VIXIT
ANNIS LXXII DEPOSITVS MENSEM IVNII DIE OCTAVADECIMA IN
DICTIONE QVARTADECIMA IMPERANTE D. NOSTRO LEONE (2)

In ecclesia Ss. Petri et Sebastiani in tabula cujusdam altaris vidit et exscripsit D'Engenio (*O.c.* p.227). Lapis vero in fine mutilus vel saltem consumptus facile habendus est.

(15)

✠ ..... (3) IN SOMNO PACIS LAVRENTIVS SEN. QVI VIXIT ANN. LX DEP. SVB DIE
XXVI MENS. MARTII IND. V. ET IOHANNA CONIVX EIVS QVE VIX. PL.
M. AN. LXXV. DEP. SVB D..... M..... IND..... CREDIMVS
QVIA REDEMPTOR NOSTER VIVIT ET IN NOBIS......... DE TERRA SVSCIT.
..... ET IN CARNE NOSTRA..... DNM REDEMPTOR..... AMEN.

In tabula cujusdam altaris in ecclesia S. Augustini vidit et exscripsit D' Engenio (*O. c.* p. 390).

(16)

✠ CREDO QVIA REDEMTOR MEVS BIBIT (4)
ET IN NOBISSIMO DIE DE TERRA SVSCI
TABIT ME ET IN CARNE MEA VIDEBO
DEVM MEVM. EGO BASILIVS FILIVS SI
LIBVDI ET GREGORIA CONIVIEM (5) EIVS
DVM IREM IN MANDATVM IPSORVM
MALVS HOMO ADPREHENDIT ME ET
PORTABIT ME IN RIBVM ET OCCISIT
ME MORTEM CRVDELEM IN INFANTIAE
MEAE ANNORVM DVODECIM IN INDI
CTIONE QVARTADECIMA MENSIS MAGI
DIE VIGESIMASEXTA.

Inscriptionem hanc in quadam parastata ante fores ecclesiae S. Mariae sanitatis in suburbio Virginum appositam saeculo XVI vidit Summontius et exscripsit (*O. c.* t. 1, p. 236); post eum d' Engenio diverso versuum ordine dispositam repetivit (*O. c.* p. 613).

(17)

✠ CREDO QVIA REDEMPTOR MEVS VIBIT ET IN NOBISSIMO DIE DE
TERRA SVSCITABIT ME ET IN CARNE MEA BIDEBO DOMINVM MEVM.
HIC REQVIESCIT IN PACE EVPHIMIA ET IOH. VIR EIVS ET CETERI
FILII EORVM.

In ecclesia Ss. Ioannis et Pauli in via nunc *dei tribunali* et in tabula altaris majoris vidit et exscripsit D'Engenio (*O c.* p. 79).

(1) Sic d' Engenio; at nomen certe insolens aliquem exscriptoris errorem subolet.

(2) An Leo Isauricus, qui mense junio ind. XIV (an.716) Constantinopoli imperabat?

(3) Supple: *Hic requiescit.*

(4) Elementorum B et V in lapidibus permutationem, florente latinitate aliquoties, subsequentibus temporibus saepius usurpatam, satis est mihi heic tantum animadvertisse.

(5) Sic apud Summontium; *coniu...* vero apud D' Engenio.

(18)

✠ CREDO QVOD REDEMPTOR MEVS VIVIT ET IN NOVISSIMO
DIE SVSCITABIT ME ET IN CARNE MEA VIDEBO DEVM MEVM.
HIC REQVIESCIT (1) FILIVS TEODATI CALCINETI IN PACE
FY. (sic) FILIA ET IOANNES VIR EIVS ET CETERIS FILIIS EORVM

Ibidem ex Bolvito *Variar. Rer.* Ms. t. IV f. 76 (2). Nescio an eadem ac superior sit diversimode lecta.

(19)

✠ CREDO QVOD REDEMPTOR MEVS VIVIT ET IN NOVISSIMO DIE
DE TERRA SVSCITABIT ME ET IN CARNE MEA VIDEBO DOMINVM MEVM
HIC REQVIESCIT THEODORVS VNA CVM VRANIA CONIVGE MEA, QVI
VIXIT PLVS MINVS.........

In ecclesia S. Mariae *dei Piscicelli* in vico, qui vulgariter dicitur *dei Scassacocchi*. D'Engenio (*O. c.* p. 380) vidit et excripsit.

(20)

SVSCIPE CHRISTE DEVS ANIMAM FAMVLI TVI LEONIS QVI IN HOC
TVMVLO REQVIESCIT, QVI VIXIT AN. PLVS MINVS LXX. DEP. EIVS DIE
VNDECIMA MENSIS MARTII IND. XIII (3) VT (4) NOS QVI INGREDIMINI ET TV
MVLVM MEVM L. F. (5) ORATE PRO ME PECC.

In tabula altaris ecclesiae S. Andreae *dei Gattoli* nunc *del Dattilo al Pendino*. Adnotavit D'Engenio (*O. c.* p. 368).

(21)

IN CHRISTI NOMINE. HIC SVBTVS (6) TVMVLVS DVPPLEX (sic) IN QVO REQVIE
SCVNT IN PACE CADAVERA NOSTRA QVORVM NOMINA DEVS (7) SCIT
ET CONJVRAMVS VOS OMNES MORTALES PER DEVM. VT POST AMBORVM
VASCVLA REPAVSATORVM HOC TVMVLO APERIRE NVLLVS
PRESVMAT SI QVIS APERIERIT HABEAT ANATHEMA A TRINITATE DOMINI (8)
ET SIT EXTRANEVS CORPVS (9) DOMINI ORATE PRO NOBIS.

Inscriptio haec olim exstabat in tabula majoris altaris ecclesiae S. Mariae ad plateam, et in *Actis visitationis parochiarum minorum* arch. Annibalis de Capua an. 1580 exscripta fuit. Ipsam vero D'Engenio (*O. c.* p. 378) in quarto et sexto versu mutilam et in aliquibus variam dedit.

(1) Forte heic nomen defuncti, quod Bolvitus omisit, legebatur.

(2) « In quadam cappella parva, inquit Bolvitus, in frontespicio sedilis Montaneae alias S. Arcangeli ad signum de Neapoli inscriptio gothica cum sequentibus litteris » Credo etc.

(3) Sic emendo ex coniectura. D'Engenio habet XVII!

(4) An *rogo vos?*

(5) Fortasse: *legite.*

(6) D'Engenio habet hic: *est.*

(7) *Deus solus.* D'Engenio. — Formula habebatur etiam in Coemeterii Neapolitani titulis votivis quos refert Chioccarelli, *Neap. epp. Catal.* p. 92 et De Iorio, *Guida per le catacombe,* p. 64. Uterque, alter scilicet post Chioccarellium, alter post de Iorio deperiit. Praeter hos extabant etiam aliorum duorum ejusdem generis titulorum vestigia, quorum notitia habetur apud Pelliccia, *O. c.* t. IV, p. 140 et apud Fusco *O. c.* p. 23. V. etiam infra n. 26.

(8) Dirarum imprecationes, quarum in huius aevi chartis haud infrequens usus, in sepulcralibus etiam titulis aliquando occurrunt, ut in hoc Neapolitano, et infra in Surrentino. De earum usu et generibus omnes rei diplomaticae scriptores agunt.

(9) Formula excommunicationis sic legenda. *Sit ei extraneum corpus Domini* sive *a corpore Domini sit extraneus*, ut in diplomate Veremundi regis Hispaniae ap. Mabillon, *De re diplom.* L. II, c. 8.

(22)

. . . . . IN SOMNO PA . . ..
. . . . . NQVAGINTAQVINQV. . . .
. . . . . SE. NOBEMBRI V INDICT. .
. . . . . NOSTROS CONSTAN. . . .
. . . . . D - ET - LEONE (1) E . . .

Hoc et sequentia duo sepulcralium lapidum fragmenta cum aliis plerisque, quae olim in pavimento basilicae S. Ianuarii extra moenia exstabant, nunc egregii equ. Petri Pezzullo gerontotrophio praefecti beneficio et cl. viri d. Ianuarii Aspreni Galante cura et studio in parvo ambulacro, unde ad coemeterium adytus patet, apte disposita visuntur.

Titulus supra relatus, qui n. 10 signatur, ad saeculum VIII, in quo Constantinus Copronimus et Leo IV imperium obtinebant, atque, ut ex V ind. conjici potest, ad aa. forsitan 752 vel 767 pertinet. Editus fuit a GIUSTINIANI, *Antico sepolcreto*, p. 116, et a FUSCO, *O. c.*, p. 18, qui ipsum sic supplet.

Hic requiescit IN SOMNO PACIS.....
qu... vixit an. QUINQUAGINTAQUINQUE *deposit*
est sub die..... MENSE NOBEMBRI V INDICT. *imperantibus dominis* NOSTROS CONSTANTINO *m. imperatore an...* SED ET LEONE Eius *filio an...*

ac denique a MOMMSEN R. N. I. L. p. 179.

Exstat etiam aere incisus ap. DE IORIO, *O. c.*, tab. IV, n. 10.

(23)

. . . .
. . . ꟷIAVILIS · ETINVELLO PERıTVS SVPE . . . .
. . . ꟷIACVLAETERVE EOS DE SECVNDA MO · . . .
. . . ꟷIENTISSIME · DEVS · BELOCIT . . . .
. . . OROMNIVMINDVCEOSINAVLA DP. . . . . . .

Alterum hoc fragmentum nunc signatur n. 7 et a DE IORIO in duobus dissectum segmentis in tab. IV, n. 4 et tab. V, n. 20 exhibetur. Ipsum ediderunt PELLICCIA, *O.c.*, p. 191, qui in primo inscriptionis versu: *iavilis*, in secundo: *iacui aet*, ac in tertio: *tentissime*, adversus marmoris fidem habet, ac FUSCO, *O. c.* p. 14, qui contra sic legit et supplet.

Hic requiescit in pace ALSISICA *mulier* (2)
*a*MAVILIS ET IN VELLO PERıTUS SUPETIUS
*e*MACULA ET ERUE EOS DE SECUNDA MORTE
*clem*ENTISSIME DEUS BELOCITER REDEM
PTOR OMNIUM INDUC (3) EOS IN A... RAE... V... (4).

At in his quaedam sunt, quae mihi dubium facessunt. Et primo *Alsisicae* ac *Supetii* nomina, quorum alterum ipse ex inferioribus litterarum apicibus in supera marmoris parte, alterum ex quibusdam secundi versus postremis litteris superstitibus conjicit, ea a graecae gentis ingenio aliena sunt, et in Neapolitanis monumentis omnino insolita; praeterea in titulo mulier viro praeposita absque ulla cognationis sive affinitatis nota, quod aeque insolens et denique supplementa in fine minus recte, ni fallor, divinata. Quapropter ego supra relatam epigraphes lectionem rejicio, ac id unum ex eiusdem, quae supersunt vocibus in re affirmari posse censeo: sepulcrum vid. cui ipsa inscripta erat, bisomum fuisse, et duorum cadavera defunctorum, sive coniuges, sive fratres, sive socii tantum ipsi fuerint, continuisse. Ceterum nominum in ea deperditorum jacturam cum Pelliccia conqueror; ex illis enim *fortassis memoriam clarissimi cujusdam militis, conterranei nostri, nunc certe obblivioni traditam, revocare potuissemus.*

(1) Litterae NE monogrammate exprimuntur. Puncta triangularem formam habent.

(2) Ego potius: *Deo amavilis* legerim, ut in aliis huius aevi scripturis et monumentis.

(3) Ita et in aliis, quos heic collegi, titulis videre est.


(4) Scil. *in aula raegni* (sic) *tui.* At elementum, quod *aula* sequitur, litteram D non R indicat. Puncta vero, quae in lapide visuntur, corculi sive corymbi figuram habent.

(24)

. . . . ɪENSIS (1) DILEXERVNT E VV (2)
. . . ISERɪCORSCUMIVGALESVACRATɪAPLENVS (3)
. . . DUCEOS. INCELESTIAREGA LI A (4)
. . . (5) PLVS · MINVS · L · ANNOS

Ibidem nunc signatur n. 12, atque in tab. IV, operis canonici De Iorio, n. 1. Lapis in fine habet insculptum parvum vas inter hederae folium et columbam. Titulum vero retulerunt et illustraverunt Pelliccia et Fusco *ll. cc.* qui varie etiam ipsum supplere conati sunt. At cum omnia incerta sint, nihil est quod heic ea referantur.

(25)



Quisquis in hoc templo steteris quod limpha refundit
Aspice quale decus hic Mayo contulit abbas
Petro seu Paulo Iacobo vel Bartholomeo
Sic Stephano primo levitae seu Ianuario
Martino Stephanoque papae Blasio Dariaeque (6)
Baptistae Eugepioque (7) Crisanto coelitus almo
Gaudia cui Christus ei donet (8). Dicito fiat.

In ecclesia castri, quod olim S. Salvatoris in insula maris vel ad mare et postea Ovi dictum fuit, ubi celebre sub ducibus monasterium, cuius frequens in nostris monumentis mentio, in anno 1608 haec inscriptio reperta fuit. Eam Sicola e Mss. Petri Vincenti (9) primus an. 1696 edidit, quem Chiarito saeculo insequenti secutus est. Deinceps (10) Marini e cod. Miscellaneo archivi Vaticani ipsam iterum et rectius descripsit, atque in sua *Collectione christianarum inscriptionum*, quam illustris card. Mai vulgavit, inseruit (11). A nemine vero monumentum, in quo erat insculpta, clare vel descriptum vel saltem indicatum fuit, sed ex ipsius inscriptionis contextu in quodam reliquiario appositam fuisse recte evincitur.

De Maione vero eiusdem monasterii S. Salvatoris in insula maris abbate, qui opus fieri iussit, supra p. 30 diploma a Sergio VI duce ei datum referens, quaedam dixi.

Fuit certe temporibus Michaelis imp. a 1036, et verisimiliter in annis etiam proxime superioribus aut insequentibus.

(1) *Campaniensis* legunt Pelliccia et Fusco *ll. ll.* In marmore extant adhuc inferiora quarumdam litterarum praecedentium vestigia.

(2) Quid sibi velit lineola sub littera V insculpta decernere non ausim. Forte est breviationis nota non supra sed infra posita.

(3) Litteram I, quae, utpote minoris formae sub superiore litterae T lineola posita est, De Iorio in suo exemplo omisit.

(4) « Postremas has syllabas aliquantulum discerpsit quadratarius, ut ordinem quemdam in lineis servaret ». Pelliccia.—Eandem formulam occurrit infra in lapide Surrentino.

(5) Heic pro puncto corculum videtur.

(6) Male apud Sicola: *variaeque.*

(7) *Engenioque,* Sicola.

(8) *Et dono,* Sicola.

(9) Sicola, *Vita di S. Aspreno* p. 55.

(10) Chiarito, *O. c.,* p. 204.

(11) *Scriptorum veterum nova collectio e Vaticanis codd.* edita ab Angelo Majo, t. V, p. 113.

(23)



(24)

✠PAV(1)COMPΦK.CЄPΓHΦABP̄✠ΔЄΔONHCΔЄHЄΘCANKTHΓЄOPΓHBOTOVMOΠTOVΛΛHKOVHNOMЄNΔЄOVCCKIΘ✠



Imaginem duorum monumentorum, in quibus inscriptiones, quae supra leguntur, insculptae sunt, egregius iuvenis Aloysius Fortunato ob eius humanitatem, et singulare, quod erga Societatem Historicam Neapolitanam gerit studium, *photographia* ex archetypo perite quidem expressit, eamque in *phototypiam*, uti dicunt, traductam habes in tab. XV in fine huius voluminis. Heic vero inscriptiones ipsas, quae in graecis elementis, praeter nexus, litteram A cursiva forma, ut in lapide supra n. 10 relato videre est, exhibent, ac notam MR. singulari sigla, in quam nusquam alibi incidi, bis exprimunt, ego characteribus communibus repeto, nexibus etiam, ut plurimum, solutis. Utriusque siglae autem figura, quam ligno incidendam curavi, haec est.

(1) Litterae AV heic et in inscriptiuncula, quae infra sequitur, monogrammate expressae sunt.

(2) Quadratarius, ut mihi videtur, litteram M praecedentis vocis ex oscitantia iterat.

(3) De hac litterae A forma, quae nedum his, de quibus agimus temporibus, sed etiam apud graecos et romanos in scripturis velociter ac *cursim* scribentium occurrit, praeter illos, qui de re palaeographica specialiter disserunt, videndi sunt Franz, *Elementa epigr. graecae* pp. 39, 68 et ss. atque Massman, *Libellus aurarius*, p. 37 et ss.

Inscriptiones, quas supra nn. 26 et 27 refero, in duobus vetustis Romanorum sarcophagis, quorum alter alteri superponitur, et ambo parieti affixi sunt, insculptae adhuc extant in ecclesia S. Mariae ad *Puglianum* supra villam Resinae in cappella S. Antonii. Eas primus edidit, atque apposita commentatione exornavit vir clarissimus Carolus Maria Rosini (1), qui ipsorum etiam monumentorum effigies aere incidi curavit. Rosinium paucis abhinc annis secuti sunt Scherillo (2) et Galante (3). Marinium praetereo, qui in sua christianarum inscriptionum sylloge (4) alteram, quam n. 26 signavi, absque ulla animadversione, inseruit. Cum autem ego ex instituti mei ratione heic inscriptiones ipsas inserere ac pro virili parte illustrare debeam, operae pretium duxi duorum monumentorum descriptionem a Rosinio accurate et egregie factam heic repetere, atque priusquam lectionem et interpretationem meam proponam, quae eorum, qui me praecesserunt, sententia fuerit, referre, ut lector, de illis in quibus ego discors sum, re bene perspecta ac cognita, dijudicare possit.

Isti igitur lapides litterati fuere, ut recte adnotat Rosinius, « veteres sarcophagi sed insequutis temporibus ad sacrum usum destinati, ut scilicet anticam sacrae mensae partem sustinerent exornarentque. In altero autem, qui ingenium saeculi IV vel V ipso artificio redolet, circulus umbilicum occupat, in quo sepulti viri protome de more exstare debuerat; sed hodie excavatus concavusque adparet, crucisque figuram delineatam habet, quam circum sic inscriptum est latinis litteris: *Crux adoranda per quem inluminatus est totus mundus*; deinde graecis: εγο Ιοανης Καιμαρου εδηφικαβημους h. e.: *Ego Ioannes Quaimari aedificavimus........* Iam vero quinam iste Ioannes Quaimari filius, qui ad ostendendam suam dignitatem plurativo utitur numero *aedificavimus?* Non alius profecto, quam qui principatum obtineret. Et ne multis te teneam, ad aliquem Salerni principem eam epigraphen pertinere ducimus ».

« Duos enim procul dubio habemus in eorum Principum serie Ioannes Guaimari filios, qui ambo cum patre regnarunt; alterum nempe Ioannem III, qui a patre Guaimaro item III in eo Principatu conlega renunciatus est mense novembri ann. Chr. 1015, sed vix tribus annis obtinuit, patri praemortuus; alterum Ioannem IV, dictum etiam Ioannicium, Guaimari IV filium, pariter a patre in Principatus societatem adscitum mense septembri ann. 1037, et pari fato post annos quinque ante patrem sublatum, ut videre est in adcuratissimo Chronologico adparatu Alexandri Demeo ».

« Alterum vero marmor elaboratius est, et antiquiorem praefert manum; adeo ut ante Constantini Magni tempora fabrebactum dixerim. In medio tabellam cum ansis habet, in qua epigraphe mortualis inscribi oporteret; hinc inde vero duos gryphos contra positos, et post gryphos bina candelabra. Nunc vero pro epigraphe insculpta visitur in circulo crux, et in quatuor tabellae angulis hae siglae IC XC NH KA hoc est: **ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΝΙΚΑ**. In summo autem marmoris margine haec verba graecis literis siglisque ruditer exarata, unaque linea contenta:

✠ ΡΑVCONΦΚ. CΕΡΓΗΦΑΒΕΡ ✠ ΔΕΔΟΝΗCΔΕΗΕΘ CΑΝΚΤΗΓΕΟΡΓΙΗΒΟΤΟVΜΟΠΤΟVΛΛΗΚΟVΗΝΟΜΕΝ ΔΕΟVCCΚΙΘ ✠ Denique in alio circulo ad tabellae dexteram posito hae siglae latinis elementis:

P GRAVSVNI
MR ÆRR

« Iam vero utraque epigraphe latina est, etsi prima graecis litteris exarata. Huius autem verba latinis formis concepta, et distincta sic utique legenda:

✠ *Grauson feci Sergi Faber* ✠ *de Donis Dei et Sancti Georgii botum optulli: qui nomen? Deus scit* ✠

« Epigraphes autem sententia non admodum implexa est. Principio adscribitur nomen, et conditio illius, qui cum aram fecerit, non quidem suis manibus elaboratam, sed de suo exstructam; quod est GRAVSON (sic enim legendum) SERGII FABER. Tum ea dicitur voto oblata esse Deo, et S. Georgio *de bonis a Deo, et S. Georgio adceptis* ».

« Denique *quo nomine*, sive qua de causa hoc votum persolverit, sibi reticendum fuisse insinuat; quare subdit: *Deus scit*. Non mirum autem videri debet, si eius aetatis homo scripserit *qui nomen*, ubi scribendum fuerat *quo nomine*, vel saltem *quod nomen*; quando vidimus eius coaevum dixisse: *Crux.... per quem* ».

(1) Rosini—*Dissertatio isagogica in Hercul. voluminum explanationem. Pars prima*, p. 23.

(2) Scherillo—*Della venuta di S. Pietro in Nap.* p. 585.

(3) Galante — *Memorie del Santuario di S. Maria a Pugliano*, p. 23, et ss.

(4) Mai — *Collect. Vatican.* V. p. 6.

« Alia vero inscriptiuncula Latinis litteris concinnata nomen tantum et conditionem oblatoris notat: quam sic per me legas: *Posuit Grausuni Magister Aerarius*. Hinc enim discimus verum eius nomen fuisse *Grausuni*, quippe heic nulla sigla implexum est. In Graeca vero legitur PAVCON, sed ad secundam το N hastam transversa addita est ita, ut referat το Γ. Sed quid faciet Γ in fine vocis post N? Quare iudicio alterius inscriptionis, ubi manifeste legitur *Grausuni*, arguimus erratum a scalptore fuisse; cum enim transversam lineolam adpingere deberet supra primum elementum P, ita ut efficeret ΓP, supra N posuit, ubi fortasse alteram siglam addere debuit, h. e. alteram eius hastam producere, ut efficeret NI. Nisi malis dicere iterum peccasse in adpingendo το I. Quid enim monstri est illud *Grausuni*, vel GRAVSON? Reliquas vero siglas ex ingenio interpretavimus. Si enim ita legas, habebis, in quo altera epigraphe alteri respondeat. Nam qui illic dicitur *Sergii Faber*, h. e. *Artifex*, heic strictius *Magister Aerarius*, h. e. qui Fabris Aerariis, in nummis fortasse cudendis, praeesset. Sed haec obiter; nostri enim instituti non sunt ».....

« Sed, quod nostra interest, ea in epigraphe non modo elementorum forma et valor, scriptura, dictio et syntaxis barbariem X, vel XI saeculi redolent et plane gemellam esse *alteri* a Quaimaro positae ostentat; sed ipsa per se temporis notam praefert. Quis enim ille SERGIVS, cuius uno nomine *Grauson Faber* satis se clarificatum putavit? Non alium utique crediderim, quam Sergium aliquem e Neapolitanis Ducibus. Iam vero sex Sergios in horum Ducum indice habemus, quorum primus anno Christ. 707 heic dominatus est; sextus vero, qui ab anno Christi 1017 ducatum obtinuit, dein a Pandolfo Campanorum Principe eiectus anno 1027, iterum post annos tres restitutus ad usque annum 1040 imperavit. Ex his autem Sergiis, quemcumque libuerit, selige. Ego quidem postremos mallem utpote qui aequales forent alterutro Ioanni Guaimari filio. Quandoquidem utriusque epigraphes characteres sunt omnino gemelli, et eamdem aetatem praseferunt; etsi Sergiani marmoris sculptura longe maiorem aetatem ostentet. Nos enim non tempus, cum sculptum primo fuerit, sed quando in aram dedicatum, quaerimus. Quemcumque tamen Sergiorum seligas, res semper eo redibit, ut fateri cogamur templum istud S. Mariae ad Puglianum saeculo certe XI non modo stetisse, sed etiam fuisse celeberrimum, utpote quod viros principes etiam exteros sua religione adciret ».

Haee ille, cui subsequentes scriptores fere in omnibus assentiuntur. At liceat mihi tanti viri venia quaedam ex suis opinionibus animadvertenda notare, quaedam etiam ab eis omnino diversa proponere, de quibus apud doctos viros iudicium sit.

Et primo animadvertendum est inscriptiones, quae charactere graeco expressae sunt, parum fideliter in Rosinii exemplo delineatas fuisse. A enim λ figura ac nexum AV littera N exhibetur, cum illa sive separatim, sive cum V nexu conjuncta, cursivam formam, uti supra dixi, semper habeat. Minora praetereo. Quod vero superiorem tabulam attinet, haud verisimile mihi videtur Ioannem filium Guaimari, qui ibi in epigraphe memoratur, aliquem ex Salerni principibus eiusdem nominis fuisse et proprie vel Ioannem Guaimarii III vel alium Ioannem Guaimarii IV filium, qui in principatu etiam eisdem an. 1015 et 1037 conlegae fuerunt. Nomen enim principis tunc imperantis absque ullo potestatis titulo vel adtributo in marmore inscriptum, et monumentum ipsum in regione Salernitanis principibus non subiecta positum me a Rosinii sententia amovent et in aliam aliquanto diversam adducunt. Fuit equidem Ioannes quidam Guaimarii IV etiam filius, a nemine adhuc notatus, qui in monasterio S. Salvatoris in insula maris monachum induit, et anno 1093 ad abbatis dignitatem in eo etiam pervenit (1). Is igitur magis probabili ratione arae structor haberi potest; nam in ducatu Neapolitano incolatum habuit, et antequam abbatis dignitate cohonestaretur, facile in aliqua ecclesia territorii plagiensis, quarum plures in dicti monasterii iure erant, ut S. Stephanus ad actone, S. Basilius, S. Maria Hallassamanica, rector sive custos esse potuit. Neque huic meae coniecturae obstat verbum *edificavimus* plurali numero adhibitum, quod Rosinius factum putat ad dignitatem illius, qui aram aedificabat, ostendendam. Si id admiseris, tunc *Nos* etiam, ut in diplomatis, Ioannes, non *Ego* dicere debuisset. Recte potius meo iudicio, hic soloecismus illorum tem-

(1) Cf. recognitionem instrumenti an. 915, (quod minus recte Neap. Archivi Monum. editores ad an. 1052 amandarunt t. V, p. 6) in memorato anno 1093 factam. in *Reg. Neap.* n. 5.

porum ignorantiae atque infelicitati tribuendus est. Qui enim supra dixerat: *Crux... per quem*, infra iure dicere potuit, *Ego.... edificavimus* pro *aedificavi*. Sic in aliis eiusdem aevi titulis passim tum numerorum, tum casus, tum generis errores frequenter videre est. Sic, ut aliquod exemplum afferam, inscriptio Lucensis habet: *De donis Dei et b. Petri apostoli ego Ildeprand...... construxit* (1).

Sic etiam quae Rosinius in inscriptionibus alterius monumenti explicandis proponit, ea ex arbitrio conjecta vel minus recte interpretata mihi videntur. Et quidem ipse primam, quae ibi exstat epigraphen, ita legit: *Granson feci Sergi Faber*. At, praeter quam quod unam eamdemque notam, quae Grausonis nomen in duabus inscriptionibus sequitur, aliquando N, ut in prima, aliquando M, ut in tertia interpretatur, siglorum φκ explicatio insolens est: nunquam enim verbum FECIT eo modo, sed vel unica tantummodo littera F, vel syllaba FEC. in veteribus et in medii aevi monumentis breviatum invenio. Neque extremam epigraphes vocem integre in marmore expressam puto, uti Rosinius, eam *Faber* interpretando opinatur. Breviationis enim lineola supra litteras BE apposita contractionem aperte indicat.

Singularis etiam et ad arbitrium proposita est in secunda epigraphe verborum: *cui nomen* explicatio. Rosinius ea pro: *quo nomine* i. e. qua de causa interpretatur, ita ut hac versione epigraphe sic explicanda foret: quod vid. Grauson votum solvens voti causam tacere voluerit. At in omnibus inscriptionibus medii aevi, in quibus non insolens hujusmodi formula est, ea semper ad illum, qui votum facit, nunquam ad rationem pro qua ipsum fit, refertur. Ita siquidem videndum est in marmore supra n. 21 adnotato atque in illis duobus Neapolitani coemeterii titulis, quos supra memini (2) et praesertim in inscriptione illa, quae inferius etiam crucem cum nota sententia graecis siglis expressa i. e. *Iesus Christus vincit*, ut in hac nostra, habebat. Praeterea, in marmore sive scriptoris inscitia sive quadratarii oscitantia, vox: *cui* pro *cuius* facilius irrepere quam integra sententia: *quo nomine* in *cui nomen* mutari potuit.

Hisce positis ego triplicem alterius monumenti epigraphen sic lego et explico.

1. *Grauso magister filius quondam Sergii fabre fecit.*
2. *De donis Dei et sancti Georgii botum obtulli cuius nomen Deus scit.*
3. *Petrus?* (vel aliquod simile) *Grausuni* (supple. F. i. e. filius) *magister aerarius* vel *magistri aerarii*.

Et primum *Grauso* non Grauson, uti Rosinius vult, lego. Haec est enim propria huius Langobardici nominis forma, prout ex duobus docc. altero Nucerino anni 844, et altero Salernitano anni 1012, eruo (3). Et quamvis revera in marmore *Ranso* non *Granso* appareat; tamen non solum indicio alterius inscriptionis, ubi manifeste legitur *Grausuni*, sed etiam ex cuiusdam lineolae vestigro ante primam litteram R adhuc superstite, unde monogramma Γ et P suspicari possumus, *Grauso* omnino legendum esse evincitur. Quod autem Rosinius addit de errore sculptoris, qui lineolam transversam supra primum elementum appingendam siglae, quae sequitur, superposuerit, id certe, absit iniuria verbo, ineptum est. Siglam singularem, quae deinde sequitur, et cum littera P sive R vix adumbrata ligatur, ex collatione alterius epigraphes, ubi nexus clarius apparet, *Magister* haud dubius interpretor. Rejecta denique Rosinii de notis ΦK, quae mox sequuntur sententia, eas ego *filium quondam Sergii* significare suspicor et extremam vocem *fabrefecit*, ob breviationis notam supra appositam explico, neque, si id non placet, *faber* penitus abnuo. Sic per me tituli sensus est. *Grauso magister filius q. Sergii* (monumentum) *fabrefecit* seu eiusdem *faber* fuit.

In secunda vero inscriptione si *cuius* duas extremas litteras, quae quadratario verisimiliter exciderunt, suppleas, omnia plana erunt. *De donis Dei*, ibi dicitur, *et sancti Georgii votum obtuli* cuius *nomen Deus scit.*

In tertia vero haeret mihi aqua. Quid sibi vult *P. Grausuni?* Non quidem *Posuit Grausuni*, uti Rosinius conjicit, tum quia iterum heic dixisset, quod supra iam dictum fuerat, tum quia vox *Grausuni* genitivi casus est, et a praecedenti nota pendere videtur. Quapropter ego, quamvis haud sine dubitatione, in ipsa nota nomen quoddam inesse suspicor, ita ut: Petrus? *Grausuni* (filius) *magister aerarius* vel *Grausuni magistri aerarii* filius Dubius enim sum an artis attributio, patri vel filio adscribenda sit, ibi habeatur.

Cur autem is nomen suum lapidi apposuerit, haud facile divinari potest. Forsitan, cum Grausonis filius, atque itidem faber vel magister aerarius esset, in opere aliquid laboravit, aut, patre defuncto, adiecit et complevit.

Haec ego, tu vero, lector, *si quid novisti rectius istis, Candidus imperti si non, his utere mecum.*

(1) Mai, *Coll. Vat.* V, p. 167.

(2) V. p. 226, not. 7 Nunc ambo perierunt.

(3) *Cod. Dipl. Cav.* t. I, p. 27 et t. IV, p. 213.

II.

Inscriptiones Nolanae ac Puteolanae

(28)

a — HOC QVOD CERNITIS DISCITE QVOD LEO SOLERTIOR TERTIVS
EPISC. COMPSIT ET ORNABIT AMORE DI ET SCOR FELICI ET PAVLINI

b — HOC QVOD CERNITIS DISCITE QVOD LVPENVS EPISCOPVS COMPSIT ET ORNABIT
AMORE DI ET SCORVM FELICI ET PAVLINI. RVFI. LAVRENTI ET PATRICI
LVPENVS EPISCOPVS — FIERI PRAECEPIT — ANNO DCCC.

De Acerranis nullam, de Nolanis unam et alteram tantum inscriptionem, quas heic supra retuli, habeo. Exstabant olim in coemeterio Nolano; altera in marmore cum anaglyphis iuxta suggestum susque deque versa videbatur, in aliqua forsitan basilicae restauratione ibi posita; altera in septis marmoreis, quibus altare maius claudebatur et in stipitibus minores ianuae, unde ad illud ingressus patebat, legebatur. Ipsas ego a Remondinio (1) et ab Ambrosinio (2) exscripsi. Opera Leonis III, qui an. 700, et Lupeni, qui a. 800 episcopalem Nolanae urbis cathedram obtinuerunt, posteris testabantur.

(29)

✠ HIC REQVIESCIT IN PACE (3) IOA (4) PRES
NATVS IN CIBITATE NEAPOLITANA NOTRITOS *(sic)*
IN ECL MISENATA *(sic)*

Anno 1808 mense augusti, cum Miseni in loco, qui *Torre di Cappella* nuncupatur, humus altius effoderetur, lapis hic et cum eo vetus aevi romani sarcophagus, (5) in lucem prodiit. Inde in claustrum S. Francisci Puteolis et deinceps in regium Museum, quod nunc *Nationale* dicitur, translatus fuit, ubi n. 1795 (2806) signatus adhuc extat.

De eo primus notitiam dedit diligens Puteo-

(1) Remondini, *Della Nolana eccles. storia*, t. II, p. 518.
(2) Ambrosini, *Del Cimitero Nolano*, p. 316 et 326.
(3) Litterae NP monogrammate exprimuntur.
(4) Lineola, quae supra nomen Ioannis breviationem indicat, cum littera I in marmore ligatur.

lanarum antiquitatum scrutator can. De Iorio (1), qui inscriptionem, quae ibi legebatur, aere etiam incidi curavit et edidit. Postea, praeter alios, eam iterum protulit Fiorelli (2) ac nuperrime ex archetypo repetivit ac commentario instruxit doctus quidam vir in diario, cui titulus: *La Civiltà Cattolica* (3).

Ipsa inscriptio non sculpta sed graphio in lapide delineata est, atque litterarum formas inaequales et maxime rudes, ac scripturam cursivam cum majuscula, quam in re lapidaria adhibere mos erat, aliquando permixtam habet. Ad illam enim pertinent litterae A E L, (4) et U; quae postrema hoc habet praeterea singulare quod eiusdem ductus ad dextram legentis inferius, aliquantulum magis quam par erat, protrahatur (5). Cum autem ipsas typi proprie imitari nequeant, ego inscriptionem totam characteribus communibus exhibeo.

Quo autem tempore presbyter Ioannes vixerit et lapis positus fuerit incertum est, cum lapis ipse nulla nota chronologica obsignetur. Auctor dissertationis in diario cit. insertae, ex quibusdam S. Gregorii PP. epistolis (6) arguit Ioannem presbyterum, de quo agimus, post Benenati Misenatis episcopi obitum, quia ob *temporis qualitatem* novus ibi episcopus eligi non posset, a Fortunato Neapolis praesule, cui vacantis dioecesis cura erat demandata, in Misenate castro *ad divina illic sollemniter mysteria peragenda*, scil. ad ipsam dioecesim administrandam, constitutum fuisse, et ideo ad eam aetatem, i. e. ad finem saeculi VI vel ad initia saeculi VII, lapidem nostrum referendum esse contendit. At doctus vir procul dubio longe a veritate aberrat. Nam neque Misenum tunc temporis destructum, neque Benenatus ultimus ibidem praesul fuit. Id in pluribus indubiae auctoritatis documentis aperte habetur, ex quibus castrum illud extitisse ac per alios ferme centumquinquaginta annos viguisse (7), et alios etiam episcopos, quorum notitia usque ad nos pervenit (8), habuisse certo erui potest. Neque contra vocem *nutritus* in lapide adhibitam, recte cit. auctor interpretatur; ea enim ibi non quidem ad corporis, sed ad animi potius nutrimentum referenda est, scil. ad educationem et ordinationem Ioannis, qui clericus erat episcopi Misenatis et quasi ex eius familia (9). Ioannem igitur presbyterum et lapidem ego ad saec. IX atque ad tempora, quae proxime castri eversionem praecesserunt, tribuo.

(1) De huius sarcophagi eruderatione litteris datis die 17 m. septembris an. 1808 retulit architectus Carolus Bonucci effossionibus praepositus, qui ipsum etiam summatim descripsit et titulum supra relatum indicavit. Nunc extat in Museo *Nationale* n. 6762 signatus. Cf. cl. v. Ruggiero, *Degli scavi di antichità* etc. pag. 223.

(2) De Iorio, *Guida di Pozzuoli* p. 160.

(3) Fiorelli, *Catalogo del Museo Nazionale di Napoli Iscriz* p. 198.

(4) *Civiltà Cattolica quad.* 970, *15 novembre* 1890.

(5) Istam huius litterae (u) formam, ut alia exempla praeteream, in alphabeto gallico veteri apud Mabillon *De re dipl.* tab. II. atque in nummis Iustiniani II invenio.


(6) S. Greg. PP. *Epistolae* L. II. ep. 25 et 45 *Ad Benenatum ep.* (Ind. X — a. 591). V. ep. 34 *Ad Cyprianum diacouum* (Ind. XIII— a. 594); L. IX, ep. 50 et 51 *Ad Anthemium subdiaconum* (Ind. II—a. 598); L. eod. ep. 75 *Ad Fortunatum episc. Neap.* et ep. 76. *Ad Misenates* (Ind. II—a. 598): et denique L. X. ep. 61 *Ad Adeodatum abbatem neapolitanum* (Ind. III.—a. 599).

(7) Eversio Miseni an. 846 accidit, uti jam adnotavi in t. I. huius operis p. 87 et p. 212. Auctorem cit. dissertationis facile transversum egit Scipionis Mazzella recens nec satis firma auctoritas, qui in opere, cui titulus: *Sito ed antichità di Pozzuoli*, memoratum castrum a Saracenis (*Langobardis* corr. idem auctor) a. 596 destructum fuisse asserit.

(8) Duos post Benenatum Miseni episcopos nunc agnoscimus; *Agnellum* scil. qui Concilio Romano anni 680 interfuit et subscripsit, ac *Felicem*, ad quem pertinet inferior epigraphe.

(9) Cf. Ducange, *Glossarium* in v. Sic S. Ioannes IV Neap. ep., in cuius regimine S. Athanasius, ut institutione catholica imbueretur, a pueritia traditus fuit, ejusdem *nutritor* vocatur. V. t. I. p.286 et 290; et sic etiam Caesarius consul, Stephani ducis filius, cum puer Beneventano principi obses datus et ab eo ad virtutis disciplinam eruditus fuerit, in suo epitaphio *nutritus obses Arichis moderamine sancti* dicitur.

(30)



Inscriptio solutis, ut plurimum, nexibus et contractionibus sic legenda :

P abulator . hin hoc . antro (1) imminet . summus . celeverrimuS
A dcelera intemerata . birgo . het introduc . eum in sca tua aulA
C arismata . meruit Dei ut. munifice. promulgaret . plebem sua in oC
I ste vir . immaculatus non cessabit pro populum . et pro civitate (2) sua orarE
F igmentum factus est omnium . sacerdotum . ut bonus . predicatoR
I ubar factus est in populum suum sicut . propheta . in srl *(Israel)* venustus ob iD
C astus in vonitate . permansit . usque in fine non pollutus . genV
V tere beatissime . Felix . premia a magistro XPO tuo incolomiS (*sic*)
S ubsidium presta . illi XPE et introduc. eum in celestia regaliA (3)
I stebir . Dei famulus meruit in apice episcopati . annos . XVIII et ms *(mensem)* I
Dep . est . subdie VII mns *(mensis)* dcmb *(decembris)* ind. (4) XI. et curiositer . pollens . in gbt *(gibitate)*
[Mensenati . quiebit in pace. (5)

Et haec inscriptio eodem, quo praecedens, loco, anno 1817, reperta fuit, et per easdem etiam sedes transvecta, nunc in Museo S. Martini signata n. 2486 exstat. Sepulcro cujusdam Misenatis Ecclesiae episcopo, cui nomen, uti in v. 8 videre est, *Felix*, apposita fuit, et eiusdem laudes continet rythmo acrostico descriptas, in quo primis novem et postremis octo versuum litteris: *pacificus sacerdus* (sic) vocatur. Cum autem neque in hoc lapide ulla temporis, in quo defunctus vixerit, nota chronologica habeatur, eiusdem aetas praefiniri non potest, et tantum ex inscriptionis barbarie, ac praesertim ex duplice acrostico, quod in hoc, ut et in Stephani Neap. ducis supra relato epitaphio occurrit, utrumque ad eamdem aetatem, scilicet ad annos, qui proxime Miseni castri eversionem (846) praecesserunt, pertinere crediderim.

In ipsa inscriptione, quam primus aere (quamvis non omnino fideliter) incisam edidit idem can. De Iorio (6) et deinceps post eum typis repetivit Parascandolo (7), notanda est praecipue varia et singularis interpungendi ratio. Quadratarius enim praeter puncta sive rotunda sive triangularia, aut virgulas et corymbos, quibus indifferenter utitur, quandoque urceum, quandoque avem, quandoque denique folium etiam addit. Notanda insuper est litterae E tum lunatae tum quadratae alternatio, atque formae uncialis litterarum M ac B cum alii generis charactere interpolatio.

(1) Ita etiam sepulcrum vocatur in Boni ducis epitaphio (Cf. supra n. 4) et in Actis translationis S. Athanasii Cf. t. I, p. 286 huius operis.

(2) TE in nexu et sic etiam in v. 7 ad vocem: *vonitate.*

(3) Sic supra n. 24.

(4) ND, ut et MB vocis praecedentis in nexu.

(5) In hoc versu vox: *curiositer* habet primam I minori modulo sub R adscriptam, ut et deinceps voces: *Mensenati* et *pace* habent I atque A item sub litteris T et P appositas.

(6) De Jorio, *O. c.*

(7) Parascandolo, *Memorie della Chiesa di Nap.* t. II, p. 266.

(31)

✠ Inn *(in nomine)* dni costa (1) me sisinni et leopardo vv. hh. (*viris honestis*) bindedisse et bindedi bone bolotatis tibi barbaro et floren *(florentino)* vv. hh. casale nomine memorola qui est sub fundo casa dotale et s *(sub)* fundo casa cineris et a latu sispartarolo qui casalis pds *(predictus)* memorola qui condiscende in finis pecate iugera decem septe et in fundo campana (2) domum veliviena quattuor vel domus qui est posita iusta silice et pos domu coliiaria iugera dua et habet monimentum inter fine ecl *(ecclesie)* romane et alius iugerus est iusta terra ecclesie potho *(potheolane)* somonte favianu ubi vocatur castanea gutti et alius iugerus est iusta terra massenico macinsis (3) simul et hortus qui est transilice a parte fundo piscatoris et habet monimentum testinium et decide inter fine ecclesie potheo qui casalis predictus vel domus aut iugera ei obenit memorati venditores dixerunt et demisum qd *(quondam)* parentorum suorum in integrum cum omnibus ad se pertinentibus sicut ab eius autoribus inconcusso iuri (4) possessum et usque actinus possidi omnem etiam pretium inter eos placitum et defenitum auri soledos monite nomeri cinquaginta octo tantum ita inter eos bona fede convenit omnium conblibi qui ut supe iulianus venditionis casalis nomine memoriole per indictione secunda via qui bene campus poblicu et descen afin pecate via trasbersati qui bene de parte memorata et condescende in fine essi dne anne et inte finis pecate terre ecl *(ecclesie)* cuma *(eumane)* et terra sac *(sancti)* climentis (5) et fun *(fundum)* julianu (6) terra sce ecl *(sancte ecclesie)* cuma *(cumane)* qui condescende fundo a monetis terre sci *(sancti)* andreantis omnium complibi (7). ✠

Anno 1844, ut ex cl. viri Camilli Minieri in opusculo infra citando assertione disco, marmor hoc Cumis repertum, atque deinceps ab Angelo Granito Belmontis principe, tunc Neapolitani archivi praefecto, emptum et in eiusdem archivi musaeo invectum fuit, ubi nunc adservatur. Est in utraque facie ac in labro superiore litteris non scalptis sed graphio incisis inscriptum, e quibus singulares sunt D, quae graeco charactere (Δ) exprimitur, Q, quae fere G forma *cursiva* delineatam repraesentat, sed ductum inferiorem ad dextram oblique protractum habet, ac O, quae in quibusdam vocibus fere puncto similis est.

Inscriptio autem, quae ibi legitur, et ab ipsis claris viris Minieri (8) atque Granito (9) vulgata fuit, instrumentum venditionis cujusdam casalis in agro Cumano positi cum terris et domibus ad eum pertinentibus continet, atque, uti quaedam usufructuariae donationis chartula ecclesiae S. Mariae majoris Romae facta, *ex authenticis scriptis relevata pro cautela et firmitate temporum futurorum* in marmore exarata fuit (10) Ejusdem aetas incerta, cum praeter indictionem nullam aliam notam chronologicam habeat; verumtamen ex formulis adhibitis satis probabili coniectura ad saeculum VII adtribui potest.

(1) Haec est quaedam stipulationis formula in instrumentis adhibita (Cf. Marini, *Papiri* c. 330); usitatior vero apud nos erat alia fere similis: vid. *Certum est* quae passim occurrit in chartis in *Reg. Neap.* breviatis.

(2) Cf. *Reg. Neap.* nn. 293 et 406 et supra p. 184.

(3) Quae superius excripta sunt, ea in prima marmoris facie habentur; quae vero in aversa sequuntur post duarum fere linearum spatium, in quo marmor aut abrasum aut consumptum apparet, initium sumunt.

(4) De hac formula, in instrumentis hujus aevi adhibita, quaedam adnotavit vir summus *Marini* in *O. c.* p. 305, not. (7) quem vide sis.

(5) Heic desinit inscriptionis pars posterior; reliquum in marmoris labro superiore additum est.

(6) Fortasse ex hoc fundo *Juliano* nomen accepit vicus *Jullanus* vel *Julianum*, nunc *Giugliano*. Cf. supra p. 193.

(7) Quadratarius nimis oscitanter tabellionis vel notarii, qui instrumentum complevit, nomen in marmore omisit.

(8) Minieri, *Descriz. dell' antichissima città di Cuma* p. 41.

(9) Granito, *Degli Archivii Napolitani,, Discorso* p. 94.

(10) Cf. Marini, *O. c.* p. 141.

III.

Inscriptiones Surrentinae ubi et Litterenses

(32)

(1) HIC . REQVI
ESCIT IN PACE . REGV
LVS . ABBAQRESBITER (2)
GVBERNATOR ET SVSCE
PTOR PEREGRINOS ET ꝸSPITES (3)

Ex cod. Vaticano n. 9089,in quo inscriptionum συλλογή ab immortalis memoriae viro Caietano Marinio collecta habetur, hunc titulum, eruo.Ibi ipse f. 417 n. 8 hac adnotatione signatus legitur: « Surrenti in horto d. Octavii Correalis. Iuvenatius exscripsit, et vidi in eius schedis. MARINI ». Difficile verum est inter tot praedia, quae nobilis Correalium familia Surrenti possedit et possidet, illud a Iuvenatio memoratum praefinire. Id tantum conjici posse mihi videtur ipsum scil. in viciniis monasterii S. Renati (4) fuisse. Ex eo enim facile lapis, de quo ago, provenire potuit, et re quidem vera ibi etiam nunc quoddam ipsius familiae rus exstat. Ceterum ut cumque sit, lapis ipse, quoad scio, nunc deperditus est.

De pio christianorum studio erga peregrinos et pauperes, et de hospitiis ad eos recipiendos, alendos, atque reficiendos, quae monasteriis, ut plurimum, coniuncta erant, quaedam erudite quidem, uti solet, illustris vir, Io Baptista de Rossi disseruit in sua Christianae archaeologiae Ephemeride (5), a qua ego primam huius inscriptionis notitiam olim accepi. Satis verisimiliter Regulus, de quo in hoc tumulo agitur, erat *abba presbyter* (5) monasterii S. Renati, et in eo gubernatoris sive susceptoris peregrinorum et hospitum officium gerebat.

(1) Corymbus in marmore sculptus inscriptionem praecedit.

(2) Quadratarius vel ob inscitiam vel ob oscitantiam Q pro P in marmore sculpsit.

(3) L. *peregrinorum et hospitum.*

(4) De hoc vetustissimo monasterio ordinis S. Benedicti, primitus S. Severi titulo verisimiliter insignito, jam egi in *Memorie stor. della Chiesa Sorrentina* p. 16 et ss,

(5) *Bullettino di Archeol. cristiana,* Serie III, An. III, 1878, p. 88.

(6) Ita in instr. anni 938 memoratur abba presbyter monasterii insulae Rubilianae. *V. Regest. Neap.* n. 40.

Iaquintus a Deo sanctificatus, in Episcopati honorem (1) consecratus, in numero Apostolorum (2) EBENIT ADSOCIATVS (3), PLERVMQVE (4) sacrificando, ad laudem...
Amator fuit superne (5) legis, divina servando precepta super benignitate DILECXIT KARITATE XPI (6) predicta charitate. . . . .
Q (7) . . . . ESTIA ALTIVS PREPOLLENS PRO . . . .
Huic (7) arduum adeptus Antistitis nomine fulgebat quem suis Christus pastorem ovibus dedERAT, VT IN GREGE VLLVS SI... (8) senatus? ingrede . . . . .
Hic namque vultu noscitur fuisse mirifico, animo dulciori mellifluo, verbo amore PROMPTVS BOLVNTATE Honestus, in charitate . . . . .
Nempe (9) superne virtutis excelso obsecremur auxilio, ut qui aeternus pastor pastorem huius sepulcri repositi Sanctorum suorum. . . . . .
Tantamque (10) in eo sanctissimo viro Salvator largitus est gratiam, ut fovendo pauperes, diligendo suorum ovium animas, iam inquit Christo suo presentari.
Vivus vite noscitur fuisse prospicuus, in iudicio in viduis mitis, pupillisque amator, in peregrinis misericors et consolator. . . . . .
Sanctitate connexus perenni vite premia promeruerit (10) esse profectus (11), ibique Sanctorum merita amplexus ad astra perrexit illesus.

Relegens capita versuum nomen reperies, cuius nomen Christo protegente in perenni gratia hereditatem promerente adherentem, obsecro vos homines, legentesque quod providentes (12) ut vas tanti Sanctissimi viri sepulchri nemo audeat violare, nec pedibus calcare, per ipsum obtestor qui venturus est seculum per ignem iudicare.

Lapidem hunc Surrenti in vetustissimo PP. Benedictinorum coenobio, quod sub titulo divi Renati Surrentinorum episcopi extra et prope urbem usque ad hujus saeculi initia visebatur (13), olim extitisse et proprie in veteris basilicae altari positum fuisse Capacius saeculo XVII ineunte nobis tradidit. Postea veteri basilica penitus derelicta ob novi ampliorisque templi exaedificationem, lapis ipse verisimiliter nihili habitus vel ad alios usus conversus omnino deperiit. Nuper vero, cum ibi ex Municipii decreto, omnibus quibuscumque aedificiis, quae tum coenobii tum ecclesiae licet ruinosa adhuc extabant, solo acquatis, publicum Surrentinae urbis coemeterium a fundamentis extrueretur, in rudcribus aliqua litterati marmoris frusta inventa sunt, quae a marmorario adepta et mihi ostensa ego ad hunc titulum pertinuisse facile agnovi. Sic ex insperato quaedam in editis corrupta, quaedam manca heic, uti videre est, emendatiora vel pleniora dare potui.

Inscriptio autem ab ipso Capacio (14) primum edita, et ab Ughellio (15) atque Anastasio (16) nec non a me post Capacium repetita (17), Iaquinti Surrentinorum episcopi, qui an. 672 in actis Concilii Romae (18) habiti subscripsit, sepulcro apposita fuit. Constat rhytmo acrosticho, quem Capacius ita exhibet ut octo strophas, quarum unaquaeque tres versus habet, continere videatur. At contra, ex fragmento nuper reperto, rhytmum minime in strophis dispositum fuisse, et, quae tales apud Capacium esse videntur, eas unum solum versum constituere recte argui potest. Praeterea ex eodem fragmento versus ipsos non octo sed novem fuisse elicimus; tertius enim Capacium fugit; quod etiam ex literarum numero, quae Iaquinti nomen efficiunt, probatur; nam littera Q inter A et V aperte deest. Inscriptio denique epilogum soluta oratione scriptum habet, quo lector defuncti nomen in *versuum capitibus* inesse admonetur.

(1) *Episcopali honore.* Ughelli.
(2) Capacius et alii lectionem innovant sic: *venit sociatus.*
(3) Quae in hac inscriptione litteris maiusculis exhibentur, ea ex quodam parvo ipsius fragmento nuper reperto, de quo infra dicam, ad marmoris fidem exscripta sunt.
(4) Vox *plerumque* in marmore decurtatur, breviationis lineolis ad pedem litterarum R et Q appositis.
(5) Cum diphtongus in hujus lapidis fragmento superstite minime adhibeatur, ipsam ego in exemplo, quod a Capacio habemus, quoties occurret, deleo.
(6) Capacius et alii legunt: *dilexit charitatem praedicta* etc. quae cum vocibus in fragmento superstitibus concordare et ex eis sensum elicere nequivi.
(7) Heic alius versus in marmore exstare debuit a Capacio et aliis subsequentibus scriptoribus praetermissus, ut infra latius ostendam.
(7) Ap. Capacium et Ughellium: *ubic*, vel *Huic.* Olim ego, ut acrostichi lex servaretur hanc vocem in *Cui* vel potius *Qui* corrigendam esse censui; sed nunc de ipsa correctione opus non est, cum litteram Q in versu praecedenti recte et rationabiliter coniici possit.
(8) Linea, quae in fragmento abrupti lapidis extrema superest, litteram I potius quam E innuere mihi videtur, quod, si ita est, vocem *Senatus* male a Capacio lectam fuisse ostendit.
(9) Ughellius et Anastasius habent: *neque;* et paulo post: *obsequemur* pro *obsecremur.*
(10) Lectionem Ughellii, quae mihi rectior videtur, hic sequor.
(11) *Promeruit esse professus.* Ughelli.
(12) An *provideatis?*
(13) Cf. librum meum: *Memorie stor. della Chiesa Sorrentina* p. 16.
(14) Capaccio. *Hist. Neap.* t. II. p. 151 ed. Gravier.
(15) Ughelli, *Ital. sacra* t. VI. p. 740.
(16) Anastasio, *Lucubr. in Surr. ecclesiasticas antiqu.* t. II. p. 450.
(17) Capasso, *Mem. cit.* p. 48.
(18) Labbè, *Concil. Collectio* t. VII, col. 651.

(34)

. . . .
QVI OC (sic) TEMPLVM
PVELLARVM AB NOMINE
S. PAVLI APOSTOLI
A FVNDAMENTA (sic) LOCAVIT
TEMPORE DOMNI
STEPHANI EPISCOPI

E quibusdam schedis Mss. quae in archiepiscopalis Curiae archivo adservantur, ubi de Episcopis Surrentinis agitur, titulum hunc olim exscripsi et in cit. libro a.1854 typis vulgato, edidi p. 53. Deinceps a. 1857, parvum cujusdam lapidis fragmentum Surrenti repertum fuit, in quo, uti mihi tunc testatus est egregius juvenis d. Antoninus Ammone, haec legebantur:

A FVNDAMENTA . . . .
STEPHANVS PBR

Id itaque mihi facile persuasit ipsum fragmentum ad hunc titulum pertinuisse, sed quo pacto eidem aptari possit tentare nolui.

Monasterium S. Pauli, Benedictini ordinis, adhuc Surrenti exstat; Stephanus vero episcopus in titulo memoratus est ille ipse S. Athanasii, Neapolitani episcopi frater, qui circa finem saec. IX, et initium X, primum Surrentinam et postea Neapolitanam ecclesiam rexit. Cf. t. I, p. 227 et ss.

(35)

. . . RATER EIVS... OR
. . . ANDREAS DVM RE
. . . NSTANTINOPOLIS
. . . .

Fragmentum hoc Surrenti in fundamentis domorum q. Aloysii Gargiulo ad viam S. Caesarei anno 1852 repertum fuit. Ex apographo ab eodem supra laudato d. Antonino Ammone mihi misso, ipsum edidi in *O. c.* p. 265. In postremo versu quarumdam litterarum apices animadverti poterant.

(36)

. . . ORVMMEORVMDVMSEDERISINIVDICIODNEDS
. . . INQVITNECCONDEMNAVITMEDVMVENERITADIVDI
. . . ƆIVSDS . NAMQVITPROFVITMISEROBITACVMINTANTA
. . . SVFFRAGAREPERSONAMEVMQVEPRECAREFACTORE
. . . LISARCHANGELIOCCVRRAMDNOLETVS
. . . SECLS (1) ET ADIVROBOSOMNESPOSTMEBENTV (2)
. . . VNCTVMVLVMVIOLARIPERMITTASETSI
. . . Q (3) VXPI . EBENIATEICOT (4) ESTINPSALMVcVIII.

Titulus item Surrenti in aedibus dominorum Sersalium in eadem via S. Caesarii anno 1852 repertus fuit. Exscripsit idem d. Antoninus Ammone et ex ejus apographo ego ipsum edidi in

(1) Scil. *Sanctae Ecclesiae Surrentinae.*
(2) Litterae M et NT in monogrammate.
(3) Haec littera (q) forma cursiva exprimitur; at nescio an amicus Ammone heic recte viderit.
(4) I. e. *quod.* Elementum C pro Q, et T, uti etiam supra, pro D, adhibetur.

eodem libro p. 266. Deinde aliquid de eo meminit cl. vir D. Stevenson, qui versum quintum sic legit: *auxilio Michaelis Arcangeli occurram D.no letus* (5). Nunc lapis, quantum scio, deperiit.

(37)

. . . VREMEN (1) . . .
. . . ERMITTA s . . . .
. . . BIOLARI IMP . . .
. . . ANN. PRIMO . . .
. . . MB (2) IND. S. . .

Fragmentum item Surrenti prope domum *Villa Nardi* appellatam anno 1855 repertum idem d. Antoninus Ammone transcripsit et apographum mecum liberaliter, uti solebat, communicavit. Ex eiusdem contextu quamvis mutilo titulum sepulcralem esse facile patet, et *anno primo* imperii cujusdam imperatoris Byzantini, cuius nomen periit, ind. secunda vel sexta positum.

(38)

HIC REQVIESCIT (3)
IN PACE. (4) PULCA
RI INDIGNVS
PRB IV *(sic)* BIXITANN (5)
XXX
ET DEPOSITVS EST
MENSE APRILE *(sic)*. DIE
XVII . O . R . A . V . (6) ADIVRO
BOS O MIN . IS INDNOMI.... (7)
VT NON PERMITTATiS
E IOI . TRT . TVSB . S (8)
. . . . . . E . ATIS (9)
. . . . . . TECVM IVDA
TRADITOREDNI

Exemptum hujus inscriptionis quae anno 1857 Surrenti reperta fuit, supra laudatus d. Antoninus Ammone litteris mense junio eiusdem anni datis, mihi sollicite, uti solebat, transmisit, et ego usque adhuc in schedis meis servavi, unde nunc primum prodit. Verisimiliter ad sæc. VII pertinet. Marmor vero ex ejusdem d. Antonini Ammone testimonio, palmorum quatuor altitudinem, duorum latitudinem habebat.

(1) *Bull. di arch. crist.* a. 1879 p. 37.

(2) Litterae RE nexu exprimuntur.

(3) Heic pro puncto corymbus apparet.

(4) Littera Q charactere cursivo (q) inscribitur.

(5) Littera A semper, V aliquando, habent quamdam lineolam vel supra vel infra cum eisdem litteris conjunctam.

(6) Scil. *hora quincta.* — Aliquoties in inscriptionibus aevi romani, et saepius in illis quae ad inferiorem aetatem pertinent, occurrit interpunctio inter singulos vocum syllabas repetita. Cf. Lupi, *In epit. divae Severae* p. 67. Heic vero inter singulas litteras habetur; quod an alibi etiam factum sit, nescio.

(7) Legendum est: *Adiuro bos omines in domino meo.* Heic, ut et in voce praecedenti, lineolae transversae in littera E vel evanuerunt vel ab exscriptore minime animadversae fuerunt.

(8) Versum hunc a laudato Ammone fortasse minus recte exscriptum, ego explicare non potui.

(9) Hi postremi inscriptionis versus sic legendi: *hobeatis parte cum Iuda traditore Domini*, ut in aliis similibus dirarum imprecationibus, quae in lapidibus et in documentis passim occurrunt.

(39)

PETRVS (1) PBR (2) ET CVRIALE (3) FILIVS DoM PETRI FILIVS (4)
DOM GREGORII PBRI PELLICZA, REQVIESCIT IN HOC
TVMVLATVM (5) CVM REQVIE SEMPITERNA PER SECLA
A. DNI. M. CIIII. VNDECIMA DIE MENSE NOBEM
BRIO INDIC. XII. PETRVS PBR FILIO (6) EIVS PROPRIA (7)
MANV SCRIPSI SVB DOMi S. (8) PROCONSVL
ET DVX SORRENTINORVM FAMILIE (9) LICTEREN

Huius inscriptionis, a nullo patriarum rerum scriptore antehac vel proditae vel memoratae, notitiam mihi dedit egregius vir equ. Ferdinandus Columna e principibus Stiliani, qui eiusdem etiam apographum liberaliter mecum communicavit. Ipsa exstat Litteris in ecclesia S. Laurentii (10) scriptura non omnino rudi, sed inaequali et nexibus ut plurimum implicata (11). Ad mensem novembrem anni Ae. vulg. 1103, graeco more, ut ex ind. XII patet, supputati, tribuenda est; et praecipue notanda ob Sergii ducis Surrentinorum, qui tunc in castro Litterarum dominabatur, mentionem. Is autem satis verisimiliter unus et idem est ac ille, qui in duobus nummis aereis ad hanc aetatem pertinentibus, quorum usque adhuc notitia habetur, *consul et dux et princeps Sirrenti* (12), atque in diplomatis aa. 1111 et 1117, datis *princeps Sirrentinorum* tantum vocatur (13). Eo verum anno, quo hic lapis positus fuit, ipse Sergii II? patris in ducatu collega erat (14). Duorum enim consulum et ducum Surrentinorum mentio fit, ut cetera monumenta praeteream, in quodam rotulo membranaceo, qui ex Surrentino monasterio S. Renati in Casinense invectus fuit, et canticum *Exultet*, quod in cerei pascalis benedictione dicitur, Pascale II Summo Pontifice (a 1099-1118) et Barbato Surrenti archiepiscopo (a. 1105-111 ....) scriptum et figuris minio depictis illustratum continet (15). Cur autem unus Sergius, et non consulis sed sub proconsulis titulo in hoc lapide memoretur, praefinire nequeo; nisi si, ob castri Litterarum provinciam ei a patre demandatam, ita tunc appellatus fuerit.

(1) Litterae TRV heic et quoties Petri nomen iteratur, monogrammate exprimuntur.

(2) I. e. *presbiter*.

(3) VR in monogr.

(4) Littera I in vocibus: *Petri filius* minori modulo sculpta est; et sic etiam infra in voce: *Pellicza*. Nomen vero Petri litteris T R monogrammate conjunctis exprimitur.

(5) Syllaba TV item monogrammate exprimitur.

(6) Secunda I etiam heic minori modulo est sculpta.

(7) Litterae PR, cum iterantur, nexu inscriptae sunt.

(8) Scil. *Sergii*.

(9) Quid sibi velint verba FAMILIE LICTEREN. penitus ego una *cum ignarissumis* nescire fateor.

(10) De ipsa inscriptione idem diligens nostrarum antiquitatum scrutator verba fecit in suo, quod nuper edidit, opusculo: *Le grotte del monte Taburno* p. 62.

(11) Litterarum A, E et M forma in lapide praesertim est notanda. Earum enim altera quamdam lineolam superpositam et vertici adhaerentem habet; altera lunatam se praebet, altera denique ad modum, quo in scriptura unciali, est efformata.

(12) Nummos cl. vir Salvator Fusco primus edidit in *Atti dell'Accad. Pontan.* t. IV, p. 219. V. etiam opusculum cit. (*Le grotte del monte Taburno*) p. 63.

(13) V. Capaccio, *Hist. Neap.* t. II, p. 104, et Milante *De Stabiis* p. 204. Diplomata in Archivo Cavensi adservantur.

(14) Cf. Di Meo, *Annali del r. di Nap.* t. VIII, p. 323.

(15) Caravita, *I codici e le arti a Montecassino* t. I, p. 308.

(40)

A . DNI . M . C . X . III
M (1) . $\overline{\text{APR}}$. INDIC (2) . Y (3)
EGO $\overline{\text{PE}}$. $\overline{\text{PBR}}$. ET (4) . CV
$\overline{\text{RI}}$A . CV (sic) MPLE (5)
BE . HV$\overline{\text{I}}$. ECCLE . CE
PI FABRIADHO (6)
NORE BEATi
LAVRENTI

Exstat hic titulus in eadem ecclesia S. Laurentii Litteris, et jam a cl. viro Matthaeo Camera editus fuit (7). Heic vero ipsum ego ex apographo ab eodem eq. Ferdinando Columna mihi dato iterum in aliquibus emendatiorem prodo. Ipsius orthographia generatim eadem est ac illa quae in praecedenti habetur, nisi quod litterae E et M formam quadratam habent, et pro interpunctione quaedam notula semicircularis ad virgulae quasi speciem adhibetur. Petrus presbyter et curialis, de quo heic sermo, idem habendus est ac ille, qui titulum praecedentem scripsit.

(1) Subtus M parvae litterae E indicia apparent.

(2) ND in monogrammate.

(3) Nota numeralis V littera Y denotatur. Camera contra legit: VI, quae quidem indictio in anno 1113 Ae. vulg. currebat. At cum in lapide V aperte habeatur, annum 1113 Pisanorum more scil. a martio praecedenti supputatum ibi fuisse rectius dicendum est.

(4) *Et* in nexu.

(5) I. e. *cum plebe.* MP, ut et HV sequentis versus item nexu esprimuntur. E vero post L utrobique supra hujus litterae lineam inferiorem ad minorem modulum inscripta est.

(6) I. e. *cepi fabricare ad honorem.*

(7) Camera, *Mem. stor.* del duc. Amalfitano, t. II, p. 670.

De sigillis et nummis ad Neapolitanum ducatum pertinentibus

MANTISSA

Restat nunc ut ad Neapolitani ducatus monumentorum syllogen absolvendam sigilla et numismata, quotquot nobis hactenus innotuerunt, lectoribus exhibeam, et quantum potero de eis breviter disseram.

Et primum de sigillis. Haec duorum generum sunt; alia ad duces, alia ad episcopos pertinent; quae ducum, si illud Sergii VII, in quo ducatus desiit, excipias, graeco; quae episcoporum latino sermone designata videbis. Omnia vero, si illud cereum ipsius Sergii VII iterum excipias, ex plumbo.

Singula nunc persequar. Ex iis, quae ad duces spectant, primum in publicam lucem prodiit an. 1769 opera Gabrielis Lancillotto Castelli, qui etiam eiusdem ectypon dedit (1). Tunc temporis Panormi in museo monasterii S. Martini, ut ipse testatus est, servabatur. Deinceps ex Castellio ipsum repetivit Franz a. 1859 (2), et nunc ex eisdem, quandoquidem quid de archetypo actum sit nescio, ego iterum exhibeo. Est autem hujusmodi.



In sigillo igitur haec leguntur: In facie antica: ΘΕΟΤΟΚΕ ΒΟΗΤΕΙ (in monogrammate cruciformi) ΤΩ CΩ ΔΟΥΛΩ — in postica: ANDREA B. (i. e. Βασιλικω) ΥΠ (i. e. υπατω) S (και) ΔΟΥΚΗ ΝΕΑΠΟΛ. scil. *Deipara auxiliare servo tuo Andreae imperiali consuli et duci Neapolis.* Siglam S in hujusmodi monumentis pro και adhibitam fuisse exploratum est (3).

Cum autem in serie ducum nostrorum duo fuerint, qui Andreae nomen habuerunt, alter scil. qui Neapolim rexit ab an. 672 ad an. 677, et alter, qui ab an. 834 ad an. 840, in eadem dignitate vixit (4), dubitari quidem potest ad quemnam eorum sigillum hoc pertineat. At quoniam inscriptio, quae ibi legitur, graece exarata est, ego fidenter seniori ipsum tribuo; medio enim saeculo IX, cum Andreas II

(1) Castelli *(Gabrielis Lancillotti), Siciliae et objacentium insularum veterum inscriptionum nova Collectio.* Panormi 1769 p. 216, n. 14.

(2) *Corpus inscript. graecar.* t. IV p. 412, n. 8993.

(3) Cf. Schlumberger, *Sigillographie de l'empire byzantin* p. 70.

(4) Cf. t. I. p. 79.

floruit, nullus aut fere nullus in publicis ducum monumentis graecae linguae usus, cum contra saec. VII et VIII haud raro occurrit, ut videre est in inscriptionibus ducum Theodori et Stephani supra allatis.

Sigillum alterum, quod Panormi in museo *Nazionale* adservatur, primus in publicam lucem edidit cl. vir Antoninus Salinas ejusdem musei praefectus (1).


Ab eo ipsum repetivit Schlumberger, vir praecipue Byzantinae antiquitatis studiis benemerentissimus (2), et ego quoque heic iterum prodo.



Scil. in antica facie : ΘΕΟΤΟΚΕ ΒΟΗΤΕΙ (in monogr. cruciformi) ΤΟ CO ΔΟΥΛΩ ; in postica.... ιΕΟΡΓΗΩ (nota prioris Γ in parte superiori manca est) ΔΟΥΚ ΝΕΑΠΩΛΕΩC i. e. *Deipara auxiliare servo tuo Georgio duci Neapolis.*

Nullus dubito quin sigillum hoc pertineat ad illum unum Georgium, qui ab an. 730 ad an. 740 (3) Neapoli dux fuit.

Tertium sigillum primus idem Castellius protulit cum hac nota : *Catanae in museo Paternione*, et post eum Franz (4).



In antica ipsius facie occurrit adsueta epigraphe sic: ΟΕΟΤΟΚΕ ΒΟΗΤΕΙ (monogrammate cruciformi) ΤΩ CΩ ΔΟΥΛΩ i. e. *Deipara auxiliare servo tuo*, in postica vero litteris in nominis initio aliquantulum detritis...... ΓΟΡΗΟ ΔΟΥΚ ΝΕΑΠΩΛΕΩC i. e. *Gregorio duci Neapolis.* Prima nominis elementa defecerunt, sed ex sequentibus Gregorium ibi inscriptum fuisse facile patet.

At quatuor hujus nominis Neapolitani duces extiterunt (5) ; unus qui ab an. 740 ad an. 753 ducatum rexit, alter qui ab an. 767 ad an. 794 ; tertius qui ab an. 864 ad an. 870, et quartus denique qui ab an. 898 ad an. 915. Cuinam igitur ex istis sigillum nostrum tribuemus ? Ego, eodem quo supra nisus argumento, uni ex duobus prioribus adscribendum esse censeo, ac proprie eorum alteri, qui Stephani ducis et episcopi filius fuit, nam primus, qui erat etiam imperialis spatarius, dignitatem hanc, qua decorabatur, in sigillo certe non omisisset.

Quartum denique sigillum, quod est cereum et in magno Neapolitano Archivo adservatur, ad Sergium VII postremum Neapolis ducem pertinuit. Membranae, in qua diploma concessionis Jo-

(1) *Periodico di numismatica e Sfragistica Italiana*, t. IV, p. 267. Tab. XI, n. 9.

(2) Schlumberger, *O. c.* p. 224-225.

(3) Cf. t. I, p. 56.

(4) *Corpus inscr. graec.* t. IV, p. 412, n. 8992.


(5) Cf. t. I, p. 57, 59, 93 et 106.

hanni Abbati monasterii Ss. Severini et Sossii ab eodem an. 1131 factae legitur, affixum erat, et ejusdem adhuc in ima ipsius membranae ora vestigium patet (1). Numquam editum fuit, et sic se habet.




Scil. *Sebgius* (sic pro: *Sergius*) *consul et dux.*

Sigilla, quae ad episcopos pertinent, etiam quatuor sunt. Primum est Laurentii; qui sedit ab an. 715 ad an. 730. Prodiit inter *Musei Sanclementiani numismata selecta* (2). In antica facie imaginem S. Januarii stantem cum epigraphe: *Sanctus Januarius* hinc inde inscripta, in postica nomen *Laurentii episco* habet. Eius ectypon hoc est.



Alterum quod heic sequitur, sigillum, et olim in Regio Museo Borbonico exstabat, nunc ob temporis vetustatem et hominum incuriam destructum et in pulverem redactum dolemus. Verum forte fortuna eius apographum cura et studio S. Fusco et filiorum, de Neapolitana historia optime meritorum, ab Andrea Russo, qui circa medium hoc saeculum diligentem et optimum veterum monumentorum descriptorem se praebuit, delineatum fuit, et nunc a laudato Arturo Sambon adservatur. Exemplum, unde ectypon lectoribus exibeo, scite et accurate expressum ipse egregius juvenis ad hoc opus exornandum liberaliter mecum communicavit. Sigillum in antica imaginem S. Januarii, ut in praecedenti bulla, cum epigraphe: SCS IANOYAPI ac in postica nomen *Pauli episc.* cum cruce supra tres gradus posita (3) praesefert. Cum autem duo fuerint hujus nominis et ejusdem fere aetatis Neapolitani episcopi; alter qui ab an. 762 ad an. 767, et alter qui ab an. 800 ad an. 830 sedit, incertum est ad quemnam eorum hoc sigillum tribuendum sit. Tamen, si qui conjecturae locus, ego potius Paulum *juniorem* praepono, quippe qui diutius quam senior, si id aliquam vim habet, in episcopatu vixit.



(1) V. tab. XI, in praecedenti volumine.

(2) Sanclementius Henr. *Musei Sanclementiani numismata selecta*, Romae 1809, Pars II, Lib. III, Tab. XL, n. 7.

Tertium sigillum, quod in museo Nationali extat, eamdem, quam in superioribus, S. Januarii imaginem in antica facie habet cum epigraphe *Scs Ianu*, nomen vero *Stephani episc.* in postica. Ita se se habet:



Aliud paulo diversum ac melioris notae eiusdem sigilli exemplar, cuius apographum ab eodem Andrea Russo, accurate, uti solebat, factum, saepe laudatus Sambon etiam servat, nunc deperditum est. Ectypon, quod infra exibeo, ex ipsius egregii iuvenis delineatione provenit.



De ejus domino itidem dubitatio est; nam duo etiam hujus nominis Neapolitani episcopi, Stephanus II et III (de Stephano enim I. (499-504), utpote nimis vetusto, non ambigo) in contentionem veniunt; alter qui ab an. 767 ad 800, et alter qui ab an. 898 ad an. 907 Neapolitanam cathedram rexit. Verum cum aliquid non habeam unde potius de uno quam de altero cogitem, rem in ancipiti relinquo.



Quartum denique hoc, quod supra exhibeo, sigillum ex eodem Museo Sanclementiano eruo (1). Ipsum ab antecedentibus in hoc differt, quod imaginem S. Januarii absque nimbo et *sancti* appellatione, atque non integram sed dimidiatam cum epigraphe: *Janua.* habeat; in postica vero: *Athanasius episcopos Neap.* legitur.

Ceterum de ejusdem domino idem, quod de antecedenti bulla dicendum. Incertum enim est an ad S. Athanasium, qui ab an. 850 ad an. 872 vixit, vel ad Athanasium II, qui ab an. 876 ad an. 898, adsignari debeat; de isto tamen magis mihi placet.

(1) Sanclementius, *O.* et *l. c.* tab. XL, n. 8.

Et haec de sigillis satis dictum, nunc ad nummos transeundum est. De eis vero primi saec. XVII quaedam praestiterunt Capacius (1) et Tutinius (2) ac post eos saeculo insequenti Muratorius (3). At cum tunc temporis rei numismaticae, quoad medium aevum attinet, scientia adhuc in primordiis staret, et nummorum neapolitanorum exemplaria, quae per manus eruditorum virorum versabantur, aut manca et detrita, aut etiam omnino falsa essent, id in causa fuit cur scriptores supra memorati in errorem aliquando inciderent atque falsas aliquando opiniones in medium afferrent. In hoc verumtamen, quod ad exitum vergit, saeculo et major hujus generis nummorum recens inventorum copia, et magis accuratum de eis studium, ut quae jam olim obscura et imperfecta erant, praecipue cl. viri Salvatoris Fusco et filiorum ejus (4), Dominici Spinelli principis S. Georgii (5) ac I. Cordero de Sanquintino (6) atque egregii J. Sabatier (7) opera, hujus rei cognitio clarior et plenior evaderet, quam maxime effecerunt.

Praeterea egregius juvenis Arturus Sambon, qui primus ex professo hanc spartam illustrandam nuper suscepit 3), novis melioribusque nummorum in sua domestica collectione atque alibi adservatorum exemplaribus propositis, veterum, qui jam praecesserunt, scriptorum errores profligavit, ac quae nunc tandem explorata in re sunt, breviter sed lucide digessit atque exposuit.

Hisce subsidiis adjutus ego pro instituti mei ratione nummorum Neapoli percussorum, qui usque adhuc nobis innotuerunt, syllogen praesto. At antequam ad eam manus admoveam opus est, ut aliqua de variis pecuniae, quae apud nos in usu erat, generibus sive nominibus lectores praemoneam. In nostris enim huius aevi monumentis praeter *libras* et *uncias*, quibus nummorum sive aureorum, sive argenteorum pondus proprie denotabatur (8), saepe memorantur *solidi* et *tareni*, et aliquando etiam *tremisses*, quorum notitia ad rem monetariam Neapolitanam cognoscendam haud inutilis mihi videtur.

Solidi igitur, quorum eadem ac aureorum notione tum apud nostrates tum apud alias gentes frequens, ea, de qua agimus, tempestate, usus (9), in Neapolitani ducatus documentis fere semper aurei byzantii (10) dicuntur, ex eo quod, sive Byzantii, sive forsitan etiam alibi ad nummorum Byzantii effictorum normam cusi fuissent. (11) Aliquando *solidos* etiam *de Amalphi* (12) invenio; at hi proprie

(1) Capaccio, *Hist. Neap.* L. I, Neap. 1607.

(2) Tutini. *Mem. della vita, miracoli e culto di S. Gianuario.* Neap. 1633, p. 36 et ss.

(3) Muratori, *Antiq. Ital.* t. II, c. 621.

(4) Fusco. Salv. *Del ducato di Ruggiero*, Nap. 1812, in 4; *Tavole di monete del reame di Nap. e di Sic.* negli *Atti dell'Accad. Pontaniana* Vol. IV, fasc. 2, Nap. 1843, in 4.

(5) Spinelli, *Monete cufiche battute dai principi Longobardi, Normanni e Svevi nel r. delle due Sicilie.* Nap. 1844, in 4.

(6) Cordero di S. Quintino, *Delle monete di Giustiniano II*, nelle *Mem. dell' Accad. delle Scienze di Torino.* Serie II, 1845.

(7) Sabatier, *Description generale des monnaies Byzantines depuis Arcadius jusqu'à la prise de Constantinople par Mahomet II.* Paris 1863, in 4.

(8) Tum in chartis neapolitanis, tum in illis, quae ad alias Italiae meridionalis regiones pertinent, tum etiam apud chronologos et alios huius, de quo agimus, aevi, scriptores saepe librarum et unciarum auri vel argenti mentio occurrit. Cf. *Regest Neap.* nn. 74, 254 etc.; Gattola, *Hist. Casin.* t. I, p. 74, 136, 266 etc.; *Codex dipl. Cav.* t. I, p. 253, II, p. 30 etc. (Cf. Guillaume, *Essais sur l' abbaye de Cava* p. LIV); *Codex dipl. Cajetanus* t. I, p. 74, 159, 160, etc. *Syllabus graecar. membr.* p. 4, 10 et alibi.

(9) Multiplex et varia solidorum auri apud nostrates in documentis hujus aevi appellatio. Habemus enim, praeter solidos bythianteos vel bizantinos, qui frequentiores occurrunt, solidos beneventanos (*Capit. Sichar.* n. 2, v. supra; (Blasi, *Series princ. long. qui Salerni imp.* doc. n. 1, 100, 102), constantinos vel constantinatos (Blasi, n. 52, 53 et *Cod. dipl. Cav.* passim), mancusos (*Ioh. PP. VIII* ep. 69; Camera, *O. c.* I, 132, 135; Grimaldi, *Ann. del r. di N.* t. VII, p. 531), michelatos (Ughelli, *Ital. sacra* t. IX, p. 45; *Syll. graec. membr.* p. 79), romanatos (Gattola, *O. c.* t. I, p. 279; R. N. A. M. t. V, p. 241; *Syllabus graec. membr.* p. 30, 36. Cf. p. 608), schifatos (Blasi, *O. c.* doc. n. 21; *Syll. graec. membr.* p. 22, 151, etc.; R. N. A. M. t. V, p. 93), sotericos (*Syll. graec. membr.* p. 23, 28; Cf. Ducange, *De inf. aevi numism.* n. 21); omnes sive a regione, in qua utebantur, sive a salutaris crucis signo, seu Salvatoris (*Soter*) vel principum (Constantinus, Michael, Romanus) effigie, quam praeferebant, sive denique ab eorum factura vel forma nomen adeptos.

(10) *Regest. Neap.* n. 1 et passim.

(11) Non modo Neapoli, Amalphiae et Cajetae ac in locis Byzantinorum imperio subjectis vel sociis, sed etiam in regionibus ad Longobardos pertinentibus solidorum byzantiorum usus et in documentis mentio, uti videre est in *Chron. mon. S. Benedicti de Carpineto* ap. Ughelli,, *O. c.* t. VI, c. 1259; Gattola, *O. c.* t. I, p. 258; Giorgio, *Notizie di S. Sisto* p. 67 etc.

(12) *Regest. Neap.* nn. 463, 595, 598.

nummi non erant, reapse Amalphiae cusi, sed certa tarenorum amalphitanorum quantitas, qua rationes apud nos tunc supputabantur (1). Solidorum denique Siculorum mentionem in charta Vulturnensi, quae ad Neapolitanam rem attinet an. 882 (2) factam non moror, quippe quae omnino per ea tempora singularis, immo insolens est, et fortasse Johannis monachi, qui membranam exscripsit, σφαλμα videri potest. Quoties autem pretium alicujus rei solidis integris persolvebatur, hi nota *in cantum*, quoties minutioribus monetae speciebus, quibus solidus constituebatur, nota *in fractum* designabantur (3).

Solidus aureus, uti formula ad certam quandam nummorum summam indicandam adhibita, constabat tarenis quatuor, unde ipsi in documentis aliquando *solidi de tari* dicuntur, *ana quatuor tari per* solidum (4).

De tarenorum origine ac nominis etymo non satis constat (5). Id tamen vero magis simillimum mihi videtur, quod ipsi a Saracenis in Sicilia primum adhibiti (6), et a Salernitanis atque Amalphitanis deinde commerciorum causa statim accepti ac ex forma denariorum (*dinar*) a calipho Al-Moezledin-illah (953-978) effictorum (7) praecipue interpolati vel imitati circa initium saec. X in docc. nostris occurrere ceperunt (8) atque mox plurimum invaluerunt. Sic tarenos africanos (9), utpote legendis arabibus inscriptos, et a Saracenis Siciliae cusos, ac tarenos salernitanos et praecipue amalphitanos (10) a locis, e quorum officina monetaria imitationes prodierunt, vel in quibus maxime ipsi viguerunt, appellatos habuimus. Fuerunt etiam et Salerni et Amalphiae tareni *cassimini* et *but-*

(1) Fusco, *Sul ducato di Ruggiero* p. 4 — De his solidis notandum etiam est pactum in instr. a. 1063 conventum, quo emphyteuta spondet se pro horto sibi Neapoli concesso annuum censum solidorum 25 de amalphia persoluturum, sed si deinceps alia *meliora moneta* per Neapolitanam civitatem in usu fuerit, et dominus id voluerit, 26 tantum solidos de ea daturum. V. *Regest Neap.* n. 493.

(2) V. t. I, p. 268 hujus operis.

(3) *Regest. Neap.* nn. 68, 78, 89, 98 etc.

(4) *Regest. Neap.* nn. 251, 258, 291 etc. 567, 572 etc.

(5) De tarenis praecipue egerunt: 1. Can. Dom. Schiavo *Il tarì d'oro* negli *Opuscoli di scrittori siciliani* t. XVI, p. 225; Minervini, *In quatuor graeca diplomata* etc. Excursus de auri tarenis. Neap. 1838, p. 77; 3 Camera, *Importante scoperta del tarì Amalfitano* Neap. 1872 et in *Memorie storico-diplom. di Amalfi* t. I, p. 174 et ss. ac nuper 4 A. Sambon *Il tarì Amalfitano* in *Rivista Italiana di Numismatica*. Mediol. 1891 p. 117 et ss.— Fuerunt olim et qui de horum nummorum materiali existentia dubitaverint, ac tarenorum vocem ad ratiocinandi tantum usum inventam fuisse suspicati fuerint. At praeter alia, quae hanc opinionem improbant, argumenta, id unum satis est referre, quod Falcandus tradit de seditiosis, qui anno 1160 contra Guillelmum I insurgentes regium palatium praedae commiserunt. *Quidam,* inquit ille, *aurea argenteaque vasa tarenis implentes porrigebant amicis domum interim deferenda, nonnulli quoque per fenestras palatii in plebem, quae foris stabat, tarenos abundantissime dispergebant.* Falcandus in R. I. S. t. VI, c. 187.

(6) Hi nummi a Caliphi, qui eos primum signavit nomine, *moezzini* vulgariter vocati sunt.

(7) Cf. Spinelli, *Le monete cufiche* in epist. praemonitoria Tafurii, p. 17, et in not. p. 228, ac praecipue Sambon in cit. dissertatione, ubi ipse, quae ad rem faciunt et huc usque explorata fuerunt, dilucide quidem exponit.

(8) Primam tarenorum notitiam in docc. Salernitanis ad a. 908 (*Cod. dipl. Cav.* t. I, p. 159); in Caietanis ad a. 909 (*Cod. dipl. Cai.* I, 40) in Neapolitanis ad a. 935 (*Regest. Neap.* n. 28), in Amalphitanis ad a. 939 (*Chartul. Amalph.* n. 32) invenio.

(9) Leonis Ostiensis *Chron. Casin.* L. III, c. 58.

(10) Tareni amalphitani in omnibus hujus aevi, quae ad vetus Neapolitanum regnum pertinent, documentis, praecipue (Cf. Blasi, *O. c.* doc. 8, 15, 18 etc.; Ughelli, *O. c.* t. VI, p. 298 charta Nolana, a. 1123; Camera, *O. c.* t. I, p. 175 et ss. ac alibi), in illis vero, quae proprie in Neapolis territorio scripta fuerunt, unice occurrunt. (*Reg. Neap.* nn. 551, 568, etc.; Surrenti in a. 1111, Pansa *Stor. di Amalfi* II, 12); Item tareni salernitani vel *de moneta ipsius civitatis Salerni* in chartis eiusdem principatus (Cf. Blasi, n. 28, etc. *Arch. Cav.* arca XVII n. 19) praecipue habentur; (Ughelli, *O. c.* VII, 581; Muratori *Ant. Ital.* I, 226). Hos vero tantum urbis, ex cujus officina monetali prodierunt, expresse indicium dare usque adhuc exploratum est; eorum enim aliqui Gisulphi principis, et urbis Salerni, nomina vel epigraphen: *Salerno prece* aut quasdam incertas litteras, quae Guaimario IV tribuuntur, habent; unde salernitanos esse absque dubio arguitur. In amalphitanis contra nullum neque signum neque indicium ejusdem urbis usque nunc compertum; praeter singulare illud typum recens inventum et a laudato Sambon etiam illustratum, in quo S. Andreae Amalphiae patroni et Salerni urbis nomina simul leguntur; unde ipsum vel Salernitanae urbi, cum Manso III Amalphiae dux eam obtinuit, vel Amalphitanae cum Guaimarius IV eam subjugatam Mansoni duci dedit, tribuendum esse haud inverisimiliter conjici potest. Animadvertendum denique est de tarenis Siculis vel de moneta Siciliae nullam per haec tempora, sed frequenter post constitutum Siciliae regnum, mentionem in chartis nostrarum regionum occurrere.

tumni, quorum verborum significationem non assequor (1). Quod vero ad tareni etymon attinet, profligata Dufresnii et aliorum, qui a Tarento, ubi primum tarenos cusos ac inde sic vocatos fuisse putant, opinione (2), atque alia can. Dominici Schiavo, qui a vocabulo Saraceno *Tarain* sive chaldaeo *Tariia*, commercium negotiumve significantibus, hujus nominis originem derivatam autumat, coniectura (3) etiam reiecta, ego in verba clarissimi viri Michaelis Amari rerum arabicarum magistri iurans, eiusdem sententiam, a doctis nunc communiter acceptam, sequor, et *tari* ab arabico *dirhem* vel *dirhim*, cursim *trihm*, et in plurali *terhaim* pronuntiato, quod pondus (unde *tari-peso*, *trappeso*) significat, deducendum esse censeo (4).

Tareni ex auro erant conflati, et quatuor ex eis, uti supra innui, solidum efficiebant.

In contractibus, cum pretio appendebantur, saepe, ut *boni* et *expendibiles* (5), saepissime, ut *boni, diricti* et *pesanti* essent (6), saeculis XI et XII cautum. Aliquando solvebantur vel requirebantur tareni *boni de illis monetis veteris* (7) aut *de moneta de Amalphi*, vel *de quale moneta tunc andaverit per istam civitatem* (8) vel *boni, pesanti in captu et negotiantili sine detinentia et absque juncta* (9).

Tremisses auri denique, quos tertiam solidi partem valuisse compertum est (10), in nostris docc. expresse Neapolitani appellantur, et in dispositionibus ex testamento factis tantummodo reperiuntur (11). Eos minime a nummologis huc usque visos fuisse non inficior; attamen, cum tremisses beneventanos (12) et Salernitanos (13), tum in chartis per ea tempora memoratos, tum in gazophilaciis nunc adservatos videam, nihil est, meo judicio, cur neapolitanos extitisse negem, atque hos illis certo haud absimiles fuisse mihi persuadeo. Ceterum rem doctis viris ac tempori definiendam relinquo.

His, quae supra dixi, praemonitis nummos nunc in Neapolitanae urbis officina monetali cusos, et usque adhuc cognitos breviter expediam.

Et primo animadvertendum est eorum paucos ex argento, complures ex aere conflatos, atque alios imperatorum byzantinorum, alios ducum nominibus inscriptos fuisse. De argenteis, qui *denarii* appellabantur, haud rara in nostris hujus aevi chartis notitia, de aereis contra, quos *folles* vel *follares* nuncupatos scimus (14), nulla in illis quidem mentio. Omnes vero, si Neapolitanae reipublicae statum spectes, bifariam distinguendos esse jam recte vidit laudatus Sambon, quem libenter sequor.

Prima igitur secundum istam distinctionem horum nummorum series eos continet, qui Neapoli signati fuerunt, cum Ducatus sub directo et pleno impp. byzantinorum dominatu tenebatur. scil: ab institutione ipsius ducatus usque ad Stephani ducis et episcopi regimen (662-768). Decem, quod ad varium ipsorum typum attinet, numero sunt, et tantummodo impp. Constantis II. (641-668), Iustiniani

(1) Tarenos *cassiminos* in doc. an. 956 ap. Blasi, *O. c.* n. 82; *buttuminos* vero in doc. a. 974, ap. *Chartularium Amalphitanum* seu *Codice Perris*, n. 72 invenio. In doc. a. 957 ap. *Chartul.* cit. n. 31, habentur etiam solidi *cassimini*, sed forte vox de *tarenis* in cod. aut in membrana excidit. — Memorantur etiam aliquando tareni *de minimis*. Blasi, *Ibid.* doc. n. 16; fortasse de minutioribus nummis.

(2) Ducange, *Gloss.* in v.

(3) Schiavo, *O. c.* p. 225.

(4) Amari, *Stor. dei Musulm. di Sicil.* II, 459.

(5) *Regest. Neap.* n. 275.

(6) *Ibid.* nn. 589, 598, 600, 603 etc.

(7) *Ibid.* n. 412.

(8) *Ibid.* nn. 338, 551, 608, 613.—Haec formula adhibebatur etiam in instr. romanis et tiburtinis. Cf. Marini, *Papiri* p. 241 — Aliquando adjiciebatur: de tareni *boni qui per caput vadant.* Blasi, *O. c.* doc. 10; Marini, *l. c.*

(9) Instrum. Surrentinum anni 1085, ap. Milante, *De Stabiis, Stabiana eccles. et episc. eius* p. 194 et 196.

(10) Isidorus, *De orig.* L. 14, c. 24; Marini, *O. c.* p. 269.

(11) *Reg. Neap.* nn. 402, 404, 514, 623, 659. Dicuntur etiam *tresmisses. Reg. Neap.* n. 557. — Legatum, de quo supra innui, in testamentis Neapolitanis, quousque Curialium ordo duravit, occurrit; sive quod posterioribus temporibus, uti simplex formula in illis remansit, sive quod revera tunc tremisse quamdam pecuniae summam omnino repraesentabat. In testamento enim Matthaei Aurimini die 10 aprilis an. 1328 celebrato item legitur: *Habeat Sancta Neapolitana Ecclesia pro luminaria adque iur* (sic. *l. absque iniuria*) *trimixu unu neapolitano. Pergamene dei monasteri soppressi*, vol. 132, n. 2084.

(12) In doc. a. 860 solvuntur *auri trimissi vigintiquinque monete d. Arigis bb.* (Beneventi) *principis.* Camera, *Memor. stor. dipl. di Amalfi* t. I, p. 95.

(13) Blasi, *O. c.* doc. n. 89 et 97. — *Cod. dipl. Cav.* t. I, p. 24, 91, 95, 101, etc.

(14) *Nummi folles dicuntur a saeculo quo conduntur.* Papias et *Vetus Glossarium*. Eos libentius Follares sequior aetas eos vocavit.

II. qui et Rhinotmetus (685-695 et 705-711), atque Leonis III (715-741) nomen praeseferunt. Singillatim sic se habent.

1] Caput diadematum imperatoris prolixa barba, ac dextra sceptrum, sinistra globum crucigerum tenentis.

)(trabs transversa, supra quam index monetarius sive nota numeralis xx i. e. *vigintinummia* et in vertice parva crux, infra NE. i. e. *Neapolis*, officinae monetariae indicium.

Semifollis. Æ. SABATIER *O. c.* t. I, p. 304, tab, XXXIII n. 28. (*Tab.* xx. n. 1).

2] Caput diadematum imp., senis et barbati, qui, a dextris epigraphen: CONST... a sinistris globum crucigerum tenet.

)(Similis praecedenti, nisi quod supra notam numerariam deest crux.

Semifollis Æ. Ex collectione SAMBON.

3] Protome imperatoris cum globo crucigero a dextris et a lateribus hinc inde ex adverso, scil. a dextra ad sinistram est inscriptum: Cos b, i. e. *Constans* βασιλευς (*imp.*)

)(Ut in n. praecedenti nisi quod, duo xx simul coniunguntur.

Semifollis. Æ. SANQUINTINO, *Tab. numm. Neapp.* inedita penes cl. virum Luppi Mediolanensem. (*Tab.* xx, n. 2).

4] Similis praecedenti sed absque epigraphe, et vestis imperatoria est aliquantulum diversa.

)(*Item.*

Semifollis Æ. Ex collect. SAMBON (*Ibid.* n. 3).

5] Caput imp. imberbe cum globo crucigero.

)(Ut in n. 2.

Item Æ. Ex coll. SAMBON (*Ibid.* n. 4).

6] Imperator stans et dextra hastam crucigeram, sinistra globum item crucigerum tenens; juxta a dextris legitur: EN TOY..... i. e. *In?*

)(Inter tres parvas cruces, unam scil. superiorem et duas laterales littera seu sigla K, quae XX nummos indicat. Sub consuetam trabis figuram legitur: NE.

Semifollis. Æ. SANQUINTINO. *Tab. cit.* (*Ibid.* n. 5).

7] Protome imperatoris, qui dextra globum crucigerum tenet; ad sinistrum latus ejusdem legitur COΘ i. e. COST ex adverso scil. a dextra ad sinistram scriptum.

)(Supra consuetam trabem nota XX; subtus AEN i. e. *Neapolis* item ex adverso scriptum.

Semifollis Æ. Ex Fuscorum diagrammate ab Arturo Sambon descripto (*Ibid.* n. 6).

8] Imperatoris imberbis diademati et palliati protome cum legenda: DN IYSTINIA i. e. *dominus Iustinianus.*

)(XX et subtus trabem NE.

Semifollis Æ. SABATIER *O. c.* t. II p. 26 tab. XXXVII n. 22.

9] Protome imperatoris, qui a dextris globum, cujus tantum crux apparet, habet, atque ex lateribus IY TI i. e. *Iustinianus.*

)(Uti praecedens.

Semifollis Æ. Ex collect. SAMBON (*Ibid.* n. 7).

10] Imperatoris imberbis protome, qui dextra globum crucigerum tenet cum legenda utrobique scripta: ND ΛEO.
)(XX et subtus trabem NE.
Semifollis. Æ. SANQUINTINO *l. c.* (*Ibid.* n. 8).

Altera nostrorum nummorum series illos continet, qui, cum Neapolitani ob *detestabilem imaginum altercationem* a Byzantinorum imperio defecerunt, et se in libertatem vindicarunt, signati fuerunt: i. e. a saeculi octavi medietate in antea. Principio S. Ianuarii, praecipui eorum patroni, imaginem in locum illius, qui Byzantii imperabat, substituerunt, et in parte adversa urbis NEAPOLIS nomen graece scriptum apposuerunt. Deinceps litterae initiales ejus, qui tunc ducatum tenebat, in nummorum parte adversa pro ipsius urbis indicatione apparent. Denique imperatorum imaginibus et inscriptionibus ipsius ducis imago et inscriptio plane succedit.

Verum tamen animadvertendum est nummos argenteos, quamvis in monetali Neapolis officina absque dubio cusos, si qui supersunt, omnes titulum et effigiem impp. Byzantinorum usque exhibere; quod minime ex alternis atque variis in nostris regionibus Byzantini imperii vicissitudinibus, uti amicus Sambon opinatur, deducendum esse arbitror, sed potius ex more apud Neapolitanam rempublicam recepto aeream scil. sive minutiorem tantummodo monetam suorum ducum nominibus inscribendi, argentea vero ad impp. Byzantinos, nisi quod S. Ianuarii effigies adjungeretur, reservata. Et quidem, cum acta in Neapolitano ducatu celebrata semper sub impp. Byzantinorum nominibus omnia inscriberentur cur haec in nummis tantum abjicienda forent? Neque enim unum vel alterum ex his majorem, quam reapse habebant, imperatoribus auctoritatem in Neapolitano ducatu tribuebant vel auferebant. Praeterea notandum est Sergium ducem, qui primus in nummis aereis et nomen et effigiem suam apposuit, eodem fere tempore, quo denarios Basilii nomine inscriptos habemus, mortem obiisse. Nihil igitur novi tunc temporis in conditionibus inter Neap. ducatum et Byzantinum imperium evenisse recte affirmari potest. Ceterum de hac mea ratiocinatione, quaecumque ea sit, viris in re nummaria doctioribus iudicium relinquo et ad ipsorum nummorum enumerationem describendam devenio.

1] Protome S. Ianuarii cum nimbo et evangeliorum libro. Hinc inde ad perpendiculum est inscriptum: SC-IANO (S. Ianuarius).
)(✠ NEA-ΠOΛ-IC (1).
Semifollis. Æ. Ex collectione SAMBON. (*Ibid.* n. 9.).

2] Idem ac praecedens, nisi quod *S. Iano* nomen non integre perpendiculatum inscribitur, sed postrema littera (O) ad latus N apposita est.
)(Ut in praecedenti.
Semifollis. Æ. Ex collectione Sambon. (*Ibid.* n. 10.).

3] Alius eiusdem nummi typus male impressus, in quo SI *(Sanctus)* tantum visitur.
)(Ut in aliis praecedentibus.
Semifollis. Ex collectione SAMBON (*Ibid.* n. 11.).

4] Alius nummus similis, sed minoris moduli cum epigraphe: SCS-IA.
)(Ut in praecedentibus sed absque cruce.
Semifollis. Æ. Ex collectione SAMBON. (*Ibid.* n. 12)

(1) Unum hujus nummi exemplar dedit primus CAPACCIO (*O. c.* t. I, p. 277), et post eum aliquanto melius repetiverunt TUTINI (*O. c.* p. 29) ac ex communicatione Ignatii M. Como MURATORI (*Ant. Ital.* t. II. c. 621 n. 2); ex quibus deinceps SANT'ANNA (*Vita di S. Gennaro* p. 327) et STILTING, *Acta ss. Ianuarii* etc. p. 201 — Nummum vero cum imagine S. Ianuarii et epigraphe: Ἅγιος ὁ Ιανουάριος etc. utpote omnino falsum non moror. Cf. t. I, p. 38 hujus operis.

Prima hujus seriei immutatio est haec :

5] S. Ianuarius tonsuratus et vestibus episcopalibus indutus cum epigraphe: SCS IAN.

)(Crux insistens supra duos gradus inter S. et T. (1).

Semifollis. Æ. Ex collectione SAMBON. (*Ibid.* n. 12).

Altera, in qua typus gradatim in pejus mutatur et corrumpitur, has habet varietates.

6] S. Ianuarii protome cum quodam pileolo vel galericulo in capite et cum legenda: SCS IANV hinc inde inscripta.

)(Ut in praecedenti.

Item. Æ. Ex. collectione SAMBON (*Ibid.* n. 13).

7] Idem ut in praecedenti tum in antica tum in postica facie, nisi quod legenda aliquantulum diversificat sic: SCS-IAH.

Item. Ex collectione SAMBON. (*Ibid.* n. 15).

8] S. Martyris effigies, quae habet in capite quamdam mitellae speciem cum vittis hinc inde in orbiculorum forma ad utramque aurem expressis et cum epigraphe, ubi tantum: SCS-...N legitur, litteris IA minime impressis.

)(Crux, ut in praecedentibus, quae, omissa S., habet siglam T tantum a dextris positam.

Item. Ex collectione SAMBON. (*Ibid.* n. 16).

9] S. Ianuarii effigies magis deformata cum capitis tegumento, quod definiri nequeo, et cum litteris legendae, quas vix ac ne vix quidem assequi possumus.

)(Crux super duobus gradibus cum siglis S. T.

Item. Ex collectione SAMBON (*Ibid.* n. 14).

Nummorum hoc typo signatorum maxima exstat copia. Eorum enim unus Fusco 40 exemplaria habuit et in duobus tabulis exscripsit, quas nunc egr. vir Luppi Mediolani possidet. Ipsorum etiam plurima exemplaria laudatus Sambon servat.

In ipsis vero siglas S. T., quae minus recte a Tutinio: *Sancta Trinitas,* et a Muratorio: *Salutis Trophaeum* esplicatae fuerunt, nunc litteras initiales nominis Stephani ducis indicare universim receptum est. Ita et in Beneventano principatu, atque in nummis Siconis, ubi litterae S. C. nomen ejusdem indicantes, visuntur, tunc temporis in more positum fuit.

Quis autem e duobus, qui ita appellati seculo VIII et IX vixerunt, ducibus, hic noster fuerit non liquet; at satis verisimile videtur Stephanum II fuisse. Barbaries enim quae in studiis humanitatis et litterarum deprehenditur, uti videre est in epitaphiis tum eiusdem ducis tum Boni eius successoris, in omnibus etiam ingenuarum artium operibus recte argui potest. Res Neapolitanae erant quidem tunc turbulentissimae; omnia seditionibus et tumultibus plena, ita ut nullus vel fere nullus litteris et artibus locus.

At paullo post, Sergio I ad ducatus regimen assumpto, Neapolitana respublica in melius provecta per plures annos domi bellique floruit. Ad haec tempora pertinent nummi, qui integre nomen et imaginem ducis preseferunt et satis correctam formam exhibent. Sunt autem hujusmodi.

1] Protome S. Ianuarii, qui tonsuratus et stola indutus evangeliorum librum dextra sustinet vel potius ostendit. In pectore SIS et hinc inde SCS-IANV legitur.

)(Effigies ducis cum diademate ducali et vestibus gemmatis; dextra hastam crucigeram, et sinistra globum item crucigerum tenet; a lateribus hinc inde SESSIV-DVX legitur.

Follis. Æ. MURATORI aliique *ll. cc.* (*Tab.* XX n. 17.

(1) Hujus nummi ectypon dederunt iidem, de quibus in nota praecedenti dixi.

2] Similis praecedenti sed typo diverso.

)(Item nisi quod stella exstat infra manum quae globum habet.

Follis. Æ. Ex collectione Sambon. (*Ibid.* n. 18).

Alterum hujus nummi exemplar in Museo Britannico adservatur. Ipsum saepe laudatus Arturus Sambon descripsit, et mecum communicavit. Hoc autem habet singulare quod S. Ianuarius in pectore pro litteris SIS quasdam lineolas ad ornamenti causam habet. In fine hujus capitis imaginem ejusdem exhibeo.

3] S. Ianuarii effigies ut supra, nimbo tantum circa caput adjecto.

)(Protome ducis, ni fallor, tonsurati, et vestibus episcopalibus induti. Legitur hinc inde ατχα (τχ in monogrammate) EPS.

Follis. Æ. Ex collectione Sambon. (*Ibid.* n. 20).

Per haec tempora occurrit quidam nummus aerea, qui ex typo ad Italiae meridionalis, immo ad Neapolis officinam monetariam adtribuitur. In eo rursus impp. byzantinorum imagines apparent. Est autem hujusmodi.

Protome Michaelis imperatoris, qui temulentus dictus fuit, dextra globum crucigerum tenentis. cum legenda MIHAEL IMPERAT.

)(Protome Basilii imp. repraesentati prout in praecedenti et cum legenda: BASILIVS REX.

Follis. Æ. Sabatier, *O. c.* t. II p. 103 et tab. XLIV, 16. (*Ibid.* n. 21).

Cur autem horum impp. nomina in nostri ducatus moneta aerea (si ipse nummus revera Neapoli cusus fuit) inter m. majum a. 868 et m. sept. a 869, quando Michael cum Basilio imperavit, appareant, et quid epigraphe in utraque nummi facie apposita, quae in nummis byzantinis omnino insolens est, significet, ego explicare nescio.

Ad haec etiam tempora pertinent ii, qui solum, quoad sciam, ex Neapolis officina monetaria sub ducibus prodierunt, nummi argentei sive *denarii.* Eos igitur exhibeo.

1] BASIL IMPE et in area NEAPOLI monogrammate expressa.

)(S SCI IANUARI et in medio crux duobus gradibus insistens.

Denarius. Ar. Pfister, *Monnaie inédit. de l' empereur Basile I frappée a Naples*; *Rev. Numism.* 1849. Ex Museo Taurin. (*Ibid.* n. 24).

2] S BASIL IMPE et in medio NEA, NE in monogr.

)(S SCI IANUAR et in medio supra gradum et inter duas stellas.

Denarius. Ar. Ex collectione Sambon. (*Ibid.* n. 21).

3] BASILI IMPE in area.

)(S SANCTA S SI (*Religio*) XA (*Christiana*).

Denarius. Ar. Ex collectione Sambon. (*Ibid.* n. 22).

Nummus inter aa. 881-884 cusus ad celebrandam, uti Sambon conjicit, graecorum contra Saracenos victoriam.

Ad nummorum denique Neapolitanorum, quos nunc habemus, seriem absolvendam postremus accedit nummus aereus, qui proxime sequitur et est hujusmodi.

Solita S. Ianuarii effigies, qui dextra, uti videtur, crucem tenet et hinc inde ex utroque capitis latere litteras habet: S $\overline{\text{IA}}$ *(Sanctus Ianuarius)* lineola ad contractionis notam superposita.

)(In area crux cum quatuor stellis orbe inclusa, et circum circa, siglis et litteris nexu implicatis, legitur: ✢ XS vel, ut in alio exemplo heic et deinceps XRS VINCE (in nexu INCE), XPS REG XPS I *(Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat).*

Aer. ex collectione Sambon (Tab. XX, n. 23).

Cl. vir Engel, qui nummum primus edidit (1), ipsum Northmannorum temporibus Neapoli cusum fuisse putat, postea quam Rogerius Siciliae rex primus, Neapolitanis in deditionem receptis, inter alias, quas eis concessit, immunitates, jus etiam propriam cudendi monetam restituit. At quamvis ex moduli parvitate, atque ex litterarum forma et ex caractere impressionis recte nummus ipse ad ea, de quibus Engel suspicatur tempora, adsignandus sit, tamen nullo modo post annum 1140 rejici potest. Haud enim verisimile videtur, ut recte arguit Sambon, Rogerium regem, eodem ipso anno, quo veteres nummos, qui Romesinae vocabantur, *mortali consilio accepto* abrogari edixit et ducatus ac trium follarum novam monetam introduxit (2), Neapolitanae civitati aliam ac communem cudere permississe.

Acute igitur saepe laudatus Sambon (3) ad an. 1138-1139, quando res Neapolitanorum, defuncto Sergio VII ultimo duce, ad interregnum rediit, nummum, de quo agitur, adsignandum esse conjicit. Neapolitani magnates siquidem in libertatem se tunc temporis vindicantes nullam alium nisi solum Christum in eorum Dominum eligere et recognoscere voluerunt (4). Sic nummus ipse supremus fuit diutinae Neapolitanae libertatis assertor et vindex.



Exemplum follis *Sergii I ducis ex Museo Britannico descriptum.*

(1) Engel, *Recherches sur la Numismatique et la Sigillographie des Normands* ecc. p. 56.

(2) Falco ben. ad a. 1140.

(3) Sambon — *Monete del Ducato Napoletano. Arch. storico per le province napoletane* Anno XIV. fas. III. p.

(4) Huius invocationis exempla habentur etiam in quibusdam aliarum civitatum nummis. Duo ex eis ad rem Sambon memorat; alterum in venetis, qui vulgo *zecchini* vocantur, ubi: *Sit tibi Christe datus, quem tu regis iste ducatus* inscriptum fuit; alterum in numismate Florentiae, dum obsideretur a. 1529 percussum, in quo legebatur: *Iesus rex noster et Deus noster.* His praeterea addendus est antiquior nummus venetus cum epigraphe *XPS IMPERAT*, de quo notitiam dedit Zanetti, *Ragion. dell'orig. ed antich. della moneta Ven.* p. 32 et Muratori *Antiq. Ital.* II. 648.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

Inaures byzantini operis prope Neapolim recens inventae

Hujusce anni initio, cum librum ad umbilicum adducere totis viribus festinarem, egregius A. Sambon saepe heic laudatus ac etiam nunc jure laudandus, istarum inaurium mihi notitiam dedit atque insuper earum diagramma photografice expressum mecum liberaliter communicavit. Gratus itaque optimi juvenis diligentiae ego lectores meos hujus muliebris ornamenti cognitione defraudare nolui, et ipsas phototypia repetitas eis heic pro apophoretis offero. Nam sive byzantinae sive indigenae artis opus sint, hae inaures certo ad neap. ducatum pertinent, quippe quae apud urbem nostram inventae et ad ea, de quibus agimus tempora, procul dubio adtribuendae sunt.

Constant vero ex auro laborato, ex gemmis vitreis coloratis, ac ex opere, quod vulgo *filigrana* appellatur. In parte aversa inter duos pavones erectos apparet monogramma, quo dominae, certe illustris ac divitis Neapolitanae matronae, nomen aurifex ibi forsitan designare voluit.





JAMQUE opus exegi, plurimis abhinc annis susceptum, diu haud parvo labore, quamvis ex intervallo, prosecutum, ac feliciter a. MDCCCLXXVIII Societatis historicae Neapolitanae beneficio praelo commissum. Longum per iter non defuere difficultates et obstacula, non animi aegritudo, non imbecillitas corporis. Interdum domestici luctus, rei familiaris cura, munera et officia publica, atque alia ex aliis studia jucundo labori moram fecerunt; interdum etiam adversa oculorum valetudo acriter impediit quominus, perinde ac cupiebam, adlaborassem. At omnia vicit sanctus patriae amor, et nunc opus, diu multumque expetitum, Dei Optimi Maximi providentia absolutum, tandem aliquando in lucem prodit ac Neapolitanis meis concivibus laeto animo sisto.

Ex eo quisquam facile animadverti poterit quanta animi virtute, quanta fortitudine et constantia majores nostri per quinque et amplius fere saecula barbarorum omnium praepollentibus viribus obstiterint, quanta relligione in Deum, quam maxima pietate in patriam excellerint, quam fauste feliciterque graeci romanique ingenii mores traditionesque servaverint. Liceat igitur mihi heic, dum finem scribendi facio et librum e manibus amoveo, meis civibus atque adeo patriae meae libenter gratulari, quod ipsa tanta et tam eximia olim virtutis documenta reliquerit, ut de illis posteri non modo gloriari, sed etiam, domestica exempla imitando, sibi ac reipublicae apte consulere possint.

Neapoli x Kal. Aprilis Mdcccxcii.

TABULA CHRONOLOGICA DUCUM NEAPOLIS

AB. A. 662 AD A. 969.

INDICTIONES	ANNI DOMINI	ANNI IMPP. BYZANTINORUM		DUCES NEAPOLIS
IV.	a sept. a. 661. ad aug. 662	Constantis	a. XXI.	**Basilius** dux primus a. 5.
X.	a sept. a. 666. ad aug. 667	»	a. XXVII.	**Theophilactus** a. 4.
XIV.	a sept. a. 670. ad aug. 671	Constantini Pogonati	a. IV.	**Cosma** a. 2.
I.	a sept. a. 672. ad aug. 673	» »	a. VI.	**Andreas** a. 5.
VI.	a sept. a. 677. ad aug 678	» »	a. XI.	**Cesarius** a. 7.
XII.	a sept. a. 684. ad aug. 685	Iustiniani Rinotmeti	a. I.	**Stephanus** (I.) a. 3.
I.	a sept. a. 687. ad aug. 688	» »	a. IV.	**Bonellus seu Donellus** a. 9.
IX.	a sept. a. 695. ad aug. 696	Leontii	a. II.	**Theodosius** a. 10.
IV.	a sept. a. 705. ad aug. 706	Iustiniani iterum	a. II.	**Cesarius** (II.) a. 6.
IX.	a sept. a. 710. ad aug. 711	Philippici	a. I.	**Iohannes** a. 8.
II.	a sept. a. 718. ad aug. 719	Constantini Caballini	a. I.	**Theodorus** a. 11.
XIII.	a sept. a. 729. ad aug. 730	» »	a. XII.	**Georgius** a. 10.
VIII.	a sept. a. 739. ad aug. 740	» »	a. XXII.	**Gregorius** a. 15 dies 15.
VIII.	a sept. a. 754. ad aug. 755	» »	a. XXXVII.	**Stephanus** (II.) a. 12.
V.	a sept. a. 766. ad aug. 767	» »	a. XLIX.	**Gregorius** a. 27 m. 6.
II.	a sept. a. 793. ad aug. 794	Leonis et Constantini	a. XIX.	**Stephanus** m. 6.
III.	a sept. a. 794. ad aug. 795	» » »	a. XX.	**Theophilattus** (II.) a. 6, m. 6.
IX.	a sept. a. 800. ad aug. 801	Hirenes	a. IV.	**Antimus** a. 17, m. 3.
XI.	a sept. a. 817. ad aug. 818	Leonis et Constantini	a. V.	*Exstradus in Neapoli* a. 3, m. 1.
XIV.	a sept. a. 820. ad aug. 821	» » »	a. VIII.	**Stephanus** (III.) a. 10, m. 10.
X.	a sept. a. 831. ad aug. 832	» » Theophili	a. XI.	**Bonus** a. 2.
XII.	a sept. a. 833. ad aug. 834	» » »	a. XIII.	**Leo** m. 7.
XIII.	a sept. a. 834. ad aug. 835	» » »	a. XIV.	**Andreas** a. 5, m. 5.
III.	a sept. a. 839. ad aug. 840	» » »	a. XIX.	**Contardus** dies 15.
»	» » » »	» » »	»	**Sergius** (I.) a. 25, m. 3.
XII.	a sept. a. 863. ad aug. 864	Michaelis	a. XXII.	**Gregorius** (III.) a. 5, m. 7.
III.	a sept. a. 869. ad aug. 870	Basilii	a. III.	**Sergius** (II) a. 7, m. 6.
XI.	a sept. a. 877, ad aug. 878	»	a. XI.	**Athanasius** episcopus et dux a. 20, m. 3, d. 29.
I.	a sept. a. 897. ad aug. 898	Leonis et Alexandri	a. XX.	**Gregorius** (IV) a. 16. m. 10, d. 10.
III.	a sept. a. 914. ad aug. 915	Constantini Porphyrogeniti	a. VII.	**Iohannes** (II) a. 4, m. 7, d. 12.
VII.	a sept. a. 918. ad aug. 919	» »	a. XI.	**Marinus** a. 8, m. 9, d. 15.
I.	a sept. a. 927. ad aug. 928	» »	a. XX.	**Iohannes** (III) a. 42 *circiter*.

CONTINUATIO

USQUE AD ANNUM 1139

Cum Chronicon Anonimum Pertzii in a. 964 desinat, Ducum, qui deinceps Neapolis dominatum tenuerunt, anni absolute praefiniri nequeunt; quapropter acervatim eorum tempora heic ex monumentis quae supersunt, subjiciuntur.

ANNI DOMINI	IMPERATORES BYZANTINI	DUCES NEAPOLIS
a. 969 — 976	Basilius, Constantinus et Iohannes Tzimisces	**Marinus** (II) filius Iohannis, imperialis anthipatus et patricius.
a. 977 — 998	Basilius et Constantinus	**Sergius** (III) cum filio
a. 998 — 1005	» »	**Iohannes** (IV) et (a. 1002) Sergius filius ejusdem collega
a. 1005 — 1027	» »	**Sergius** (IV).

(A. 1028 (1027) Ind. XI. Pandulfus princeps Capuanus intravit Neapolim fraude civium et obtinuit eam a. 1 et m. 5 vel per annos ferme tres.)

ANNI DOMINI	IMPERATORES BYZANTINI	DUCES NEAPOLIS
a. 1028 — 1034	Romanus Argyrus	**Sergius** (IV) iterum dux (a. 1029, 1030) et (a. 1033), Iohannes filius collega.
a. 1034 — 1038	Michael	
a. 1038 — 1042	Michael	**Iohannes** (V). et (c. a. 1050) Sergius filius ejus collega.
	Michael Calafatus	
a. 1043 — 1050	Constantinus Monomachus	
a. 1050 — 1054	Constantinus Monomachus	**Sergius** (V)
a. 1055 — 1059	Theodora, Michael Stratioticus, Isacius Comnenus	
a. 1060 — 1067	Constantinus Ducas	
a. 1068 — 1076	Michael, Constantinus, Andronicus et Romanus	
a. 1077 — 1091	Niceforus Briennius, Niceforus Botoniates, Alexius Comnenus.	**Sergius** (VI) imperialis protosebastes et (a. 1090) Iohannes filius eius collega.
a. 1092 — 1107	Alexius et Iohannes Porphyrogenitus	
a. 1107 — 1122	Alexius et Iohannes Porphyrogenitus, Iohannes Porphyrogenitus et alius Alexius.	**Iohannes** (VI) imp. protosebastes.
a. 1122 — 1137	» » »	**Sergius** (VII) qui m. octobri 1137 obiit.
a. 1138.	» » «	**Interregnum**

(A. 1039 m. Julii Cives Neapolitani Rogerio regi se submittunt. Finis ducatus.)

INDICES

PRAEMONITIO

Notarum et citationum, quae in sequentibus Indicibus adhibentur, ratio.

Numerus Romanus (*I*) *Volumen primum*, (*II*) *secundam partem secundi Voluminis denotat ; hujus vero prima pars, ubi* Regesta Neapolitana *continentur, nota* (*R.*) *indicatur.*

Numeri arabici in illis paginam, in hac documentum designant. In omnibus (*not.*) *uncis conclusa notas;* (*l.*) locum, (*t.*) testem, (*f.*) filium *vel* filiam, (*a. et aa.*) annum *vel* annos *significat.*

Quae denique in documentis posterioris aevi in notis aliquando occurrunt, ea literis inclinatis sive cursivis denotantur.

Indices nominum et locorum curavit Ioseph Ceci.

INDEX ONOMASTICUS

34

C

D

E

H

I

K

L

M

N

Q

R

S

T

INDEX LOCORUM

A

(*) Ecclesiae et monasteria, quae urbis, pagi, aut loci, ubi extabant, notam non habent ad Neapolim pertinent.

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

INDEX RERUM NOTABILIUM

A

B

C

M

N

O

P

INDEX TABULARUM

TOTIUS OPERIS

40

(1) Supra p. 221 ego hujus epitaphii exemplum me exhibiturum esse pollicitus sum ex quadam tabula aere incisa mecum a cl. viro d. Ianuario Galante communicata; verum, cum deinceps egregius Aloysius Fortunato aliud ejusdem epitaphii exemplum photographice, uti dicunt, expressum mihi ultro obtulisset, melius duxi hoc, quod ex ipso monumento, non ex diagrammate inde facto, repraesentatum erat, in patriae historiae commodum praeferre.

GLOSSARIUM

A

abberare, abberatio, II, 139; R. 355.
abbocator (*advocatus*), R. 195.
accactare, accactati (*acquirere*, vox Neapolitanae dialectus, *accattare*), R. 668.
accucioras, R. 458.
adostracare, R. 511, ostracundare de calce et arena R. 84. *V. astracum.*
aeres (*aedium lumina*), R. 187. Aer in docc. Amalphitanis dicitur *ventus*, Cf. *Chartul*, *Amalph.* seu *Codice Perris* n. 107.
alare, (*oscitare*, ital. *sbadigliare*), I, 314.
albaciare, alvaciare, abalciare (*fossas sive alveos circa vites et arbores cavare)*, R. 165, 292, 314, 321.
altineus (*altus*), R. 502.
amaricari (*dolore afficere;* ital. *rammaricare*), I, 203.
analogium (*ambo, pulpitum*), I, 280.
andare (vox italica, *ire*), R. 276, 613.
anditus (*transitus*), R. 177, 238, anditus altineus i. e. superior; terraneus i. e. inferior, R. 502.
andomata (endomata?), R. 615.
antefanarium, tifonarium, (*antiphonarium, liber continens antiphonas*), R. 387, 544.
antipenton (*aurum recoctum*), I, 200, V. not. *ibid.*
antiscum, de, plumatum, R. 245, et not. *ibid.*
aperturia (*apertura*), R. 132.
aquariola, arcora de (*arcus aquaeductus*), R. 520.
aquilare (*aquari*), R. 551.
aquilationes (*aquandi jus*), II. 26.
aquilatoria (*maris piscationes*, ut ex contextu videtur), R. 458.
arcaturia (*molendini pars*), II, 26.
arcina (*navale*), Apud Amalphim vocatur *arsena.* Cf. *Chartular. Amalph.*, seu *Cod. Perris*, doc. n, 80, editum a CESTARI, *Annali del r. di N.* t. X, p. 163, et nn. 83, 97; R. 378.
ardisca (res ad mundum muliebrem spectans, uti videtur), R. 402.
argatilia (*argatella*, vox Neap. dialectus, Italis *Arcolaio*), R. 404 et not.
armaturia R. 367.
astricavile i. e. *cum astrico.* V. infra, R. 524.
astracum, obstracum, R.294, (*astreco*, vox Neap. dia lectus, *pavimentum*), R. 235.
atfratare (*in fratrem recipere*), R. 662.
atlargare (*ampliare*), R. 294, 615.
atmictum (*amictus*), R. 544.
aurifice (*aurifex*), R. 211.
auturi (*auctores*), R. 186.

B

bactere (*verberare*), R. 321.
balane (*castaneae* gr. Βάλανος *glans.* In docc. Amalphitanis *vallani. Chartul.* cit. n. 35. Nunc hac voce adhuc Neapolitana plebecula utitur ad ipsas, cum aqua sunt coctae et corticem habent, significandas), R. 321.
ballatorium vel vallatorio, pl. ballatorias, R. 238, 294, 450 — qui est in caput ex ipsis gradis, R. 464.
bambace, (*bambax bombax*), R. 404.
bandi, bandum, (*edictum sive terminus edicto statutus*), R. 607.
baricare (*exire*, ital. *varcare*), R. 82.
baricatorium, varicatorium (*locus, per quem e mari in terram egreditur*), II, 39, 54.
bela in, R. 301. *V. imbela.*
bellosa, (forte *villosa*), R. 168 et not. 514.
bernoticum, obernoticum, bernoticas, (*tempus hyemale*), R. 15, 399.
bespolos (*mespila*), R. 321.
betulus (*senex*), R. 57.
bicariatio, vicariatio (V. DUCANGE in v.), R. 682.
bictum, (*victus* et designantur granum et ordeum, legumen et lupini), R. 256, 671.

birgara (*vergara*, vox Neap. dialectus, *terebra*), R. 514.
bitaula at ferula? (*vestis genus?*), R. 482.
blindone (*fascia?*), R. 482.
bonaccia (*malacia*), R. 104.
braccia de illi panni (*mensura*), R. 623.
bucculario (cognomen), R. 507.
bufulcus (*bubulcus*), R. 81, 331.
bullosa menata (*an eadem ac* Bellosa?) R. 482.
burdones (*ligna, parvae trabes* a gr. Βουρδον, *burdo, baculus*), R. 84.
bustora, (*bustum, sepulcrum* in ecclesia), R. 523.
butre, butta (*buttis*), R. 524, 669.

C

caba, cabuschella (*via cava, iter cavum*), R. 210, 219.
caberium (an ex errore pro: castrum?) R. 381.
caldara R. 252, 523 — calderiola, R. 514.
calice de stagno (*calix de stamno*), R. 270, 357.
camare, (*cubicula*), R. 667.
cambiare (*permutare*), R. 158 — cambium (*permutatio*), R. 34.
camisa (*subucula*, ex Neap. dialectus pronuntiatione), R. 482, 514, 623.
caminata *(pars domus*, ital. *sala, camera)* — camminata trinea? R. 610, 615.
cammisu cum unu cingulu (*vestis linea* a sacerdotibus, cum missam celebrant, induta), R. 544.
campese vel campise, R. 126, 157 etc., terra absque pastinum vel arbustum, II, 66.
camputripite (an a χυτροποδιον, *foculus cui imponitur olla*, vel potius olla cum tribus pedibus? Apud nos adhuc viget vox *trebbeto*, et in pl. *tribete; tripes*), R. 252.
camprare se inter se (*se recipere?*), R. 238.
canalicellum, R. 435.
cancellata (*postes reticulatae* scil. ex cancellis contextae et in fenestris vel in januis appositae), R. 364.
cansare (*evadere*), II, 153.
cantarum (*labrum*) marmoreum vel tofignum, R. 524.
cantone (*angulus*), R. 67, 84; II, 27 — cantus, R. 494.
capitale (*pulvinar*. In instr. graeco a. 1273 occurrunt καπηταλια. *Syll. graec. membr.* p. 487) — cum indona, R. 404.
capora (*capita*) de illi trabi, R. 615.
carcellata, carcillata (*mensurae genus*), R. 483, 493.
carmunoclu (*parvum carmum*, scil. *carrulus*), R. 525 et not.
carraria, R. 321; publica 254.
carrecare (*onerare, carro imponere*), carrecata, R. 525.
carrillata (an eadem ac *carcillata?*) de folea, R. 533.
casa *(rusticorum domus)*, R. 35.
casale, R. 183 — casalicellum, R. 336.
casella de ramme, R. 402. *V. Caucinella.*
catone in padule (*habitationes, casae;* κατούνα, domus in qua quis habitat; vox mediae graecitatis. Cf. DUCANGE, *Glossarium* in v.), R. 166.
caubratam, caubratum, l. caubsatam vel caubsatum i. e. cassatum, R. 80.
caucinella. Fortasse a gr. καῦκος, *caucus, parva patera*. (Cf. DUCANGE, *Glossarium* in v.) — cum casella de ramme (cum arcula aerea), R. 402.
caucumminas (*cacumina*, italice *propaggini*), R. 321.
causa (*res:* ital. *cosa*), R. 108 et passim.
cellarium (*cella vinaria*), R. 67.
cellariolum, R. 612.
centimularius, cintimularius (*molendinarius*), R. 23.
centimulum (*molendinum*. V. DUCANGE: vox adhuc viva apud nostrates), R. 433.
cerasa *(fructus noti)*, R. 673.
cerqua (*quercus*), R. 356.
cesa (locus ita dictus a cesura arborum, quae ibi jam exstabant) — cesula (*parva cesa*), R. 292, 331.
cesina, R. 40.
charta de tumbo, R, 435 — chartula de tummo, R. 142, 222, 356, 482 — *V. tumbo.*
ciano (alibi *thianus, patruus* vel *avunculus*), R. 632.
cima (*apex*), R. 237.
cincire (verisimiliter *cingere*), R. 482. *V. Limula.*
circinaturum (*vestimenti genus*, ut videtur; an, quod nostris temporibus *tournure* dictum fuit, innuit?), R. 482.
citrola, ad illum, (cognomen), R. 584.
clabaca (*clavica, cloaca*), R. 615.
clausuria seu clusuria de terra, clusuricella, clusa (V. DUCANGE), R. 163, 210, 349, 502.
coligantes? de qualicumque piscatione, II, 34.
colludium (*conlusio*. V. DUCANGE), R. 108, 439.
combenientia (*conventio*), R. 355.
commiatum (*licentia*), R. 359.
companiones de quacumque piscatione, (*retis genus?*), II, 34.
comparare (*acquirere*), R. 555.
complitum (*completum*), R. 616.
comunicale, R. 482.
concambiare concambio, (*cambiare, permutare*), R. 120, 158.
conciare (*reficere, instaurare*), R. 14, 67.
conciatio, R. 568; conciaturia (*instauratio*), R. 100, 165.
conocla (*colus, conocchia*, vox Neap. dialectus), R. 183.
coniolum, cuniolum, cuniolo, (*cuneolus*), R. 82, et passim; cum scapulis et ribis vel rias, R. 356, 428.
consocrunii (*consoceri*), R. 79, 219.
constummi per, (*per consuetudinem*), R. 574.
contrasterunt (*contenderunt;* ital. *contrastare*), R. 516.
coprire (*tegere*), R. 615.
coquinatum, (*coctum*), R. 553.
coronella de ramme (*coronula aerea*, seu parvum candelabrum in modum coronae. (V. DUCANGE), R. 295 not. 387.
cosita, R. 514, cositus et excositus, (*assutus et dissutus*), R. 402, 514.

cuctella (*parva cocta*, gr. κουτελλαν. Cf. *Syll. graec. membr.* p. 376), R. 623.
culcitra indomata, R. 482. *V. indomata.*
cultivare (*colere*), R. 249.
combine de cepulle (*restis,* vox Neap. dialectus, *commine,* a gr. κομβος, nodus, nam cepullae insimul innodantur), R. 286.
curtaneum, R. 124.
curticella (*parva curtis),* R. 18, 27, 199, 502, 610.
cusitore (*sarcinator),* R. 668.

D

derramare, desramare, vel ramare, (*ramos amputare*), R. 285, 314, 321, 375.
dispositum (*testamentum*), R. 216.
disternita, (*strata*), R. 502.
domminii seu patroni, R. 113, 198; II, 72.
domucella, (*domuncula*), R. 199.
duleum (*dolium*), R. 234 — duliolum, (*parvum dolium*), R. 204.
dossicia vel doxicia (*fenestra satis arcta,* ita ut sit pro lumine; sic vocem explicat NAPODANUS in *Consuet.Neap.*XXI, p. 395), R. 203 et not., 612.

E

ebacuare, R. 80.
egripus, gripus (*ripa* ?), R. 46, 442, et passim.
emarginare sepem et roncare, R. 321.
esca (*glandatio*), R. 362; escaticum, R. 154.
escatoria (*loci ubi esca colligitur*), R. 413, 551.
essere, R. 210.
exauda terra (*ager incultus*) vel sauda, R. 154; exaudum, R. 663.
excambium (*permutatio*), R. 191, 468.
exconsita, R. 198, 413; excossitus et exaudus campus, (*incultus, non consitus*), R. 663.
excotere, (*tollere*), R. 401.
excuniare, scugnare, (*frumentum terere,* vox Neap. dialectus), R. 559, 664.
exegregare (*segregare),* R. 217.
exerchitalis (*exercitalis vir.* ERCHEMP. I, 34; *miles*) R. 102.
exfalia, exfalia idiosceri (instrumentum dotis vel donationis propter nuptias), R. 105, Cf. II, 122.
expendium, spesarium (*expensa*), R. 138, 169, 314.
exporcitia (*spurcitia*), R. 524.

F

fabrire (*fabricare*), R. 31, 84, 203, 634.
facciola, (*linteola,* quibus varie utuntur mulieres, unde ital. *fazzoletti*), R. 482; gricisca et ardisca, R. 402 et not.
facciola gricu.... 482; faciola de corona, R. 295, not.
facculum (forte idem ac facciolum) de seta, R. 295 not.
faciestergium, facietergium (*sudarium*, linteolum ad tergendam faciem), R. 482 — Facietergium stellatum plumatum (*vestis ecclesiastica?* Cf. DUCANGE, in v.), R. 245, 270, 387.
faschios (*fasces*) de lino, R. 532.
fasioli (*faseoli*), R. 110, 233, 244.
felicandi, (*filices tollendi*), R. 292.
ferroras (*ferramenta*), R. 414.
ferula, R. 482, *V. bitaula.*
filatorium, (*instrumentum, quo filum trahitur*), R. 524.
filiastro (*privignus*), R. 238.
finaita (*limes,* vox adhuc viva in quibusdam Neapolitani agri pagis), R. 354, Male ibi impressum est: *finita.*
fischines (*fiscinas*), R. 314.
fistillum (*pistillum?*), R. 514.
flatum quod est in monte Vesuvio (*mofeta*), R. 398.
flecta spanisca vel deaurata et (at?) tres listem inforrata (*fasciae* sive *vestes.* V. DUCANGE in v.), R. 402.
fleva da cingere (*zona flexa*), R. 514.
focacia (*placenta,* ital. *focaccia*), R. 297.
foce (*fauces*), R. 431.
foleas, folia (*olera,* apud nos *foglie*), R. 233, 443.
fortiam, per, (*vi et minis*), R. 73.
fortior (*major*), R. 502.
fossatus, fossatum (*paludes, vel cursus aquae*), R. 85, 87, 315; campi qui nominantur fossati, R. 87.
frabrito (*fabricato*), R. 128, 140, 219.
frabum ? R. 414.
frasca, (*ramulus*), II, 7.
fravia, R. 115.
fravicandum, R. 14, 414, 463, 665.
frugiare, fructare, R. 110, 121, 149, 185, 234, 305.
fruntale et frontale, (*antae,* vox Neapolitanae dialectus), R. 132, 238, 502, 663.
fuga, at illa, quam laborat cannabarius (an semita, in qua cannabarius funes contexebat?) R. 334.
fundiciolum (*parvus fundus*), R. 142, 224, 292 — funducculum, R. 144.
furnillum (*parvus furnus*), R. 247.
fusarium, fosareo, infusarius (*palus*, *in qua linum infusum maceratur,* ital. *fusaro*), R. 334, 564.

G

galula ardisca? R. 402.
gabba vel gamma (agri vel domus figura in litterae Γ formam), R. 115, 159, 238, 562.
gaydola (forte *parva gaida,* fimbria muliebris vestis. Cf. DUCANGE in v. *Gaydes*), R. 623.
gectare, al. jactare (*ejicere*), R. 82.

genga (*juvenca*, neapolitanis *jenga*), R. 81.
genissi s. Mariae (nativitas, a gr. γένεσις R. 391.
germanus (*tritici genus*), R. 419.
gingillo, R. 295 not.
grade (*gradus*) fabrite vel marmoreae, R. 294, 502.
gripta vel grypta (*domus terranea*), R. 216, 351, 366.
grundarius, grunda tectui, R. 612, 203, 615, 619.
guala (forte *gala*, ornatus) da lectum at tornum R. 252.
guerra (*bellum*, vox italica), R. 528.
gurgo (*gurges*, *puteus*), R. 458.

H

hannositas, (*annositas*), R. 613.
hobernoticum, R. 347, *V. bernoticum.*
horgania, organea, organeum (*vasa* praecipue ad condendum vinum adhibita), R. 14 et not.
hostracatum solarium, vel ostracatum, R. 84.

I

iacium de illi defisi (an idem ac lacium. V. infra), R. 606.
ianchi (*albi;* vox Neap. dialectus) panni, R. 402.
idiosceri (*scriptum manu propria*, a gr. ἰδιόχειρον), R. 105, Cf. II, 122.
iectum, (*getto;* agitur de aqua), R. 356.
imbela (forte in beta, ut in gamma), R. 169.
implicare (*impendere*), R. 344.
inbateam, inbateat? R. 543, 544.
in cantum, R. 129, 181, *V. moneta.*
incordare (*in cordem ponere*), R. 462.
indona, capitale cum indona de pinna, R. 404.
inferrate, an inforrate? (*assutae,* vox Neap. dialectus), R. 402.
infiduciare (*in pignus dare*), R. 485.
in fora (*foras*), R. 619.
infracedare (*putrescere*), R. 466.
infusarius, II, 26. *V. Fusarium.*
ingrucciclaturum? R. 482.
inpoteca (apotheca, *taberna*), R. 524.
inserte (*insitae*), insertare (*inserere*), R. 311, 347, 398.
insertetum, insertitum seu castanietum *insitum*, R. 321, 362, 363.
inruynatum (*dirutum*), R. 610, 619, 630.
intersicum, terra cum intersico, R. 59, 355, 389, 635; intersicellum, R. 678.
intomata culcitra (scil. *tomento intus farcita*), R. 493.
intrinita? planeta, R. 295 not.
inventaneum (*inventarium*), R. 511.
iobedi sanctum, R. 316, 478, 560.
ioncata (*lac juncis coactum*, vox Neap. dialectus, ital. *giuncata*), R. 553 not.

L

labinarium vel lavinarium, R. 100, 354, 356, 458.
lacium renobentes (Forsitan *laqueus, vinculum,* ital. *laccio;* agitur de renovatione cuiusdam libelli emphyteutici), R. 597.
lamma (*locus praeruptus*), R. 108.
largietas, R. 399.
lebata (*levata)*, R. 392, 458.
lectisternia (*omne quod ad lectum ordinandum facit)*, R. 523.
lena caprina (*forte pellis caprina super culcitram strata*) R. 404; lene linee, R. 482.
lenicula (*parva lena*), R. 402.
lensa (*modus agri, longus et angustus*, al. *lentia*), R. 585.
lesimentum (*laesio*), R. 294.
licerem (*jus*), R. 238, 463.
ligna? cosita, R. 514.
limula (an a *limas*, vestis genus, vel *lingula*, scissura? V. DUCANGE, in vv.) da cincire, R. 482.
lista, listem, listes (*limbi*) inferrate, I, 217; R. 402.
longaneum, R. 186.
lontras (*lintres, naviculas*), II, 35.
loquentia (*sermo*), R. 80.
lumminaria, R. 11, 14, 111.
lutamenctare (*stercorare*), R. 664.

M

macenare, R. 169, 358, 367 — macenaturia, R. 165, 197, 358.
maceria (nunc apud nostrates: *macera*), R. 67.
manipulus monasterii (*laborator?*), R. 371.
manitergulum, R. 544.
magese campus, (*novale*), R. 36.
magio (mense), R. 15, 270, 612.
mappula (*parva mappa* sive *linteolum* ad os vel manus abstergendum), R. 245; major, minor, 295 not.
mascatura (*sera*, vox Neap. dialectus), R. 593, 602.
melas (*mala*), R. 321.
mele (*mel*), R. 82.
menare (*ducere*), II, 152.
menata bullosa (an *maneggiata, usata?*), R. 482.
merissi (*divisio*), R. 7, 16, 27; Cf. II, 122.
metium, mezo (*dimidium*), II, 220; R. 93.
miliaccium (*placentae genus*, apud nostrates *migliaccio*, vox adhuc viva), R. 368.
minuitas, R. 359.
mobilias (*supellex*), R. 311, 404, 458, 482.
molinator, R. 471.
molinum, (*molendinum*), R. 69, 72, 268.
monachile pane (*ad usum monachorum*), R. 621.
monimen (*latrina*), R 60 et not., 505.
monticello (*monticulus*), R. 209.
mortarum (*mortarium*), R. 295 not.

N

nabidias (*navigia*), R. 378.
nasugacta (cognomen), R. 423.
neapolitaniscum (*ad usum Neapolitanorum*), R. 387.
negotiante R. 291.
noscicte auree (*armillae, fibulae.* V. DUCANGE in vv. *Nosca* et *Nusca*), R. 402.

O

obernum (*hyems;* ital. *inverno*), R. 276.
obsequium (*exequiae*), R. 111.
obsecium, utsecium. *V. pannum.*
obstracum, R. 294. *V. astracum.*
oliare (*trapetum*), R. 358.
organea, organeum. *V. horgania.*
orticello (*hortulus*), R. 300, 383.
ostracundare, R. 84. *V. adostracare.*

P

padula (*palus;* ex Neapolitanorum pronuntiatione, R. 1, 44, 72.
padulanus. R. 267, 553.
pagatione (*solutione*), R. 80.
palamenesta (cognomen), R. 264.
palea millarina, scil. ex mileo, R. 559, 562 — tricilea (an triticea ?), R. 401.
palmentum cum subsceptorio suo (*calcatorium et lacus* pro vindemia), R. 140, 157, 216.
panni cusiti et excusiti vel scusiti, serici et janchi, puri et vellati seu plumati, R. 402.
pannum, quod est utsecium, ossecium, (*pannus ad obsequium* scil. ad ornamentum ecclesiarum adhibitus), R. 245, 270.
pannus de bullosa subtili et menata, R. 482.
pantanum, R. 626.
pappascarpone (cognomen), R. 613.
paramenta (*vestis,* et aliquando *indumenta ecclesiastica*), R. 553, not.
paramitromeno (cognomen), R. 374.
paramonerius (paramonarius, *mansionarius* ecclesiae), R. 544.
paraturia, molinum cum omni (*instrumento*), R. 268—paraturia ad piscandum (*retia*). Quae apud Surrentum ponuntur ad capiendas coturnices, retia, *parate* vulgo vocantur), R. 306 —paraturia de sambuco inaurata, R. 402.
pargiare (*solvere,* ital. *pagare*), R. 110, 112, et passim.
parsonarii, *V. portionarii.*
partita in (*parte*), R. 259.
passiare (*ad passus mensurare*; vox hoc sensu adhuc in usu apud nostrates), R. 415.
passibus et passiba (*in minori aetate*), R. 402.
pastenatio, (*pastinatio*), R. 456 — pastinus, R. 212.
patena, R. 616, patina, patena de stagnum, R. 144 — intrinita? 295 not.
pesatum (*ponderatum*), R. 568.
pectine de lina pectinare (*pecten*, instrumentum textorium), R. 514 — pectines da tile trahere masculini, 404.
peculiares (*pecus*), R. 126.
pedes (*arbores* etiam nunc apud nostrates), R. 237, 321.
pelliccia, R. 482.
perne (*coxa, perna*) porcine, V. FORCELLINI in v.), R. 244.
petelium (itineris servitus), R. 136.
petia de terra (*pars, particula*), R. 148, et passim— petiola de caseum, R. 417, 561.
picciolum (*parvum*), R. 112. — pittulum, R. 117, 194 — picculum, R. 125 — pictuli, R. 612.
pictiora de ferrum, R. 621.
pictium (*angulus*), R. 438; at pictia, 634.
pinna tecti vel ex tecto, R. 237, 615.
pinnuli (*inaures*; vox in agro Neapolitano adhuc viva), R. 402, 482.
pititie, pictie (*placentae, focaciae*), R. 158, 183, 401.
pischinella, (*piscinula*), R. 169.
plajone due (*linteum*, ital. *lenzuolo*; al. plajana, gr. πλαγιοῦνια in doc. a. 1196 ap. *Syll. graec. membr*. p. 325, Cf. FICKER et D'OVIDIO in *Arch. Stor. Nap*. an. 1882, p. 604). R. 482.
planeta, R. 544, 616. *V. intrinita.*
planulilla? de ferrum, R. 621.
plebs (*paroecia*, ital. *pieve*), I,
portella, (*portula*), R. 652.
portionales, R. 254, vel partionarii R. 268, et parsonarii, R. 671 vel:
portionarii, scil. qui laborant terram ad partes vel in parte; nunc apud nostrates *parzonale* R. 110, 268, 342, etc.
posticium, (*posticum*), R. 19.
prebaricare, probaricare (*praetergredi*), R. 297, 374.
pregna, (*praegnans, gravida*), R. 185.
prestare (*mutuo dare*), R. 115.
pretas (*petras*), R. 84, 283 — prete de mole, R. 220.
privina? seu urna privina, R. 402.
prodem de, qui prodem habet (*utile*), R. 359.
profilire, R. 630.
prolatoria (*projecturas*), R. 615.
propaginare, (*propagare*), R. 292.
protimissi, (ius congrui, gr. προτίμησις *V. Ind. rer. notab.*
pulli matrici, R. 370.

Q

quarnide? sancti et userati? R. 295 not.
quatra (*quarta*), R. 378, 430.

R

radicatae (*radices*), R. 237.
ramare, *V. deramare*, R. 314.
ramme, (*aes, aeramen*), R. 270.
ranula de ferrum, R. 621.
recalciare (*sarrire*, V. DUCANGE in v. *recalcire*), R. 562.
recentarium (vas, in quo lintearia res lixivia jam purgata aqua recenti eluitur; quod apud nostrates *recentare*, vel *arrecentare* dicitur), R. 252 et not.
redita, (*ridica*, parva ligna, quibus vites sustentantur, vel vallum cingitur), II, 39 et not.; reditas, R. 385, 420.
regia et regiola (*janua, et parva janua*, R. 238, 612) et passim.
resina, risina, (forte *torrens*. V. DUCANGE in v.), R. 202, 343, 475.
respondeva, R. 36.
responsaticum, R. 16, 85.
restornare (*retrocedere, revocare*, ital. *stornare*), R. 79.
retornare (*redire*, vox italica), R. 116, 240, 574.
retia, II, 39.
riatellum (*rivulus*) et labenarium, R. 354, 388.
riora (*rivi*), R. 351.
riscum, R. 252. *V. siscum.*
roncare (*runcare*), R. 314, 321.
roticinum, (*instrumentum molarium*), R. 621.

S

sabanum (*linteum*, gr. σαβανον: Vox apud nostratas viget adhuc in diminutiva forma: *savaniello*, pro linteo, in quo infans advolvitur), R. 111.
saccapanna (*lora*; ital. *vinello*), R. 112, 165, 233, et passim.
sambuco, R. 402.
sarcenale, trave majore (*trabs, quae aliarum minorum trabium sarcinam fulcit;* apud nos *tarcenale*), R. 502 et not.
sartore, II, 105.
sartagine (*sartago*), R. 232, 514, 523.
scaballicare in casis vel in curtibus coloni (*ex equo descendere*, ital. *scavalcare*), R. 338, 342, 350, 370.
scaballicatio (*jus scaballicandi*), R. 659.
scalandrone (*scalae ligneae* in parietibus affixae, per quas ad superiora aedium ascenditur. Vox neapolitanae dialectus), R. 524.
scalognate, (*excalumniatae, defensae, liberae*), R. 571, 645, 646.
scandoli (V. DUCANGE, in v. *scandula*), R. 187.
scapula, R. 87, 96, 125, et passim.
schoperta (*intecta*), R. 424, 630.
scintum, (In pago Fractae majoris in agro Neapolitano *lo scinto* est quoddam thoracis genus a mulieribus usitatum, R. 623.
scomplitum (*non perfectum*), R. 252; scoplitum, R. 404.
scriare (*evanescere, consumi*; vox Neapolitanae dialectus), R. 338.
scorpelare scapulas et egripas, R. 671.
scoropandi et laborandi terram pactum, R. 362, 399.
scusitum, R. 623.
secuta volpe (loci nomen), R. 163.
semente, R. 110.
seminaturia, R. 233.
senas (*senna*, herba), R. 233.
sera, seras, omnem sera, R. 158. 233.
serola (Romanis *seria*, vasis genus), R. 209 et not. Apud Amalphitanos memoratur *serola ad congia quadraginta* vel *decem* vel *quatuor*. *Chartul.* cit. doc. 37 et 38— serolella pictula ab aqua sanctificata (*seriola*), 270, 387.
serra (*mons*) cauditana (*caudinus*), R. 354.
serrare (*claudere*), R. 615.
settima (*obsequia septimo die post obitum celebrata*), R. 623.
sfusarium. *V. fusarium.*
silice, silice pubblica, R. 293.
singnata vel signata (*symbolum*), R. 181, 265.
siscum (*cista, arca, fiscus*, Nunc apud Surrentum habentur adhuc *siscoli*, in quibus tritarum olearum massa collocatur et praelo subiicitur, R. 523.
soccias (*socios?*), R. 342.
solareum, solarium (*solajo, terrazzo*), I, 200, R. 84, 139 et passim — solarellum, R. 424, 675.
solvidire? R. 663.
sorbas (*sorba*), R. 321.
sorolas? fodire et alio transferre, R. 528.
spagufracidum (cognomen), R. 516).
spandere (*expandere*), R. 524, 532.
spanoclastum opus, (*auri purissimi*), I, 200.
spesarium, R. 82. *V. expendium.*
splanctatu, splantatum (*plantis evulsum*), R. 652.
spiritalis senior (*confessor*), R. 402 — pater, R 404.
spoliaturum (*spoliatorium*), R. 610.
spurclatura de cepulle (*primitiae caepullarum, sporchia.* Est vox Neapolitanae dialectus, quae sive herbarum gemmas vel flores significat.), R. 533 et not.
stagnatum (gr. στεγνάτον (*Syll. graec. membr.* p. 80); apud nostrates *stainato, magnum ahenum*), R. 111.
stagnum (*stamnum*), R. 616.
stante de cantonem (nunc apud nos, *stantero, postis*), R. 238.
starium (*sextarium*) olii, R. 597.
startia (*latifundium*), R. 659.
stasonato (*maturus*), R. 321, 330.
sternimentum (*tabulatum*), R. 67, 84, 203, 283.
stibo (*dolium, orca*, ubi triticum stipabatur; apud nos quamvis in alium usum adhibitus, extat *stipo*), R. 85.

stivalium (*herbarum hortensium genus*), R. 233.
stromacioli (*stragula*), R. 196 et not. 402.
strullata cancella (cancellos intelligo, qui non plani, sed in orbem versus inferiorem partem producti sunt), R. 84 et not.
studire (*studere, curam habere*; agitur de bobus, R. 811.
subcelare (*nascondere)*, R. 222.
succuppelle ? II, 54.

T

tabulita clusa (*ex tabulis*), R. 187.
taliare (*caedere*, ital. *tagliare*), R. 359.
taxidium (*navigatio*, a gr. ταξιδι), R. 378.
tecule (*tegulae*), R. 619, 667.
temponiare (*aeri exponere*), R. 524.
ternum, cum, et illorum paraturia (*terno* apud nos nunc vocatur omne *paramentum*, quod ad missam vel aliud religiosum officium celebrandum sacerdos induit), R. 616.
terraticum, terraraticum (*quod pro terrarum locatione praestatur*), R. 8, 13, 110, et passim.
tesa de muro (parietis portio), II, 55.
tessitore (*textor*, cogn.), R. 604.
tiburium, R. 562; tigurio (*tugurium*), R. 300, 621.
tigoli (*tegulae*), R. 45, 187, 238, 380.
tile (*tela*), R. 404.
tinacium (*lacus* pro vindemia; ital. *tinaccio*), R. 523.
tinancia, tinancium de modia 20 vel 12 (an idem ac *tinacium*?), R. 295 not.
tinella de modia dua (*parva tina*), R. 514.
tiniosus (cognomen, ital. *tignoso*), R. 354.
tiappare (*zappare*), R. 237, 373, 562.
toccatocca (cognomen), R. 322.
tofignum, tufineo (*ex tofo*), R. 524.
tonicare (*parietes tectorio opere exornare;* ital. *intonacare*), R. 663.
tornum at (*circum*, ital. *attorno*), R. 252.
torem, ad illu, (*torum, collis cacumen*), R. 237.
tortini (*crustula*, vox neap. dialectus), R. 314, 630.
trabejare (*trabes ponere*), R. 630.
tractoria (*plaustrum, tractorium*), R. 514.
tragaricum ? R. 305, 669.
trasenda (*transenda*. V. DUCANGE in v.), R. 27, 47.
travicelli (*parvae trabes*), R. 502.
trentale, (*exequiae trigesimum post diem obitus celebratae*), R. 623.
tumbo, charta de tumbo, vel tummo (charta papyracea forsitan, quae *de tubo* dici potuit; utpote ex arbuscula aegyptiaca tubi seu calami figuram praeferente confecta), R. 142 et not., 554.
turabolu de ramme (*turibulum*), R. 270.

U


untum ad condiendum (*condimentum*), R. 584.
utseccium. *V. pannum.*

V


vicalis, bicalis (*viculus?*) R. 47, 383.
vinaccia (*vinacea*), R. 336.
virticillo (cognomen), R. 554.

FINIS.

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS



Epitaphium Boni consulis et ducis (a. 832-834) Neapoli in ecclesia S. Mariae ad plateam adhuc exstans.



Anaglypta duo marmorea, quae ad ambones cathedralis ecclesiae Neapolitanae pertinere dicuntur. (A).




Anaglypta duo marmorea, quae ad ambones cathedralis ecclesiae Neapolitanae pertinere dicuntur. (B).



Epitaphium Teophilacti S. N. E. archidiaconi († a. 671) nunc in sacello S. Joannis ad fontes in basilica S. Restitutae parieti affixum.

Tab. XVI.



L. FORTUNATO FOT.

Tab. XVII.

Septa marmorea, quae Neapoli in aedicula S. Aspreni ai mercanti ante altare majus nunc visuntur.





Duo monumenta saeculi XI, quae in ecclesia S.tae Mariae
a Pugliano apud villam Resinae exstant



L. FORTUNATO FOTOG.

FOTOTIPIA SUCC.RI DOYEN TORINO

Imago crucis a S. Leontio episcopo Neap. vulgariter nuncupatae

Pars antica



Cromolit. Richter & C Napoli


Imago crucis a S. Leontio episcopo Neap. vulgariter nuncupatae

Pars postica



Cromolit. Richter & C Napoli

Nummi ad Neapolitanum Ducatum pertinentes





Stab. Lit. FOLLETTO · Napoli.

Societa Napoletana di Storia Patria

Tab XXII



MONUMENTI STORICI SERIE 2.ª DOCUMENTI

SOCIETÀ NAPOLETANA DI STORIA PATRIA

Capasso

MONUMENTA

AD

NEAPOLITANI

DUCATUS

HISTORIAM PERTINENTIA

VOLUME II.

PARTE II.

NAPOLI

PRESSO LA SOCIETÀ, PIAZZA DANTE 93.

Mdccexcii

R. STABILIMENTO TIPOGRAFICO
Ditta FRANCESCO GIANNINI & Figli
Cisterna dell' Olio, 2 a 7
NAPOLI

Si vende presso la Società, Piazza Dante 93
e presso il libraio F. Furchheim, Piazza Martiri 59

Prezzo L. 45